Pius PP. VI. –
(Giovanni Angelo Braschi)

COLLECTIO

(PER EPITOMEN FACTA,)

BULLARUM, BREVIUM, ALLOCUTIONUM, EPISTOLARUMQUE,

FELICIS RECORDATIONIS

PP. PII VI,

CONTRÀ *CONSTITUTIONEM CIVILEM CLERI* GALLICANI, EJUSQUE AUTHORES ET FAUTORES;

ITEM,

CONCORDATORUM

INTER

S. P. PIUM VII,

ET GUBERNIUM REIPUBLICÆ, IN GALLIIS, ATQUE ALIA VARIA REGIMINA, POSTMODUM IN HAC REGIONE, SIBI SUCCEDENTIA;

TÙM

EXPOSTULATIONUM REVERENTISSIMARUM, SEU INTERCESSIONUM, OPPOSITIONUMVE,

APUD

SS. DD. NN. PIUM PAPAM VII,

Contrà varia Acta, ad Ecclesiam Gallicanam, spectantia, à triginta et octo Episcopis, Archiepiscop. et Cardinal. antiquæ Ecclesiæ Gallicanæ, subscriptarum, &c.
6 Avril, 1803.

LONDINI:
EX OFFICINA COX ET BAYLIS, GREAT QUEEN STREET, LINCOLN'S-INN-FIELDS.

MDCCCXXI.

INDEX

Scriptorum, quæ continentur in hâc Collectione.

Br.

Canonicæ

 qui

Littera

COLLECTIO

(PER EPITOMEN FACTA)

BREVIUM, QUORUMDAMQUE SCRIPTORUM

PII VI,

Demonstrantium acerrimam et insidiosissimam Impetitionem contrà Religionem Catholicam in Galliâ et in aliis Regionibus à Novatoribus Philosophis et eorum Fautoribus factam.

EPITOME,

&c. &c. &c.

Allocutio habita in Consistorio secreto, die 9 *Martii* 1790.

A PIO SEXTO.

VENERABILES FRATRES,

COMMUNICAMUS vobiscum hodiè, venerabiles fratres, gravissimas sollicitudines atque angustias quibus premimur, vestrosque animos ad nostrarum curarum partem advocamus. Cognitum omnibus est, planèque exploratum, in quem luctuosum deciderit statum amplissimum Galliarum regnum, illa præpollens ac inter cæteras invidenda dominatio, quæ nunc, suorum dumtaxat civium operâ, repentè ad maximas ærumnas ac perniciem redacta est. Actum illic primò fuit de publicâ œconomiâ ordinandâ; cùmque ea dirigenda esset ad populorum levanda onera, ad nostras apostolici ministerii curas nequaquàm pertinere videbatur. Sed ab illâ constituendâ gradus repentè factus est ad religionem ipsam, tanquam hæc politicis negotiis subjici ac inservire deberet. Consecuti extemplò sunt violenti inter cives, seditiosi, cruentique motus, quos cùm progredi magis in dies audiremus, conversi statim sumus ad implorandam divinam pro illâ natione misericordiam, publicasque preces indiximus quæ etiàm nunc quotidiè persolvuntur. Sed irritas apud Deum deprecationes has nostras adhuc esse, non sine plurimo animi mœrore conspicimus, malumquè illud adeò augeri atque excrescere dolemus, ut, quò ulteriùs progredi possit, non videamus.

Per decreta, quæ à generalibus nationis comitiis prodierunt, ipsa impetitur perturbaturque religio; hujus

apostolicæ sedis usurpantur jura; solemnia pacta et conventa violantur, et quemadmodùm hujusmodi mala ex falsis emanarunt doctrinis per infectos venenatosque libros, qui in manus omnium diffundebantur ita quò imposterùm etiàm latiùs securiùsque vulgari imprimique possent ea opinionum contagia, inter prima comitiorum decreta illud extitit, quo libertas asseritur cogitandi etiam de religione, proùt cuique libeat, suaque cogitata impunè proferendi; nec quemque aliis obstringi legibus statuitur, quam quibus ipse consentiat. In consultationem præterea ipsa est deducta religio nùm, scilicet catholica sit, per gallicam ditionem, uti dominatrix, nec-ne retinenda? Habiles facti sunt Acatolici ad omnia gerenda municipalia, civilia, militaria munera. Statutum item, ne ampliùs habeatur ratio monasticorum solemnium votorum, utque omnia ad utriusque sexûs egressum cœnobia religiosæque domus aperiantur; præpereàque declaratum, cuncta ecclesiastica bona ad nationis jus pertinere; abolitæque decimæ, quæ magnam eorumdem bonorum partem constituebant; injectæ manus ad altarium ac templorum argenteam supellectilem, aliæque demùm hujus generis vel jam captæ, vel proximè capiendæ deliberationes.

Hæc nos intelligentes, possumus-ne tot mala taciti præterire, nec apostolicam extollere vocem contrà nefaria decreta, quibus religio ad perniciem deducitur, quibus sanctæ hujus sedis cum illo regno communicationem propè intercipi atquè abscindi perspicimus? Ah! nostrum nobis improperasse silentium videtur Isaias propheta, cùm dixerit: *væ mihi quià tacui?** Sed quomodò, quibusve loquendum? Nùm episcopis omni auctoritate privatis ac perterritis, quorum multi suas sedes deserere coacti sunt? Nùm clero, qui dispersus est et abjectus,

* Cap. VI, v, 5.

abjectus, nec ampliùs suos agere conventus valet? Nùm ipse compellandus christianissimus rex, cui regia autoritas erepta? Ipse, qui comitiis subditur, et suo sancire nomine cuncta illa decreta compellitur? Natio ferè omnis specie vanæ libertatis miserè seducta paret, et mancipatur consilio philosophorum se invicem mordentium, ac obtrectantium, non agnoscens, quod regnorum salus potissimùm innitatur Christi doctrinæ.*........ Videmus profectò quàm grave nobis impositum sit loquendi, monendi, hortandique munus. Sed novimus etiam non solùm inanem futuram vocem nostram, quâ uteremur ad efferatam populi in omnem licentiam effusi multitudinem, quæ proruit ad incendia, ad rapinas, ad supplicia interfectionesque civium, neque ullum relinquit humanitati locum; verùm etiàm verendum esse, ne magis magisque ad alia perpetranda facinora irritetur et accendatur.........

Sed interim, dùm ad gallicam nationem nostra vox obstructa est, quid nobis agendum? Loquendum certè cum Deo, inflammandæque sunt ad ipsum et multiplicandæ deprecationes nostræ! Intereà hanc nostram Allocutionem, ut testem adhibendam ducimus, quod agnoscamus scilicet, quanta inferatur injuria religioni, quantùm ab hujus apostolicæ sedis juribus detrahatur; unàque declaramus taciturnitatem nostram non ad incuriam, multòque minùs ad approbationem esse referendam; at agnoscimus necessarium esse pro hoc tempore silentium, donec per alias rerum vicissitudines, quas, Deo protegente, proximas propitiasque speramus, utiliter loqui possimus.

 Dilecto

---

* *S. August. ad Marcellin.*, ep. 138, No. 15, Oper. omn. ed. Maurin., t. II. col. 416.

Dilecto filio nostro, Dominico S. R. E. presbytero cardinali Rupefucaldio Archiepiscopo Rothomagensi.

PIUS PAPA VI.

Dilecte Fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi maximo quotidiè dolore afflictemur ob vestras, vestræque nationis res quæ ad nos continuò per nuncios afferuntur, tamèn tuis perlectis litteris, dilecte fili noster, die nonâ hujus mensis ad nos datis, majorem adhuc in modum augetur paterni nostri animi ægritudo, ac tantis tàmque repetitis ecclesiæ gallicanæ detrimentis à te commemoratis, unà tecùm ingemiscimus et penè obruimur tuâ hâc ipsâ luctuosissimâ deploratione. Vestrum enim mœrorem non ità percipimus, tanquàm à nobis alienum, sed nostrum reputamus, propriaque hujus S. Sedis esse vulnera, quæ in vos infliguntur. Quale igitur in tantis malis, quod à nobis postulas, solamen afferre vobis possumus, cùm eodem Nos ipsi non minùs indigeamus? Sed quòd in humanis rebus remedium non reperimus, non ideò tamen despondere debemus animum, sed spes nostras omnes in eum projicere, qui pacis et consolationis Deus est, atque idcircò conjungere obsecrationes ad Ipsum nostras, quò efficaciores sint ad tantas avertendas calamitates.........

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXXI Martii MDCCXC, pontificatûs nostri anno XVI.

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Minimè dubitamus, carissime in Christo fili noster, quin intimâ animi tui voluntate adhæreas Religioni Catholicæ, Apostolicæ et Romanæ, unitatis centro, Sanctæ Sedi

Sedi, nobis ipsis, gloriosorum majorum tuorum fidei; tamen vereri debemus ne per fallaces captiososque sermones, tuus ergà subjectos tibi populos illudatur amor, nevè abutantur aliqui desiderio, quo inflammaris ordinandi regni tui, ac ad pacem tranquillitatemque revocandi.

Nos Jesu-Christi vices gerimus in terris, nobisque commissum ab illo est fidei depositum; ad nostrum idcircò munus singulariter spectat, te non jam de explendis ergà Deum populosque officiis admonere; (non enim existimamus te à conscientiâ tuâ desciscere, ac ad vanæ politices abduci commenta), sed ex paterno animi nostri ergà te amore, majestati tuæ palàm facere, certissimèque denunciare, si decreta ad clerum pertinentia approbes, eo ipso in errorem, universam te inducturum nationem tuam, regnumque in schisma et in crudele fortassè etiàm religionis bellum esse impulsurum. Nos quidèm omnem hactenùs in eo diligentiam posuimus, ne quis hujusmodi motus per nos excitetur, non alia adhibentes quàm innoxia nostrarum ad Deum obsecrationum arma: at si periclitari perget apud vos religio, in eam vocem quæ exaudiatur, ecclesiæ caput prorumpet, ita tamen ut numquàm simus à caritatis regulis recessuri. Plurimùm debere quidem nos agnoscimus mundo, sed ipsi Deo multò adhùc magis.

Noli, carissime in Christo fili noster, illud existimare, à politico et tantummodò civili corpore immutari posse doctrinam et disciplinam ecclesiæ universam, contemni ac pro nihilo haberi SS. patrum conciliorumque sententias, hierarchiam everti, decerni super episcoporum electione, aut suppressione episcopalium sedium, ac uno verbo omnem ex ejus arbitrio ædificationem catholicæ ecclesiæ perturbari et deformari.

Ipsa majestas tua duos habet in regio suo consilio archiepiscopos.........

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die X Julii MDCCXC, pontificatûs nostri anno XVI.

Venerabili fratri Joanni Georgio jam Archiepiscopo Viennensi.

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Recentia decreta istius conventûs nationalis circà res ecclesiasticas parem præ se ferunt cùm erroris, tùm nullitatis characterem: erroris scilicet, quià falsam continent doctrinam, nullitatis verò, quià pronuntiata sunt ab incompetenti auctoritate. Qualis idcircò nostri sit animi ægritudo, quàmque intimus dolor, per te ipsum, ven. frater, faciliùs consequi cogitando potes, quam nos ullis tibi verbis exponere.

Sed quantò inconsolabili oppressi angore essemus, si christianissimus rex iis decretis suam adjungeret sanctionem! Ex quà regiæ autoritatis actione quid aliud prodiret, quam schisma, per quod omnis abscinderetur communicatio istius Galliarum regni cum unitatis centro, quod in hâc apostolicâ sede divinitùs est constitutum? Ille rex igitur, qui tam glorioso christianissimi nomine compellatus est, schismaticus, proh dolor! evaderet, schismaticique omnes episcopi essent ad præscriptam à nationali conventu formam electi, nosque ipsi teneremur eosdem à communione fidelium exclusos declarare. Incredibiles tùm forent nostri cordis angustiæ, in hoc pontificatu perditum videre tantum tàmque extensum regnum, ac tam de ecclesiâ benè meritum, videre incredulorum de illâ triumphum, qui jam in eo, quod recusarunt catholicam religionem dominantem declarare, illud perspicuè agebant, ut catholicismi nomen abolerent, ac innumerabiles, quot possent, miserè in perditionem inducerent.

Nos tamen hactenùs apostolicam continuimus vocem nostram, ne magis irritarentur furentium incredulorum animi; interim tamen per publicas privatasque preces divinam opem implorare non intermisimus. Nunc verò

cùm

cùm ad ultimam perniciem nihilominùs procurri videamus, ampliùs nobis tacere permissum non esse judicavimus. Ad ipsum igitur regem per hujus diei tabellarium mittimus, familiarem in modum, conscriptas litteras, quibus eum omni, quo possumus, studio hortari contendimus, ne suâ auctoritate memorata decreta sanciat, roboret, confirmet. Verùm cùm vivam ad ipsum vocem quæ multò efficacior esset adhibere non valeamus, eamdem requirimus ab ipsis venerabilibus episcopis fratribus, quibus datur regem alloqui, utpotè ipsi ob sua merita peracceptis.

Unus ipse ex iis es, maximèque ad tantam rem præstandam idoneus, cùm sæpè dederis præclara zeli tui specimina in sustinendâ tuendâque sanâ doctrinâ. Cùm igitur eorum singulariter exhibendorum urgeat hoc tempus, valdè perspectâ virtute tuâ confidimus, ven. frater, te hanc gravissimam operam sedulò atque impigrè suscepturum, ut salves religionem, regem, ac patriam tuam. Facilè, certè poteris optimi regis animum inducere, ut abstineat se ab illâ fatali sanctione, etiamsi proposita sit ex adversâ parte ipsi plena periculi resistentia; cùm *catholica veritas nequaquàm ullo tempore dissimulari possit, vel eo animo, ad eamdem, mutatis rerum circumstantiis, revertendi.*

Si his sensibus evangelicâ planè vi apud regem institeris, quemadmodùm te per merita D. N. J. C. obsecramus, magnam erigimur in spem, ut tàm gloriosum conatum tuum optimus consequatur successus, quem Nos cum omnibus bonis ardentissimè cupimus, nobisque pollicemur. Idque per tuam operam à divinâ misericordiâ expectantes, interim tibi, ven. frater, apostolicam benedictionem in amplius pontificiæ benevolentiæ pignus peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die X Julii MDCCXC, pontificatûs nostri anno XVI.

PIUS qui suprà.

Venerabili

Venerabili fratri Hieronimo Mariæ, Archiepiscopo Burdigalensi.

PIUS PAPA VI.

Ven. frater, salutem et apostolicam benedictionem... ......Quæ nuper emanarunt ab ipso nationali conventu decreta ejusmodi sunt, ut planè adversentur catholicæ ecclesiæ unitati, ac istius regni cum apostolicâ hâc sede communicationem disrumpant, si iisdem rex ipse suam adjungere inducatur sanctionem, per quam scilicet incideretur in schisma, rexque christianissimus, ille videlicet, ecclesiæ primogenitus filius, schismaticus evaderet, schismatici episcopi qui ad præscriptam decretorum formam crearentur, quos nos ipsi propterea declarare ut pastores intrusos omnique carentes ecclesiasticâ jurisdictione, teneremur. Tu ipse perspicuè, ven. frater, agnoscis non aliò nunc spectare ac tendere hodiernorum Novatorum consilia, quam ut catholicum nomen aboleant, ut Incredulos in suâ confirment incredulitate, utque Credentes ipsos ad incredulitatem inducant, ad hoc nimirùm pulchram prætexentes libertatis vocem, sed fugacis atque instabilis, et in omnem licentiam erumpentis.

Itaque Nos nequaquàm possumus tam pravis non adversari consiliis, quâcumque ratione, Deo juvante, valebimus. Cùmque nunc censeamus, advocandam nobis esse opem VV. fratrum episcoporum, eorum præcipuè qui aditum ad regem habent, quibusque pronum est optimo ejus animo insinuare, ne ad pestifera illa decreta sancienda descendat; idcircò ad te præ cæteris convertimur, tanquam ad illum, qui ob merita, collectamque indè existimationem inter primos es illi peracceptus. Minimè profectò putamus opus esse, ut tibi in memoriam hîc revocemus officia quæ in tuâ consecratione professus es; siquidem non dubitamus illa ipsa assiduè tuæ menti obversari, quorum potissimum ac maximum illud est, ut regem à fatali sanctione dimoveas, ne seipsum, populosque sibi subjectos à regno cœlorum excludat.

Non ignoramus profectò qualis illius præsens sit, quamque commiserandus status, nimirùm populari obnoxius violentiæ; sed novimus etiam, ejus animum à frænetică multitudine abripi non debere, quæ, sacris omnibus conculcatis vinculis, incitata furiis in præceps proruit. Immutabilia certè sunt sua ergà Deum officia, neque unquàm ullam ob causam dissimulanda; etiamsi in animo habeat, ut mutatis tam perversis temporibus ad eadem præstanda revertatur.

Nos ipsi per hujus diei tabellarium ad regem nostras familiarem in modum damus litteras, eumque sui admonemus muneris, ac ad constantiam et fortitudinem quantâ contentione possumus, inducimus. Verùm tu ipse, qui ejus ad aures adstas, per vivam vocem multò efficaciùs agere poteris, quam nos per mutæ scriptionis sermonem. Valdè igitur confidimus ut, Deo adjuvante, optimus consecuturus sit tuam præstantem operam successus; nosque à te illud habeamus responsum, quod maximam afferat in tantâ animi nostri ægritudine consolationem; tibique divinum spiritum per quem opportuna ac salutaria loquaris, implorantes apostolicam benedictionem ex intimo corde deprompam peramanter, impertimur.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, die X julii MDCCXC, pontificatûs nostri anno XVI. PIUS quì suprà

Venerabili fratri Joanni-Francisco episcopo Leonensi.

PIUS PAPA VI.

VEN. FRATER, salutem et apostolicam benedictionem.

Mala quæ Gallicanam perturbant ecclesiam, quæque acriora in dies fraternitas tua pertimescit, è litteris tuis diei 28 junii accepimus. Tot ausus ad evertendam in potentissimo regno catholicam, quâ nitebatur ac fulgebat, religionem excogitati nos minimè latebant, eâque animum nostrum ægritudine afficiunt, ut in tantis hu-

jusce temporis calamitatibus, quibus undique premimur, ac ferè obruimur, acerbiorem ac penetrabiliorem nullam experiamur molestiam. At conscii, nulli interim dari locum consilio, quod non videatur periculi plenum, à patre luminum opem jamdiù efflagitamus, publicis etiam indictis precibus, ut nostram infirmitatem ad ecclesiæ bonum in hoc discrimine et sustentet et dirigat, velitque divinæ recordari misericordiæ. Neque defuimus excitare christianissimi regis pictatem ac fidem, ne tacitus ipse, multòque minùs consensione suâ, scandalis à nationali conventu perpetratis ullatenùs accedat, quæ schismati, et errori viam sternunt amplissimam. Opera etiam ad id excitata est fratrum, quibus regem facilè adire, ac coràm alloqui datum est; eos nempè litteris scriptis vehementi hortatione in Domino, proque munere nostro rogavimus, ut præsidio sint ecclesiæ, religioni, patriæ regique ipsi, cui christianissimi titulus carus est et insignis........

Ea verò est hujus temporis ratio, ac tantus in legitimas potestates intrà Galliæ fines impetus furit, ut animus nobis non videatur posse adjici coadunationi episcoporum sine majori dignitatis sacerdotalis periculo. Hæc ad tuas litteras, ven. frater, rescribenda duximus, cujùs virtutes et amamus plurimùm et vehementer suscipimus. Pontificiæ verò benevolentiæ nostræ pignus damus apostolicam benedictionem, quam tibi, gregique tuo intimo cordis affectu ac peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem pridiè nonas sextiles MDCCXC, pontificatùs nostri anno XVI.

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo.

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo Fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteræ majestatis tuæ per S. R. E. cardinalem *deBoernis*

nis redditæ nobis testantur, quo sis, carissime in Christo fili noster, erga religionem obsequio.........

Fortassè plures ex tui regni episcopis mirati vehementer sunt, quod nos silentium id nostrum claro solemnique clamore non adhuc rupcrimus; sed ipsa majestas tua certos eos omnes facere potest, quanta nostra hactenùs officia adhibita tecum fuerint pro tuendâ religione, jam à longo tempore istîc tot venenatis incredulitatis pravitatisque scriptis oppugnatâ. Quod si non prædicavimus super tecto, non tamen unquàm dissimulavimus veritatem, quoties efficere potuimus, ut ea ad tui similes supremos principes perveniret, neque timendum esset, ne altaris ministris in periculum adductis, nihil tamen religioni, cujus tanquàm instrumenta illi sunt, prodesse possemus.

Precibus ad Deum suis instare nunquàm intermittant, quas et Nos assiduè fundimus, ut ad misericordiam opemque convertatur divini redemptoris ira contra hominum pravitates concitata. Neque enim ulla possunt aliundè sperari tantorum malorum levamina. Præcipua item eorum esse debet pro spiritualibus tuendis juribus contentio, NE ECCLESIÆ IPSI ADIMANTUR, CUI INTENTATÆ JAM MINÆ SUNT; præque illis minùs certè permoveri debent, si cæteris bonis ac prærogativis expolientur...

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die XVII Augusti MDCCXC, pontificatûs nostri anno XVI.

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo.

PIUS PAPA VI.

CARISSIME IN CHRISTO FILI NOSTER, salutem et apostolicam benedictionem.

Intimo ingemiscimus corde, dum cogitamus majestatem tuam adigi horum vi imperioque temporum ad vulganda conventûs nationalis decreta, quibus tuam ipsam sanctionem adjeceras, antequàm ad nos rem deferres, ac

à nobis rationem aliquam peteres, quâ et conscientiis consuli posset, et dissentionum scandala inter catholicos vitari, ét propè jam irreparabilis schismatis mala præcaveri.

Verùm ex quo regnat majestas tua, cùm magis magisque intelligamus, quo animatus sis religionis sensu, quâ in apostolicam sedem devotione ac filiali erga nos affectu, noster majorem in modum augetur in nobis, cumulaturque dolor, videntibus talem tantumque monarcham violentis coactum esse subscribere ejus conventûs actibus per quos ad catholicam evertendam religionem contenditur.

Si satis instructus esses, ut per te ipsum agnosceres omnes disciplinæ articuli, sacris canonum legibus, ecclesiæ gallicanæ sensibus, necnon et catholicæ ecclesiæ principiis consentanei, quàm propiùs accedant ad dogma ipsum, ac penè attingant religionis vim ac naturam, statim profectò pateret tibi, per eas novitates quæri, ut augusto nomine tuo prætexatur audacissimum id facinus, quod etsi adhùc palàm non profertur, tamen ipsâ animorum incredulitate, ac hujus sæculi contumaciâ fit, ut maximè sit formidandum. Nunc præcipuè, carissime in Christo fili noster, in memoriam tibi redige, Deum esse tuum et creatorem et judicem, eumque augustos majores tuos vel in mediis rerum tempestatibus per tot sæcula salvos esse voluisse, ac talem pariter confide erga te futurum, si, quemadmodùm illi fuerunt, in ejus legum fide perstiteris, excitaturumque esse antiquum in tuorum populorum cordibus amorem tui, ex quo singularis semper et in illos gloria, et in Galliæ regnum securitas ac potentia emanabat.........

Nos tui regni episcopos hortabimur ad nos ipsos cum fiduciâ compellandos, ut eorum respondere sollicitudini, eisque declarare valeamus quidquid aptius esse judicabimus ad eos in rectis stabiliendos sententiis ....

Fratres nostri sunt episcopi ; consilia igitur nobiscum inire,

inire, ad nosque in tantis suarum rerum ac temporum angustiis confugere non vereantur......... -

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die XXII septembris, MDCCXC, pontificatûs nostri anno XVI.

Epistola summi pontificis Pii VI. ad reverendissimum et illustrissimum Basileensem episcopum.

PIUS PAPA VI.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil majores hoc tempore in animo nostro sollicitudines excitat, venerabilis frater, quàm quæ decreta in comitiis nationis Gallicæ facta de episcopalibus sedibus ac diœcesibus ad nos perferuntur. Hoc ipsum ex tuis litteris die xi novembris datis agnoscimus, te in maximas itidem conjecisse anxietates, cùm in tot sacrarum rerum perturbationibus valdè timeas, ne quid ejusmodi, in tuæ diœcesis partem, quæ in Alsatiâ est, cum plurimo animarum periculo, extendatur. Proindè ad apostolicam sedem, in hisce tuis angustiis, confugis, nobisque nonnullas dubitationes proponis, ad quas dissolvendas antequàm accedamus, illud primùm dicimus, nullas hactenùs ad nos illinc postulationes esse relatas, ut legitimè, scilicet nobis consentientibus, novus pro Alsatiâ superiori episcopus eligeretur; neque, si postulabitur, nos facilè animum esse nostrum ad hunc assensum, prout nunc res sunt, inducturos.

Quòd si episcopus aliquis novo modo illegitimo, nimirùm sine consensu nostro ac apostolicæ sedis auctoritate institutus, ac in eas regiones inductus seu intrusus fuerit, facilè per teipsum intelligere potes, V. F, per hanc novam sedis episcopalis erectionem minimè futurum, ut tua, quam nunc habes in superiorem Alsatiam, tibi sit adempta jurisdictio; neque propterea tunc novus ille episcopus ea quæ episcopalis potestatis sunt, licitè ac validè exercere

poterit,

poterit, cùm in novis constituendis sedibus consensus noster omninò requiratur. In tantùm absit, ut nos eumdem præstiterimus, quemadmodùm non nullos isthic audacter asseverare scribis, ut etiam in posterùm, in tali, qualis nunc est, rerum statu, præstituri numquam simus. Ex his habes jam, V. F., accuratum ad tua postulata responsum, ex quo tibi prorsùs persuadeas cupimus, *alienos nos esse à diœcesium limitibus, antiquisque ecclesiarum juribus commovendis perturbandisque sine gravissimâ causâ, quæque vel ipsos episcopos ad consentiendum inducere debeat.* Interim nunc in hoc unum consentiamus omnes, ut per non intermissas obsecrationes propitium reddamus omnipotentem Deum.

. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die decembris XI, MDCCXC, pontificatûs nostri XVI.

Venerabili fratri Alconi episcopo Tolonensi.

PIUS PAPA VI.

Ven. Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Doloris lacrymæ quibus scriptæ fuerunt postremæ litteræ tuæ diei 17 januarii, dùm eas legimus, cum nostris permixtæ sunt et confusæ. Nos vehementer tecùm coram Deo diu noctuque ingemiscimus ecclesiæ malis quæ sæculi improbitas reddit in dies acerbiora. Nulli parcimus labori, ut procurationis nostræ munera compleamus, à Deo expectantes bonam repromissionem, quam pollicitus est ecclesiæ suæ, ne in pressuris atque angustiis succumbat. Interim nostram sustentat infirmitatem, lenitque animi amaritudinem antistitum Galliæ virtus, qui strenuè pro sanctis stant disciplinis, ac canonicarum sanctionum se præbent zelatores eximios, quos omnes nunc spectaculum veluti factos angelis et hominibus hortari in domino non cessamus, ut constantiæ ac fortitudinis pergant præbere documenta, ac dùm caritate in omnes prælucere student, ecclesiæ addant pulchritudinem

dinem, atque hostium devincant duritiam. Horum numero locum conspicuum jam diù tibi dandum cognovimus, ac eumdem tibi vindicant ipsæmet litteræ tuæ, quibus intelligimus per epistolas oves tuas omni studio te hortari atque admonere, ne ab officio deflectant, quùm eas coràm alloqui prudens non videatur consilium. Neque te deterreat multitudo eorum quos de clero tuo AD SÆCULI PARTES flectere animadvertis; Quùm enim in tantâ reipublicæ perturbatione, ac SEDUCTIONIS ARTE prævaricatio hæc potiùs ad animi trepidationem, quam ad obduratam cordis pravitatem referenda sit.........

Datum Romæ apud S. Petrum V. idus februarii MDCCXCI, pontificatûs nostri anno XVI.

Dilecto filio nostro Stephano Carolo S. E. R. presbytero cardinali de Lomenie de Brienne, archiepiscopo Senonensi.

PIUS PAPA VI.

DILECTE FILI NOSTER, salutem.

Priores litteræ tuæ à te datæ VII kal. Dec. ad nos eo pervenerunt tempore, quò revolvebamus complurium Galliæ episcoporum sensus expositos super decreto conventûs nationalis clerum attingente.........

Neminem enim fugere poterat per illud decretum hactenùs inter catholicos prorsùs inauditum, mancipari, et in servitutem redigi eam, quæ domina sèmper in isto regno fuit, catholicam religionem, unâque operâ expoliari ecclesiam suis bonis, ministris, et juribus, quæ magis sacra atque intemerata putanda sunt.

Vix tuas istas litteras legimus, non potuimus equidem statim non intelligere, planèque cognoscere, quantùm sententia tua à purâ, et rectâ cùm nostrâ, tùm collegarum tuorum sententiâ dissideat. Nostram autem augebat suspicionem rumor quidam, qui ad nos perferebat non

parum

parum adhærescere te novatoribus, eorumque consilia fovere.........

Cùm jam in exitu erat responsio nostra ad episcopos, quæ tuis etiam petitionibus erat accommodata, et cùm res à te recenter gestæ ad nos perferebantur, venerunt, præter omnem expectationem, alteræ tuæ litteræ datæ pridiè Kal. febr., quibus præteferens parvi æstimari à te contrariam majoris partis gallicanorum episcoporum opinionem, et *quoddam prætexens excogitatæ necessitatis imperium** hæc nobis significabas "novum presbyterium "in ecclesiâ cathedrali decrevisse te constituere, partibus "iis etiam quæ recenter in diœcesim transierunt tuam, "prout necessitas erat, per te provisum fuisse: sacra-"mentum dixisse à nationali conventu propositum": sacramentum hujusmodi, cujus ad nos misisti exemplum, *non pro assensu animi* habendum esse, nec illud ad omnia pertinere, sed esse coercitum ad diœcesis tuæ curam: "*per te* autem, dum decreta nationis exequeris auctori-"tate tuâ, in iis purgari, quidquid illegitimi esse possit "invectùm.........

Satis equidem verbis explicare non possumus, quanto animi nostri mœrore hæc à te proferri, et scribi intelleximus, quæ maximè virum dedecent, archiepiscopali dignitate, et cardinalatûs honore fulgentem.............

Sed erroneè nimis et invereeundè declinas lapsum tuum, quòd nempe solùm exteriùs juraveris, sejunctâ interiori animi consensione, quemadmodùm commentus est quidam philosophus, qui inventum hujusmodi excogitavit, indignum profectò, quòd ullus amplectatur, tanquàm à jurandi sanctitate alienum, et à naturali ipsâ abhorrens honestate; nam quoties assertio hæc producta fuit, toties eam ecclesia proscripsit, atque damnavit. Quæ ad Galliæ episcopos propè diem mittetur responsio, ea palàm faciet tuorum errorum pravitatem, ac simul pœnas

* Vid. Litter. Apost. Pii VII, 15 Aug. 1801.

pœnas indigitabit quæ per canones infliguntur, et ad quas non sine animi nostri ægritudine manus admovere coacti erimus, te cardinalitiâ etiam dignitate exuentes, nisi publicam offensionem tempestivâ, ac dignâ satisfactione retractaveris.

Nos interim, quos vehementer paterna cura sollicitat, ne tu errores erroribus cumules, et ne silentium nostrum loco approbationis accipias, has tibi nullâ interjectâ morâ litteras mittimus, te etiam atque etiam in Domino hortantes, ut statim ab incœpto desistas, tibique præsertim præcipimus, ne eo usque progrediaris, ut novos episcopos, ob quamvis *etiam causam necessitatis** instituas, novosque ecclesiæ refractarios adjungas.........

Quis enim non videat *Constitutionem nationalem*, dùm libertatem relinquit homini, ea quæ velit cogitandi, et scribendi de rebus ad religionem spectantibus, præfractè cum religione ipsâ pugnare? dùm verò tot alias novitates inducit, funditùs evertere auctoritatem ecclesiæ, ejusque ferè omnia jura pessumdare? Tuum erat hisce resistere erroribus, sequique exemplum collegarum tuorum; *nam veritas, quæ non defenditur, opprimitur; et erranti consentit, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit*,† et ipse S. Felix III docet, quod *negligens deturbare perversos, nihil agit aliud, quam eos fovere; nec caret suspicione societatis occultæ qui evidenter facinori desinit obviare.*‡.........

Si Rex, religiosissimi animi princeps, si parochi, si inclyta natio universa unam veritatis vocem exaudient, quæ à nobis tanquam à communi omnium parente prodibit, quamque episcopi suo capiti conjuncti, ac devincti defendent,

---

* Vid. Litter. Apost. Pii VII, die 15 Aug. 1801.

† Epist. S. Thom. Cantuariens. ad Cant. provinciæ episcopos, in collect. Harduin., tom. VI, part. II, p. 1388.

‡ Epist. S. Felic. ad Acacium Constantinopolitan., in eâdem collection., tom. II, p. 812, et seq.

defendent, ad credendum planè inducimur illud succes-surum, ut, divinâ ope accedente, quam non intermissis precibus flagitamus, omnes se ab erroribus vindicent, qui per insidias ignaris obtruduntur, omnesque adversariorum deprehendantur ac in irritum revolvantur molitiones. *Hi enim dum religionis* REFORMATIONEM PRÆTEXUNT, *nihil aliud* AGUNT, QUÀM UT CATHOLICÆ RELIGIONIS, QUAM PATRES VESTRI COLUERUNT, FUNDAMENTA SUBVERTANT.........

Datum Romæ, die XXIII Februarii MDCCXCI, pontificatûs nostri anno decimo septimo.

Ex Actis, in Consistorio Secreto, à sanctissimo domino nostro Pio Papa Sexto, habito die XXVI. mensis Septembris MDCCXCI. in Palatio Apostolico Quirinali, super admissione abdicationis Cardinalatûs factæ à Stephano Carolo de Lomenie de Brienne, et super creatione novi Cardinalis in ejus locum.

VENERABILES FRATRES,

Vobis, qui in nostræ apostolicæ solicitudinis partem vocati estis, VV. FF., plane perspectum exploratumque est, qua nos mansuetudine, qua caritate usi cum iis simus, qui civilem Gallicani cleri constitutionem aut primum excogitarunt, aut deinceps secuti sunt, inter quos non sine immenso animi nostri dolore recensetur dilectus filius noster Stephanus Carolus Cardinalis de Lomenie de Brienne. De ipso multa quidem dicta esse et nos recordamur, et vos meminisse potestis, tam cùm prospera, quam cùm adversa fortuna uteretur. Christianissimi Regis gratiâ præsidioque nixus facile conscendere potuit, evehique ad sublimiores ecclesiæ dignitates. Per regias enim nominationes, etc.........

Ille ad singulas quasque vices explebat partes suas in præstando obedientiæ, ac fidelitatis erga ecclesiam, et apostolicam

apostolicam Sedem sacramento, suorumque memor erga Deum officiorum, quæ susceptis erant conjuncta dignitatibus, inter præclariores numerabatur illius Regni episcopos, cùm plurimo incenderetur studio Religionis ecclesiæque ab iis defendendæ erroribus, quos tum multa cum laude improbabat, nunc verò contrà et fovet, et miserum in modum sectatur, ac profitetur. In comitiis generalibus cleri Gallicani anno 1762 habitis cum sermonem haberet, egregiè illud contendit, ut neque verior, neque fortior esse possit in patriam amor, si vel causæ vel effectus inspiciantur, quàm cùm idem religionis fundamento innititur.

At multò etiam magis illius effulsit ardor animi, cùm in comitiis generalibus anni 1765, docta sane, nervosaque oratione ostenderet, non minùs reipublicæ, quam ecclesiæ interesse, ut religio patrum pura et intemerata servetur: quam quidem orationem Rhemensis Archiepiscopus Comitiorum Præses communi nomine dignam esse declaravit, quæ eximiis laudibus ornaretur.

Hinc strenue oppugnandos suscepit errores, qui Galliarum Regno imminebant, ac primò invehi cœpit in impios libros, per quos religionis fundamenta convelluntur, nec minor ecclesiæ, quam imperiis infertur pernicies; adeoque auctor fuit, ut libri hujus generis omnes, atque ii præcipuè, cum plurima detestatione, damnarentur, qui cæteros impietate antecellerent, commemorato in primis opere de *contractu sociali.* Auctor item fuit, ut scripto in vulgus edito edocerentur populi, quot pericula, quot damna ex cogitandi libertate manarent, utque confugeretur ad regem tum religionis, tum sua ipsius causâ, quo is adeò effrænatam licentiam compesceret.

Subindè non minori animi ardore loquutus est adversus parlamentorum, laicorumque tribunalium conatus, obtestatus scilicet, *non posse se dissimulare, quæ a parlamentis proponebantur, ea multò graviores, atque atrociores ærumnas importatura.* Addidit præterea parlamentorum

consilia eò spectare, ut omne ecclesiasticorum inter se abrumperetur vinculum, prohibitâ episcopis quâcumque cum Jesu-Christi Vicario, Ecclesiæ Capite, et Centro Unitatis communicatione; hortatusque est, ut de eâ re graviores ad regem expostulationes deferrentur.

At præ cæteris censuit pastoralem edendam esse instructionem, quæ fundamenta ipsa edoceret, planèque detegeret, quibus ecclesiæ nititur auctoritas, nulli scilicet alii auctoritati obnoxia, cuique fideles omnes subjici, ac parere tenentur; declaravitque, agi hìc de fidei elementis explicandis, de dogmate super ecclesiæ auctoritate muniendo, deque jurisdictionis ecclesiasticæ momentis, quæ nullo temporum cursu possunt immutari. Nec etiam dissimulavit, constitutionem *unigenitus* tanquàm judicium dogmaticum habendam esse, atque idcircò per diœceses omnes vulgari oportere affirmabat Encyclicas Litteras Benedicti XIV. die 16 Octobris 1756, datas, facto, officii causâ, ejus rei certiore rege: *minimè enim,* dicebat, *indigetis regiâ auctoritate ad evulgandam, tanquàm regulam S. Apostolicæ Sedis, responsionem in re merè spirituali.........*

Difficile profectò dictu est, quo studio Rex Christianissimus iterùm iterùmque flagitârit a nobis Cardinalitiam pro illo dignitatem, à quâ tribuendâ eramus certe animo alieno. Sed repetitis tandem expugnati precibus filii ecclesiæ primogeniti, cujus meritorum habendam semper duximus rationem, et eâ spe freti, ut Archiepiscopus Senonensis nostrâ manu ab impendentibus ærumnis ereptus cùm esset, tum delati officii munere, tùm grati animi causâ, se ad pristinos suos sensus revocaret, eundem in Consistorio, diei 15 Decembris 1788, in Vestrum Collegium cooptavimus. Novus spei nostræ cumulus accessit, ubi Lomenium in urbe Niciensi certiorem factum de dignitate Cardinalitiâ sibi collatâ exhibuisse nobis agnovimus locupletissimas de obedientiâ, deque studio in Nos suo significationes, affirmantem per litteras,

teras, *se nobis et conjunctissimum, et obsequentissimum esse, seque magno, et constanti ardore flagrare religionem et apostolicam sedem tuendi, sibique in votis maxime esse, ut opportunitates habere posset, quibus ostenderet, hosce grati animi sui sensus et germanos esse, et plurimâ cum observantiâ conjunctos.*

At à spe nostrâ omni, in quam non sine ratione induci videbamur, citò decidimus, simulque egregiæ illæ declarationes in irritum abierunt. Vix enim cardinalis exul atque extorris a solo patrio inchoatam, crescentemque vidit, Gallicani Conventus operâ, illam rerum conversionem, quam nobiscum ignorabant omnes per eum ipsum, ministerii sui tempore, designatam et paratam fuisse, nullâ morâ interpositâ se contulit ad ecclesiam suam cathedralem Senonensem, ibique mense Martio Anni 1790, veritus minimè est sermonem coràm omnibus habere, et novam rerum immutationem plurimâ laude cumulare eò usque, ut eidem condendæ se aliis incitamento fuisse gloriatus sit, violatis uno eodemque tempore, atque pessumdatis sacramentis fidelitatis, pluries per eum præstitis ecclesiæ, et apostolicæ sedi, ac etiam regi erga ipsum beneficentissimo.

Haud ita certè locutus est, cùm, die 25 Novembris 1790, tanquàm Archiepiscopus, et Cardinalis alias suas ad Nos daret litteras, quibus hoc vinculo *Romanæ Sedi, successori Divi Petri, ac nobis singillatim devinctissimum se esse,* fictè certè ac subdolè, profitebatur. Præterito enim per silentium sermone abs se habito post reditum ad suam ecclesiam, non dissimulavit, *per civilem cleri constitutionem ad schisma, et ad Presbyterianismum aditum patefieri.*

Transgressus subindè est ad graphicè describenda *hæc acerbissima Ecclesiæ Gallicanæ tempora,* declarans apertè, *Patrum Religionem à Regno exulare: si, qualis erat* (inquiebat ille) *apud proavos religio, staret adhuc, atque floreret, sperari posset.........At quantùm in pejus mutatæ*

rerum

rerum vices! Nec est veritus eorum, qui in Galliis degunt, conditionem, cum illorum conditione comparare, qui apud infideles commorantur. Descripsit quoque violentiam Altarium Ministris illatam, non eo quidem animo tantis excidiis obicem opponendi, veluti Archiepiscopum, et Cardinalem decuisset, sed animo tegendi consilium abs se susceptum *de tempori cautè serviendo:* consilium profectò nunquàm apud patres receptum, sed anteà ab ipso Lomenio, et à galliarum clero, notâ prævaricationis, inustum.

Hinc, componere se posse ratus Evangelium cum nova Constitutione, veritatem scilicet cum mendacio, sperni minimè oportere affirmabat *certam quamdam moderationis, ut ita dicam, œconomiam, ne major in clerum calamitas derivetur. Quandoquidem conventus hic nationalis ad exitum perduci decreta sua, quæcumque accidant, omnino volet, et nihil, opinor, intentatum relinquet;* adeòque asserebat, indulgentiâ prorsus utendum, cùm deteriora timeri mala expectarique possent à constitutionis auctoribus, quos interim ipse compellare non dubitavit *Evangelii perduelles.* Audite, VV. FF., ipsius audite maximi momenti declarationem. *Hâc nostrâ tempestate, ac luctuosâ ecclesiæ Gallicanæ conditione, id officium negligi posse non crediderim, quin Evangelii perduelles in religionem insultent audacius, quin concutiatur piorum fides, quin Catholicum dogma (nam periculum quantumcumque est, dolens indigitabo) quin Catholicum dogma in schisma fortasse, ac Presbyterianismum feratur præceps.*

Improbum hinc patefecit nobis consilium, illa nempe exequendi capita constitutionis nationalis, quæ decernunt novam divisionem, suppressionemque diœcesium, electionemque à populo faciendam parochorum suffragantibus etiam Judæis, Mahometanis, Calvinistis, ac cujusque proscriptæ sectæ hominibus in multis diœcesibus numero longe prævalentibus, &c.........

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostrâ, admittimus cessionem et abdicationem Cardinalatûs à Carolo Stephano de Lomenie in manibus nostris factam, postquàm declaraveramus, eum dignitate hujusmodi privatum iri, etc.

Breve ad E. S. R. eccles. Cardinalem de la Rochefoucault, illustriss. Archiepis. Aquisextanum, cæterosque prælatos Conventûs nationalis gallicani, de constitutione civili cleri gallicani.

PIUS PAPA VI.

Dilecti Filii nostri, ac venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod aliquantùm differre ob ipsius rei gravitatem, nimiamque item urgentium negotiorum copiam coacti fuimus, nunc responsum damus, dilecti filii nostri, ac venerabiles fratres, litteris die 10 octobris ad nos datis, quibus multorum è vestris spectabilibus collegis nomen subscriptum est. Eæ renovarunt in Nobis immensum, nullâque consolatione levandum dolorem illum, quem jam perceperamus, ex quo tempore perlatum ad nos erat, istum nationis vestræ conventum ad publicæ œconomiæ rationes ordinandas congregatum, adeò in suis decretis progressum esse, ut catholicam religionem impeteret; à conspirantibus enim suorum plerisque jam in ipsum irruebatur sanctuarium.

Ab initio judicabamus servandum nobis esse cum hujusmodi inconsultis hominibus silentium, ne ipsi veritatis voce magis irritari ad multò deteriora adhuc proruerent. ....

Cùm repentè adfertur ad nos, prodiisse, circa mensis julii dimidium, à gallicæ nationis conventu (cujus nomine

solam

solam partem numero prævalentem semper intelligemus) prodiisse inquimus, decretum, quod in titulo constitutionem cleri civilem prætexens, reverâ ad sacratiora dogmata, atque ad certissimam ecclesiæ disciplinam perturbandam, evertendamque deveniebat, hujus primæ sedis, episcoporum, sacerdotum, regularium utriusque sexûs, totiûsque catholicæ communionis jura abolebat, sacros supprimebat ritus, ecclesiasticos reditus, et fundos arripiebat, eas demùm inferebat ærumnas, quæ credi non possent, nisi ipsâ comprobarentur experientiâ. Istis ad nos relatis, non potuimus certè non abhorrescere ad ejus decreti lectionem.........

Nemini porrò, qui catholicus sit, ignotum esse potest Jesum-Christum in suæ ecclesiæ institutione, dedisse Apostolis, eorumque successoribus potestatem, nulli alii potestati obnoxiam, quam sanctissimi Patres universi voce concordi agnoverunt cum Osio et S. Athanasio monentibus* " ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu nobis " hisce rebus præcepta mandes, sed à nobis potiùs hæc " ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis quæ sunt " ecclesiastica concredidit; ac quemadmodùm qui tibi " subripit, deo ordinanti repugnat, ita metue ne, si ad te " ecclesiastica pertrahas, majoris criminis reus fias." Ac propterea S. Joannes Chrysostomus, ut magis, quam id verum esse comprobaret, Ozæ factum attulit†. ....

Et tamen contrà tam certam in ecclesiâ sententiam, conventus iste nationalis potestatem sibi ecclesiæ arrogavit, dùm tot ac tanta constitueret, quæ cùm dogmati, tùm ecclesiasticæ disciplinæ adversantur, et dùm episcopos, et ecclesiasticos omnes jurejurando ad sui decreti executionem

* S. Athanas. in histor. Arianor. ad Monacos, tom. I, oper. pag. 371, edit. Maurin.

† Commentar. in cap. I, Epist. ad Galat. num. 6, tom. I, oper. edit. Maurin. pag. 668.

executionem adstringeret. Verùm hoc minimè mirum videri debet iis qui ex ipsâ conventûs constitutione facilè intelligunt nil aliud ab illâ spectari, atque agi, quàm UT ABOLERETUR CATHOLICA RELIGIO, et *cum eâdem, debita regibus obedientia.* Eo quippe consilio decernitur, in jure positum esse, ut homo in societate constitutus, omnimodâ gaudeat libertate, ut turbari scilicet circà religionem non debeat, in ejusque arbitrio sit de ipsius religionis argumento, quidquid velit, opinari, loqui, scribere, ac typis etiam evulgare. Quæ sanè monstra ab illâ hominum inter se æqualitate, naturæque libertate derivari, ac emanare declaravit. Sed quid insanius excogitari potest, quàm talem æqualitatem libertatemque inter omnes constituere, ut nihil rationi tribuatur, quâ præcipuè humanum genus à naturâ præditum est, atque à cæteris animantibus distinguitur?.........

Quarè manifestò perspicitur æqualitatem, et libertatem à conventu isto jactatam in illud, ut jam probavimus, recidere, ut catholica subvertatur religio, cui propterea *dominantis* titulum in regno, quo potita semper est, detrectavit.(a).........

Nunc procedentibus ad examen capitum decreti conventûs nationalis, gravissima sese offert suppressio antiquarum metropolium, necnon et nonnullorum episcopatuum, aliorumque ex suis divisio, aliorum de integro erectio. Quâ de re non hîc ad criticum examen revocare intendimus illud, quod non sine aliqua dubitatione retulerunt historici super veteri gallicarum provinciarum civili jure administratarum divisione, ex quâ inferre possemus

(a) Vide Homiliam *Civis Cardinalis Chiaramonti, Episcopi Ismolensis,* sic intitulatam: *Omelia del Cittadino* Cardinale Chiaramonti vescovo d'imola, (ora sommo Pontefice PIO VII), diretta al Popolo della sua Diocesi, nella Republica Cisalpina, nel Giorno del Santissimo Natale l'Anno 1797: Imola, nella Stamperia della Nazione, l'Anno VI della Libertà.

possemus cum eisdem, neque tempore, neque loco ecclesiasticas metropoles convenisse; at pro re, de quâ nunc agitur, satis est, si innuamus ex divisione metropolium ad jurisdictionem civilem constitutarum, nequaquàm emanare ecclesiastici ministerii spatia, ut ex allatâ patet à S. Innocentio I ratione.(1).........

Verùm, inquiunt, à nobis postulatur, ut decretam diœcesium divisionem approbemus; at maturè expendendum est, nùm à nobis id fieri debeat; obstare siquidem videtur *infecta origo*, à quâ ejusmodi hodiernæ divisiones et suppressiones derivantur..........

Demùm quid aliud hisce decretis efficere conventus voluit, quàm evertere, et ad nihilum redigere episcopatum ipsum, quasi in illius odium, cujus ministri sunt episcopi; quibus prætereà permanens decernitur consilium presbyterorum, qui vicarii nuncupandi sunt, atque hi, ut sexdecim numero esse debeant in civitatibus decem millia capitum continentibus, duodecim verò ubi minor esset numerus incolentium? Alios item adsciscere sibi coguntur episcopi, illos nimirùm qui supressarum parœciarum erant parochi, hique vicarii *pleni juris* appellantur, cujus vi juris, episcopis quibus addicti sunt, minimè obnoxii esse, subjectique debeant.........

Sed ulteriùs adhuc est progrediendum. Cùm conventus iste ad statuendam seminariorum regendorum legem devenerit, episcopis, ut eligendorum vicariorum ex universo clero potestatem fecit, non ita etiam arbitrio reliquit superiorum, seu rectorum in seminariis electionem; vult enim ut hæc ab ipso unà cum vicariis, ex majori suffragiorum numero, peragatur, prohibetque illos ab imposito munere, nisi ex plurium vicariorum, ut diximus, consensu, removeri. Quis hìc non videt, quantùm

(1) Epist. 24, ad Alexandrum Antioch., cap. II, apud Coustant., pag. 852.

tùm episcopis diffidatur, quorum est curam habere institutionis et disciplinæ illorum, qui in ecclesiam adlegendi sunt, ejusque obsequiis addicendi? Et tamen nihil certum magis indubitatumque, quàm quod caput et summus administer seminariorum sit episcopus: et quanquàm Tridentina synodus(1) mandet, ut duo canonici super ecclesiasticâ alumnorum disciplinâ instituantur, eorum tamen electio relinquitur episcopis, *prout Spiritus-Sanctus suggesserit*, neque inhærere eorum judiciis, neque assentiri consiliis adstringuntur. Nunc verò quantam poterunt episcopi fiduciam ponere in eorum curâ, qui electi ab aliis fuerint, juratâ fortasse obstrictis fide, ad infecta illa servanda conventus decreta?

Tandem, ad episcopos in extremæ abjectionis statum deprimendos, ac in omnium contemptum adducendos, decernitur, ut tribus quibusque mensibus, tanquàm mercenariam præstantes operam, tantam recipiant stipem, quantâ non possent amplius indigentium, qui magnam populi partem constituunt, ærumnas sublevare, multòque etiam minùs suum tueri episcopalis characteris gradum. Hæc nova congruæ episcopalis institutio ab illâ prorsùs dissidet, quæ attributa episcopis ac parochis fuerit in fundis stabilibus, quæ ipsi administrarent, fructusque, tanquam Domini, perciperent; ideòque ecclesiis *unum mansum* destinatum fuisse reperimus, ut legitur in capitularibus et Caroli magni,(2) et regis Lotharii.(3) "Volumus ut secundùm jussionem Domini, ac genitoris "nostri unus mansus cum duodecim bunnariis de terrâ "arabili ibi detur." Et cùm assignatæ aliquibus episcopatuum mensis non sufficerent dotes, augebantur abbatialium fundorum unione, ut sæpiùs in Galliâ, ac nostri etiam pontificatûs tempore factum esse recordamur. Nunc verò quo vitam ipsam episcopi tueantur, erit in potestate

(1) Sess. 23, de reformat. cap. XVIII.
(2) Capitular. an. 789, cap. XV. tom. I. p. 253, edit. Paris, Baluz.
(3) Tit. 4, cap. I, tom. II, pag. 327, ejusd. edit.

testate laicorum, qui ærario præsunt, quique eos suâ illâ mercede fraudare valcant, si perversis quæ memoravimus decretis adversentur.........

Cùm jam viderimus, dilecti filii nostri, et venerabiles fratres, valdèque mirati simus decretam isthîc esse præcipuorum disciplinæ ecclesiasticæ articulorum immutationem, suppressionis nempè, divisionis, et erectionis episcopalium sedium, nec non sacrilegæ episcoporum electionis, quæque ex iis damna consequantur, nonne idem ob easdem rationes sentiendum erit de parochiarum suppressionibus, ut vos ipsi *in vestrâ Expositione* jam animadvertistis ? Sed facere non possumus, quin hîc adjungamus, quod, præter commissum provincialibus conventibus munus distribuendi, prout ipsis visum fuerit, suos parœciis fines, in maximam nos etiam adduxit admirationem innumerabilis earum suppressio, cùm jam nationalis decreverit conventus, ut in urbibus, aut oppidis, in quibus sex capitum millia tantummodò censeantur, non nisi una constitueretur parœcia. Et quo unquàm modo unus parochus sufficere tanto curando populo poterit ?.........

Transimus jam ad bonorum ecclesiasticorum invasionem, ad alterum scilicet errorem Marsilii Patavini, et Joannis de Janduno damnatum in constitutione Joannis XXII(1) et longè antè decreto S. Bonifacii I, papæ à pluribus relat.(2)...............

Sed quisquis partem habet in hac usurpatione,(a) perlegat

(1) Apud Rainald. ad ann. 1327, nn. 28, ac seq.

(2) Apud. Coustan. pag. 1050, nn. 3.

(a) Vid. Edictum sequens :

" *Ordonnance du Roi Louis XVIII.* 21, *Aout* 1816.

" Louis &c.—Informé qu'il existe encore, des Biens et Rentes *apparte-*
" *nants à l'Etat*, qui ont echappé jusqu'à ce jour aux recherches des agents
" de l'administration :

" Considérant qu'il importe de faire rentrer ces Biens sous la main du
" Domaine ; sur le rapport de notre Ministre des Finances, nous avons or-
" donné et ordonnons :

" Art.

gat vindictam quam Dominus fecit de Heliodoro, ejusque cooperatoribus, qui rapere tentaverant thesauros de templo, contrà quos spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam: ita ut omnes qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute in dissolutionem, et formidinem converterentur.

Atque hîc quis unquàm sibi persuadeat, quòd cùm occupentur, atque usurpentur ecclesiarum, ecclesiasticorumque catholicorum bona, præserventur contrà fundi Protestantibus, quos ipsi in religionem rebellantes invaserant, adductâ conventionum causâ? Scilicet penès nationalem conventum illæ cum Protestantibus conventiones valuerunt; sanctiones verò canonicæ, sanctæque hujus sedis cum rege Francisco I. pacta non valuerunt; placuitque illis in câ re gratificari, in quâ Dei sacerdotium disperdebatur. Sed quis non facilè intelligat, in hâc bonorum ecclesiasticorum occupatione, inter cætera in animo haberi, spectarique ut sacra profanentur templa, ut ecclesiæ ministri in omnium contemptum adducantur, utque alii imposterùm à sorte Domini deligendâ deterreantur: vix enim ea usurpari bona cœperant, cùm statim

" Art. 1. L'Administration de l'Enregistrement et des Domaines continuera ses diligences pour découvrir les Biens et Rentes provenants du " Domaine, on des anciens établissements ecclésiastiques, qui n'auroient pas " été aliénés à des particuliers, ni abandonnés à des fabriques et hospices, et " qui seroient possédés par des Tiers, *sans titre de propriété.*

" Art. 2. Les Détenteurs de ces Biens seront admis, dans les trois mois, " qui suivront la publication de la présente, à en faire la déclaration aux " Préfets—dans lequel cas, *Remise* totale des intérêts, fruits, &c. leur sera " faite, &c.

" Art. 3. Toutes personnes pourront, dans les six Mois après l'expiration " des trois Mois, déclarer aux Préfets, &c. les Biens et Rentes de cette " nature *usurpés* par des Tiers. Si les révélateurs, au moyen de la Remise " des Titres, ou par d'autres voies, mettent le Domaine de l'Etât, à portée " de *se faire réintégrer dans la propriété* et possession des Biens et Rentes " usurpés, il leur sera accordé une récompense, dont le montant sera déterminé par notre Ministre des Finances."

(Extrait du No. 215, du Journal, ou gazette ecclésiastique, *l'Ami du Roi, et de la Religion.* Tom. 9, 3me Année, Samedi 31 Août. 1816, *pag.* 93.)

tim divini cultus abolitio consecuta est, occlusa templa, sacræ supellectiles amotæ, et cessare jussus in ecclesiis divinorum officiorum cantus. Hactenùs gloriari potuit Gallia jam VI sæculo penès se introducta clericorum floruisse secularium collegia, seu capitula, ut videre est apud Gregorium Turonensem.(1)........

Inceptam jam prosequentes viàm, gradum ad ipsos regulares facimus, quorum bona sibi conventus nationalis arrogavit, minùs odiosum tamen prætexens titulum, ut scilicet eorum fructibus uti posset; quod reipsâ quantulùm à verâ distat dominii proprietate? Si quidem, edito die 13 februarii decreto, ac post sex dies regiâ sanctione confirmato, suppressa omnia fuerunt regularium instituta, vetitumque etiam, ne ulla alia imposterùm admitterentur. At verò quantam illa ecclesiæ utilitatem afferant, ex ipsâ deducit experientiâ concilium Tridentinum:(2) "quoniam non ignorat S. Synodus quantùm ex "monasteriis piè institutis, et rectè administratis in ec-"clesiâ Dei splendoris atque utilitatis oriatur."........

Sed ulteriùs etiam progreditur conventus nationalis, statuitque in decreto, die 13 februarii 1790: "se nequa-"quàm recognoscere solemnia religiosorum vota; et "consequenter declarat ordines et congregationes re-"gulares in quibus illa emittuntur, suppressas esse in "Galliâ, et suppressas remanere, *neque unquàm restitui* "*in posterum posse.*" Quod quid est aliud quàm manus in vota majora ac perpetua immittere, eaque abolere, quæ tantummodò ad pontificiam spectant auctoritatem? "Vota enim majora, inquit S. Thomas,(3) putà conti-"nentiæ, etc. summo pontifici reservantur."........

At cùm ipse etiam Summus Pontifex peculiaribus pro tempore inductus rationibus, existimet concedendam à se esse solemnium votorum dispensationem, in idipsum, non

(1) Histor. Francor. lib. X., § 16, pag. 535.
(2) Sess. 25, de regular. cap. I.
(3) 1. 2. quest. 88, art. 12, in fin.

non ex potestatis suæ arbitrio, sed per modum declarationis procedit........

Ad ea quæ modò exposuimus de votis regularibus, adjicere oportet immane judicium latum adversùs sacras Virgines, eas, à suis claustris ejicieudo, ut egit *Lutherus*, qui " sancta illa Deo vasa polluere non veretur, conse-" cratasque Christo Virgines, et vitam monasticam pro-" fessas extrahere è monasteriis suis, et mundo imò dia-" bolo, quem semel abjuraverant, reddere.(1).........

Possemus adhuc ad alia animadvertenda pergere super illo conventûs decreto, siquidem à principio usque ad illius exitum nihil ferè in eo est, quod non sit cavendum, ac reprehendendum; omnesque ejus sensus inter se adeò nexi consentientesque sunt, ut vix ulla pars sit ab erroris suspicione libera. Sed cùm jam declarassemus potiora quæ in eo sunt errorum monstra, atque interim, quod minimè expectabamus, in publicis foliis perlegissemus episcopum Augustodunensem(a) suo se sacramento in ejus decreti verba obstrinxisse, tanto dolore penè exanimati fuimus, ut hæc quæ ad vos scribimus intermittere deberemus. Afflictio nostra mirum in modum augebatur, ut *per diem ac noctem non tacuerit pupilla oculi nostri*, cùm videremus eum episcopum ab aliis disjungi,

(1) Hadrianus VI. In brevi ad Frideric. Saxoniæ duc. advers. Luther. in collect. Labbe, tom. XIX., pag. 10, lib. IV.

(a) Iste Episcopus Augustodunensis, adhuc inter vivos in hoc sœculo, obtinuit valdé vanos istiûs mundi honores. Pro eo, habetur monumentum sequens.

" Les Consuls de la République, vû *le Bref* du Pape Pie VII, donné à " St. Pierre de Rome, le 29 Juin, 1802, arrêtent:

" Le Bref du Pape Pie VII., donné à Rome le 29 Juin, 1802, par lequel " le Citoyen Charles Maurice Talleyrand, Ministre des Relations Extérieures, " *est rendu à la vie séculière et* laïque, aura son plein et entier effet. ....

" A Paris, le 21 Aont, 1802, le Premier Consul, BUONAPARTE."

Vid. *Mercure Universel* de Ratisbonne, No. 208, 31 Aout 1802.

Opuscul. sic intitulat.: *de la nouvelle Eglise de France*, pag. 295.

jungi, separarique à collegis suis, unumque ex omnibus hactenùs esse, qui Deum in suorum errorum testem adduceret. Et quamvis ipse conatus sit tueri se, ac immunem præstare in uno tantùm articulo attingente diœcesium restrictiones, populorumque ad alias diœceses translationes, cum fucum facere ignaris vellet, atque illudere; illâ prorsùs ineptâ comparatione usus est, totius nimirum populi, qui ob publicas ærumnas, aut aliâ urgente necessitate per civilem cogitur potestatem de unâ ad aliam transire diœcesim. Differunt enim maximè inter se duo hæc exempla; quoniam ubi populus suâ diœcesi relictâ, se transfert ad aliam, episcopus ejus diœcesis, ad quam accedit, propriam et ordinariam exercet intrà fines suæ diœcesis in novos incolas jurisdictionem; jurisdictionem, inquimus, non à civili potestate quæsitam, sed quam juri suo referre debet acceptam....

Nihil, præstito ab Augustodunensi sacramento, reperimus, quo se possit ex catholico sensu in ullâ impietatis parte defendere. Inter conditiones, quæ ad licitum jusjurandum requiruntur, præcipuæ sunt, ut verum illud sit et justum. Ubi nunc veritas, ubi justitia esse potest, quandò ex jam superiùs adductis principiis, nihil illîc, nisi falsum, atque injustum deprehenditur? Nec jam poterit Augustodunensis ullo se modo excusare, si dicat præcipitanter illîc atque inconsideratè se gessisse. Nonne consultò, cogitatòque ad sacramentum processit, cum ipsum falsis munire satageret rationibus, cumque jam intellexisset, quæ cæterorum episcoporum essent sententiæ docte pièque impugnantium conventûs decretum, cumque jàm non posset non præ oculis habere aliud planè oppositum in suâ adhuc recenti consecratione emissum sacramentum? Itaque omninò dicendum est illum lapsum esse in voluntarium et sacrilegum perjurium, quod nempè ecclesiæ dogmatibus, ejusque certissimis juribus adversatur.

Atque hîc opportunè commemoranda existimamus ea

quæ

quæ in Angliâ, regis Henrici II tempore, acciderunt. Is planè simile decretum, paucioribus tamen verbis exscriptum, fecerat.........

At non solùm conventus iste Henricum II imitatus, est, sed etiàm Henricum VIII,.........

His exemplis, ac episcoporum rationibus, obstupescimus, cùm videamus Augustodunensem commotum non fuisse. Simili comparatione antè nos usus erat episcopus Meldensis Bossuetius apud vos celeberrimus, *et non suspectus auctor*,(1) inter duos, Thomam Cantuariensem unum, et Thomam Cranmerum alterum.........

Ast multò mirabilius est, quod Augustodunensis non percelleretur declaratione capituli ecclesiæ cathedralis suæ die primâ decembris proximè præteriti emissâ; neque erubesceret quòd in ejusdem vituperationem incurrisset, atque ab eo instrui deberet clero, cui par erat, ut ipse exemplo, doctrinâque perluceret. Eâ declaratione scilicet augustodunensis clerus, verissimis ecclesiæ innixus principiis in hunc modum in decreti errores invehitur. " Capitulum augustodunense declarat, 1°. se formaliter adhærere expositioni principiorum super constitutione cleri, quam in lucem ediderunt DD. episcopi ad conventum nationalem deputati, die octobris proximè elapsi trigesimâ. Declarat 2°., non nisi abjectâ conscientiâ suâ, posse directè vel indirectè particeps fieri executionis novæ constitutionis clero propositæ, et præsertim in iis, quæ spectant ecclesiarum cathedralium suppressionem; ideòque se, sicut priùs, sacra munera et canonialia obiturum, numerosisque fundationibus quibus ecclesia sua oneratur, satisfacturum, donec ipsi omninò impossibile sit eas adimplere. 3°. Declarat se, ut potè conservatorem natum bonorum et jurium episcopatûs et virtute

(1) Histoire des variations des églises protestantes, liv. VII, No. 114, tom. III, édit. de Paris, 1747.

virtute jurisdictionis spiritualis, quæ, vacante sede epis copali, ad ecclesias cathedrales devolvitur, non posse consentire ulli novæ circumscriptioni diœcesis augustodunensis, quæ à solâ autoritate temporali procederet.

Interim ignorare nolumus Augustodunensem, ac cum eo quisquis alius ipsum interim imitatus fuerit pejerando, quòd episcopi, qui Ariminensi interfuerunt concilio, subscripseruntque ambiguæ, captiosæque illi formulæ ab Arianis, quo iidem deciperentur, inventæ, &c.........

Quæ hactenùs recensuimus, ac pertractavimus, non ex mente nostrâ, sed ex purioribus sacræ doctrinæ fontibus, ut videtis, eruimus. Nunc autem ad vos convertimur, fratres nostri carissimi, et desideratissimi, gaudium nostrum, et corona nostra, qui quamvis nullius hortationis stimulis indigeatis, cùm nos ipsi in vobis gloriemur pro vestrâ fide in cunctis ærumnis, et pro egregiis evulgatis instructionibus, rationabilem comprobemus dissensum vestrum à decreto istius conventûs; nihilominùs quia in eam temporum calamitosam conditionem devenimus, ut etiam his qui sibi stare in Domino videntur, omnia diligenter præcavenda sint; ideò pro commisso nobis, licet sine ullo merito nostro, curæ pastoralis officio, dilectiones vestras, summâ quâ possumus contentione hortamur, ad servandam omni animorum fervore inter vos ipsos concordiam, ut conjunctis studiis, operâ et conciliis, uno spiritu ab insidiis et conatibus novorum legislatorum, catholicam religionem tueri, Deo adjuvante, valeatis: ut enim ad locum adversariis patefaciendum nihil aptius esse posset, quàm animorum vestrorum inter se dissidentium disjunctio, sic ad intercludendos illis omnes aditus, omnesque evertendas molitiones nihil concordiâ, vestrarumque voluntatum consensione opportunius est, atque efficacius. Hisce fermè verbis S. Pius V, prædecessor noster excitavit capitulum, et canonicos ecclesiæ Bisuntinæ,(1) qui in similia tempora inciderat. Forti

(1) Epist. 6, lib. III, édit. Antuerp. 1640.

Forti igitur ac constanti animo estote, nec ullorum periculorum denunciatione, aut minis ab incœpto desistite, ac recordamini, ut David impavidè respondit giganti, Machabæi iutrepidè Antiocho, sic Basilius Valenti, Hilarius Constanti, Ivo Carnotensis Philippo regi. Jàm, quod nostrarum est partium, publicas preces renovavimus; hortati regem sumus ne suam vellet interponere sanctionem; duos archiepiscopos, qui eidem aderant regi, quid ab eis agendum esset monuimus.........

Quin et adhuc susceptis paternæ caritatis consiliis inhærentes, quæ vos ipsi vobis esse proposita, in vestræ expositionis exitu cognovimus, à vobis petimus, vosque obsecramus, ut nobis exponere, ac declarare velitis quidnam esse judicetis, quod nunc præstandum à nobis sit, ad assequendam animorum conciliationem. Quod nos certè in tantâ locorum distantiâ agnoscere non possumus; vobis verò qui in re præsenti estis, occurrere fortassè poterit aliquid à catholico dogmate, disciplinâque universali minimè dissentaneum, quod nobis proponatis in nostram deliberationem, atque examen adducendum. ....Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die X martii MDCCXCI, pontificatûs nostri anno decimo septimo.

PIUS, qui suprà.

Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo.

PIUS PAPA VI.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi nos usque adhuc distulerimus responsum dare postremis majestatis tuæ litteris; existimamus tamen à te excusatum iri nostram hanc moram, si velis, Carissime in Christo fili noster, perpendere, quæ nos ad hoc tem-

pus causæ retinuerint. Ac primam quidem statim à te ipso datam nobis agnosces; cùm enim decreto executoriali circà constitutionem cleri tàm FESTINANTER tuam addideris sanctionem, ut nostrum responsum ad te idoneo tempore pervenire minimè potuerit, nisi illud ipso penè momento quo cursor extraordinarius ad nos advenerat, reddidissemus; ac tùm cùm videremus illud, de quo agebatur negotium, absolutum jàm esse; idcircò aliquo nobis utendum spatio censuimus, imò ad ipsum coactos nos esse prorsùs agnovimus, cùm demonstrandum nobis esset, quantoperè dictæ constitutionis articuli catholicæ adversarentur doctrinæ, neque ullo modo cum fidei nostræ rationibus consentirent. Atque hoc certum est, cur nos approbationem nostram iis articulis neque provisionaliter, neque vel pro minimo temporis momento adjungendam judicaverimus.

Quod quàm verum sit, ut perspicuum facere possemus, in mediis itèm necessariis, quibus assiduè urgemur, occupationibus, opus nobis fuit aliquod reperire, quo id perficeremus, otium. Dum igitur cunctandum nobis erat, facilè patiebamur, ut sententiâ nostrâ episcoporum sententias non præveniremus, ne scilicet plerique ex nationali conventu, fatalis nempè constitutionis autores, nobis tribuere possent, quæ jam episcopi ipsi ex adverso opponebant tot suis epistolis pastoralibus, monitis atque edictis. Ita enim fiebat, ut hodiernis philosophis dignitati nostræ adversantibus omnis eriperetur ratio calumniandi, tanquàm à nobis profectos sensus, quos magnus piorum ac doctorum antistitum numerus suâ sponte, suoque judicio proferebat; atque refractarii ipsi, re ipsâ fateri compellerentur, episcopos non aliis esse, nisi solis veritatis principiis ad reclamandum inductos.

Ut igitur pateret bonam episcopos propugnare causam, debuimus constitutionem de quâ agitur, diligentissimâ consideratione expendere, ex quâ omninò consecuti sumus, ut perspicuum arbitremur esse, quod hæretici nota evitari

tari ab illo non possit, quicumque civico se adstringit jurejurando, cùm ea promittat sibi servanda, in quibus hæresum congeries continetur. Quod certè majestas tua perspicuè agnoscet ex nostro ad episcopos responso, cujus exemplum cum hisce ad te nostris conjungimus. Ipsa majestas tua pollicita nobis est, se in religione nostrâ victuram esse ac morituram, eaque promissio summa nobis erat consolationis causa. Nunc verò hæc ipsa tibi causa erit continua intimi acerbissimique doloris, cùm intelliges, quod per tuam sanctionem ab ecclesiæ unitate illos omnes separaveris, qui jusjurandum ediderint à conventu præscriptum, seu qui secuti fuerint pravas in constitutione circà clerum decretas sententias, atque hunc in modum recusaveris eam illustrem præ cæteris gloriosamque laudem in quâ esses ob defensam in tuis ditionibus religionem, ac proindè degeneraveris à majoribus tuis, qui illam intrepidè semper ac studiosissimè conservarunt.

Atque hîc non possumus tibi non antè oculos ponere S. Aviti Viennensis episcopi sensus, etsi gravem animo tuo molestiam allaturos; qui cum initio sexti sæculi præsideret concilio Eponæ coacto, nunc Yennæ ad Rhodanum, ac Gundobaldum Burgundiæ regem alloqueretur, liberâ sanè atque apostolicâ voce *debuisse ipsum* dixit (cum id religionis interesset) *non abstinere se ob tumultum populi à publicè profitendo universi creatore, imò in medio popularis furoris ore ipso apertè proferre, quod se intimo corde credere affirmabat.* Hi S. Aviti sensus à S. Gregorio Turonensi in ejus historiâ lib. II, cap. XXXIV, referuntur.

Huic considerationi illa etiam adjungenda tibi erat recordatio promissionis à te Deo factæ die 11 junii 1775, qui fuit tuæ coronationis dies, cùm tunc te defensurum juraveris conservaturumque canonica ecclesiæ et episcopi cujusque privilegia: quod profectò sacramentum plenè perspicit majestas tua adversari prorsùs decretis tuâ sanctione

sanctione jam roboratis; cùm hæc ipsa non aliò spectent, quàm ut omnia ecclesiæ jura evertantur, atque episcopi à propriis sedibus dejiciantur, ac expellantur.........

Intereà vehementer interest, ut majestas tua seriò intentèque inspiciat, qualis nunc sit istarum rerum facies, et quàm deplorandus regni tui status, in quo basis ipsa religionis subvertitur à nostro redemptore fundata, jàmque illùc audacia furorque prorumpit, ut credatur, permissum esse homini se in Dei substituere locum, novam creando doctrinam, novam hierarchiam, disciplinam, ac per effrænatam sui arbitrii violentiam supprimendo illam religionem, quæ ad hoc usque tempus existimabatur, et erat dominatrix. Propterea palàm prædicatur atque extollitur integra ac plena hominis libertas, dùm ne vel ipsis quidem Galliæ civibus conscientiæ libertas relinquitur.

Hæc est præsens istarum rerum conditio, quam bonus quisque catholicus, ac sanè omnes politici apud vos inductam agnoscunt, ac fatentur. Necesse est igitur, ut majestas tua hæc intrà se ad veram suæ conscientiæ normam exigat; atque consideret, et ex bonorum ac sapientûm antistitum consilio prospiciat saluti suæ, omnique conatu efficere contendat, ut patrocinium episcopis desse non possit, utque omne sacerdotale corpus non prohibeatur in suorum patrum religione consistere. Ex nostrâ ad episcopos epistolâ facilè cognosces ipse, nos in istâ tam horribili tempestate, cùm vim potestatis nostræ contrà manifestos novatorum errores exercere possimus, præferre tamèn leniores agendi vias, semperque, donec per ministerium nostrum licebit nobis, prælaturos esse, eo quidem consilio, ut seductos aberrantesque animos ad ecclesiæ ovile faciliùs revocemus. Idcircò exquirimus ab episcopis, ut ipsi expressè distinctèque aliquam proponant, nostroque subjiciant examini rationem, (si quam tamèn reperire poterunt) quâ uti hoc tempore possimus, atque indicent quomodò suarum diœcesium necessitatibus sit à nobis opportunè subveniendum.

Præcipuè

Præcipuè censuimus, in eâ epistolâ facienda de episcopo Augustodunensi verba, qui primus gravissimum intulit universo orbi catholico scandalum in proferendo civico sacramento, ac sub ejus nomine generatim comprehendimus episcopos cæteros, qui ipsum imitari voluerint, inter quos fuit cardinalis *de Lomenie*, ut nos ipse certiores fecit per suas erroneas litteras, quas propriis politices sensibus miserè refersit. Statim nos ipsi responsum dedimus, cujus exemplum hisce ad te nostris conjungimus. Dùm eo pacto, quo episcopus Augustodunensis, cardinalis iste se gesserit, aliique duo episcopi, quos deinceps intelleximus eorum secutos exemplum, minimè mirum majestati tuæ videri debebit, si nos officio nostro coacti, quandò ipsi factum hoc suum publicè non retractaverint, illud adversùs eosdem egerimus, quod similibus in casibus pro suo munere egerunt prædecessores nostri.

Non debebit igitur majestas tua oblivisci cùm discriminis quod intercedit inter temporale ac ecclesiasticum regimen, tùm moniti S. Aviti, ac jurisjurandi tui quod coronationis tempore edidisti, ut ita nunquàm contradicas atque adversare muneri, quod sustines monarchæ christianissimi, filiique ecclesiæ primogeniti, eumque in modum consequaris et à rege regum præsidia, et ab universa ecclesiâ, sanctâque apostolicâ sede approbationem.

Hi nostri sunt paterni sensus ergà majestatem tuam, omnemque augustam familiam, quibus apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam amantissimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die X martii MDCCXCI, pontificatûs notri anno XVII.

Dilecto filio J. Guegan, rectori de Pontisyi, Lutetiam Parisiorum.

PIUS PAPA VI.

DILECTE FILI NOSTER, salutem et apostolicam benedictionem.

Haud moramur statim tuis rescribere litteris die 12 hujus mensis ad nos datis, tuæque illicò petitioni nostrum responsum dare, quod tanto animi studio expectare præ te fers ab hâc apostolicâ sede, à quâ omnis legitima missio ecclesiastica dimanat. Petis itaque à nobis, significari tibi, quid te facere oporteat, si cives tui molestè ferentes, nolle te Venctensi ecclesiæ episcopum præfici, te etiam atque etiam urgeant, ut quem hactenùs meritò denegasti, tuum electioni præstes assensum.

Responsio sanè in promptu est. Quæ enim canonicæ causæ tantâ cum laude animum tuum induxerunt, ut *honorem* ultrò oblatum spontè recusares, eæ satis superque sunt, ut tibi persuadeant, recedere te à proposito nòn debere, nec aliorum studio, nec iteratis contentionibus, nec ipsis, quæ tibi inferri fortassè possent, vexationibus. Ubi enim hæ quoque super accederent, tantò majori te gloriâ cumularent: nam catholico homini et ecclesiastico, præsertim parocho, nihil esse debet præclarius, quàm ut propter Dei causam adversas res toleret et sustineat.

Te sanè perspicuè declaras nunquàm eò adductum iri, ut viventis adhuc episcopi locum sedemque audeas occupare, quem tu meritò venereris obsequio, quemque suo se munere minimè abdicasse planè cognoscis, ac fateris: quidquid adversus canones, et contrà jus omne irrita et schismatica nationalis conventus decreta præcipiant. Et re quidem verâ nihil majore canones horrore detestantur, nihil severioribus pœnis vetant, quàm ut ecclesiæ, quæ suo gaudet pastore, novus pastor præficiatur, et ut quis hujusmet ecclesiæ titulo consecretur,

ipsamque

ipsamque occupet: hæc enim non nisi sacrilegè fieri certum est, et à schismate sejungi non possunt.

Hinc apostolici muneris nostri partes esse arbitramur, non te hortari modò, sed etiam seriò monere, ut in proposito perstes, utque à nullo episcoporum tibi manus imponi sinas; id enim sine horribili sacrilegii crimine nec peti nec præstari potest à quoquam metropolitano aut episcopo, nisi suo pastore ritè careat ecclesia, nisi electio canonica, quæ tibi omninò deest, antecedat, et nisi nostrum mandatum apostolicum adsit, ex quo canonica missio proficiscitur; ita ut ubi aliter ordinatio fiat, præter sacrilegium, quo, qui ordinatur, inficitur, omnis ab eo absit potestas et jurisdictio, et quicumque ab eo perficiuntur actus, irriti sint nulliusque valoris.

Hic porrò defectus, qui ex ipsâ rei naturâ se prodit, adimi profectò non posset, aut minui, si quis ecclesiam regendam atque administrandam acciperet eâ mente ac voluntate, ut eamdem legitimo pastori redderet, statim ac præsens decretorum auferretur obstaculum. Nihil enim valet voluntas, quæ ipso invasionis actu destruitur, nec ullo modo leges à laicâ illegitimâ potestate profectæ possunt ecclesiæ legibus anteferri, ad quam unicè pertinet sublimiorum ecclesiasticorum munerum divisio ac distributio.

Sua est pastori per vim et injuriam à propriâ sede dejecto integra jurisdictio, suumque ille sibi vindicat jus regendi pascendique gregis, quoad ejus fieri potest. Ex quo fit, ut permittere nequeamus, ordinari quemquam in aliquâ ecclesiâ, cui suus sit pastor, ne nomine quidem coadjutoris, eò vel magis, quod non solet apostolica sedes hujusmodi coadjutorias concedere, nisi justâ accedente causâ, quam canones probent, qualis esse nequit violenta omnium sacrorum jurium subversio, et nisi coadjuti etiam consensus accedat, qui plerumque peti solet atque expectari.

Nil ergò tibi aliud est reliqui, nisi ut cuicumque obsistas conatui, utque prætereà omnes ingenii, eloquentiæ, industriæque tuæ nervos contendas in civibus tuis commonendis, hortandisque, ne unquàm pastorem suum legitimum derelinquant, neque ullum alium suscipiant, qui isthùc auderet irruere.

Te denique hæc à nobis postulasse declaras, ut schisma vitares. Verùm id tibi certò persuadeas, ut si à communi bonorum plausu desciscens, quem tibi hactenùs comparasti, electioni tuæ contra nostram voluntatem et monitionem præberes assensum, tunc sanè schismati nomen dares, quemadmodùm non sine immenso animi nostri dolore, ii præstiterunt, qui aut hujusmodi electionibus assentiti sunt, aut hujusmodi electis sacrilegas manus imponere non dubitarunt.

Tuos equidem cum gaudio sensus excepimus à refractariorum sensibus longè alienos; certique sumus fore, ut ab incœpto nunquàm discedas, veluti à nostro dilecto filio Thoumino des Vaupons, vicario generali Dolensis ecclesiæ factum est, qui cum ad ecclesiam *Vallis-Guidonis* nondum ritè in episcopatum erectam, electum se esse ad nos significasset, et à nobis quid sibi facto opus esset, exquireret, antequàm nostram reciperet responsionem quam huic consonam transmisimus, agitatus ille conscientiæ stimulis oblatam respuit electionem; quo exemplo usus est episcopus Rhedonensis, ut ad ejus imitationem excitaret Le Coz principalem collegii Corisopitensis,* qui eum certiorem reddiderat ambiguis usus verbis, de suâ electione episcopum *de l'Ille et Vilaine*, ut liquet ab egregia Rhedonensis responsione sub die septimâ currentis mensis typis evulgatâ.........

Datum Romæ apud S. Petrum die XXX mensis martii MDCCXCI, pontificatûs nostri anno XVII.

PIUS qui suprà.

Epistola

* Vid. ad pag...... hujus *Collectionis*, Not. Edit. Parisiens., *Expostulationum*, &c.

Epistola ad singulos Galliarum archiepiscopos, unàque litteræ commonitoriæ super juramento civico ab ecclesiasticis præstito ac electionibus et consecrationibus pseudo-episcoporum, ad cardinales, archiepiscopos, episcopos, capitula, clerum, et populum regni Galliarum.

PIUS PAPA VI.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Mala perturbationesque, quibus Galliarum regnum agitatur, cum magis in dies ingravescant, nos cogunt pro apostolico munere nostro, ut litteris die 10 martii datis, alias addamus ad dilectos filios nostros S. R. E. cardinales, venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos, ad dilectos filios capitula, clerum, populumque regni Galliarum, ut eos universos admoneamus schismatis, quod isthùc omni conatu invehi, importarique contenditur. Itaque ut hæ novæ litteræ nostræ, quàm citiùs potest, per manus circumferantur, utque metropolitani cognoscant, quantùm eorum operâ confidamus, quantamque cùm ipsorum, tùm episcoporum, qui in cujusque provinciâ sunt, rationem habeamus, plura harum exempla decrevimus ad quemlibet ex ipsis metropolitanis transmittere, quæ per eosdem cum episcopis suæ provinciæ, nec non et cum capitulis, clero populoque communicentur, unàque cum eorumdem studio, vocibus officiisque in communicando conjungantur. Hoc ipso concilio, ad te, venerabilis frater, qui metropolitanus es, eadem exempla nunc mittimus plurima, cum spe, tuam pastoralis animi sollicitudinem nostris hisce votis omninò responsuram. Tibique ac universo gregi tuæ curæ concredito, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XIII aprilis MDCCXCI, pontificatûs nostri anno decimo septimo.

 Dilectis

Dilectis filiis nostris S. R. E. cardinalibus, et venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis capitulis, clero et populo regni Galliarum.

PIUS PAPA VI.

Dilecti filii nostri, venerabiles fratres, ac dilecti filii salutem, et apostolicam benedictionem.

Charitas, quæ, docente Paulo apostolo, patiens et benigna est, tamdiù omnia suffert, ac sustinet, quamdiù aliqua spes remanet, ut per mansuetudinem iis, qui obrepere jam cœperint, erroribus occurratur. Verùm si errores augeantur in dies, eòque jam deveniant, ut res ad schisma delabantur, tunc leges ipsæ charitatis, cum apostolici muneris, quo indigni fungimur, officiis conjunctæ, postulant flagitantque, ut paterna quidem, sed prompta, et efficax enascenti morbo medecina afferatur, patefacto errantibus culpæ horrore, et canonicarum pœnarum, in quas inciderunt, gravitate. Ita enim fiet, ut qui à viâ veritatis recesserunt, resipiscant, et ejuratis erroribus, ad ecclesiam revertantur, quæ veluti benigna mater apertis ulnis regredientes amplectitur; utque cæteri fideles maturè Pseudo-pastorum fraudes evadant, qui aliundè quàm per ostium ad ovile accedentes, nihil quærunt aliud, nisi ut furentur, mactent, et perdant.

Hæc nos antè oculos habentes divina præcepta, vix belli rumorem audivimus, quod *philosophi novatores* in conventu nationali Galliarum simul conjuncti, majoremque partem constituentes, adversùs catholicam religionem excitabant, acerbè quidem deflevimus apud Deum, communicatâque cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, animi nostri anxietate, cùm privatas, tùm publicas preces indiximus. Hinc datis, die 9 julii 1790, ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum regem christianissimum litteris, eum etiam atque etiam hortati fuimus, ut se à *civili constitutione cleri* confirmandâ

confirmandâ abstineret, quæ et nationem in errorem, et in schisma regnum induceret. Nullâ enim ratione fieri poterat, ut politicus hominum cœtus universalem ecclesiæ disciplinam immutaret, sanctorum patrum sententias, et conciliorum decreta pessùmdaret, hierarchicum ordinem everteret, episcoporum electiones arbitratu suo moderaretur, episcopales sedes destrueret, et meliori ablatâ deteriorem formam in ecclesiam inveheret.

Utque hortationes nostræ christianissimi regis animo altiùs insiderent, alias binas dedimus in formâ brevis litteras, die 10 ejusdem mensis, ad ven. fratres archiepiscopos Burdegalensem, ac Viennensem, qui eidem aderant regi, eosque paternè monuimus, ut sua cum nostris consilia conjungerent, ne, si prædictæ constitutioni auctoritas quoque regis accederet, schismaticum regnum ipsum evaderet, schismatici episcopi, qui ad præscriptam decretorum formam crearentur, quos nos ipsi propterea declarare, ut pastores intrusos, omnique carentes ecclesiasticâ jurisdictione teneremur.........

Abstinuisset profectò Rex christianissimus à *constitutione* sanciendâ; sed urgente atque impellente conventu nationali, tandem eò se abripi passus est, ut suam constitutioni auctoritatem adjungeret, quemadmodùm ipsius litteræ die 28 julii, die 6 septembris, et die 16 decembris ad nos datæ præ se ferunt, quibus nos etiam atque etiam rogabat primò, ut quinque, deindè, ut septem, saltem per modum provisionis, probaremus articulos, qui parùm inter se dissimiles totam novæ constitutionis veluti epitomen complectebantur.

Illicò sanè perspeximus, neutros articulos posse à nobis probari, aut tolerari, utpote qui regulis canonicis adversarentur. Nolentes tamen, ut hinc inimici occasionem populorum decipiendorum arriperent, perindè ac si nos ab omni ratione conciliationis ineundæ essemus alieni, volentesque eâdem semper incedere mansuetudinis semitâ, regi declaravimus per nostras litteras die 17 Augusti

gusti ad ipsum datas, articulos hujusmodi nos sedulò perpensuros, et in consilium vocaturos S. R. E. cardinales, qui simul congregati omnia ad trutinam revocarent. Hi porrò cùm simul bis convenissent die 24 septembris, et die 16 decembris, ut primos, et alteros articulos expenderent, habito rerum omnium diligentissimo examine, unanimi consensione putarunt, sententias gallicanorum episcoporum super propositis articulis esse exquirendas, ut canonicam quamdam, si fieri posset, rationem ipsi indigitarent, quam hîc aptè excogitari posse locorum intervalla vetabant, veluti nos ipsi per alias nostras litteras Regi christianissimo antè significaveramus.

Nostrum intereà dolorem, quo vehementer afficiebamur, non levis consolatio lenivit, dùm interim major episcoporum gallicanorum pars suâ sponte pastoralis sui muneris officiis addicta, et amore veritatis incensa, constanter adversabatur ipsi constitutioni, eamque oppugnabat in iis omnibus, quæ ad ecclesiæ regimen pertinerent. Huic autem consolationi nostræ novus quoque cumulus accessit, ubi dilectus filius noster S. R. E. Cardinalis Rupefucaldius, venerabilesque fratres archiepiscopus Aquensis, aliique archiepiscopi, et episcopi ad numerum usque triginta, ut tot tantisque malis occurrerent, ad nos confugerunt, ac die 10 octobris litteris datis, *expositionem* miserunt *super principiis constitutionis cleri*, suo cujusque nomine subscriptam, consiliumque nostrum et opem postulârunt et tutam agendi normam, in quâ conquiescerent, à nobis exquisierunt, tanquàm à communi magistro, et parente. Illud quoque magis magisque nostram consolationem adauxit, quòd alii episcopi benè multi, primis adjuncti, prædictam expositionem amplexi fuerant, ita ut cùm ab episcopis centum triginta et uno istius regni quatuor dumtaxat dissiderent, cùmque tàm ingenti episcoporum numero capitulorum etiam multitudo, et parochorum, sive pastorum secundi

ordinis

ordinis pars major accederet, hujusmodi sanè expositio, concordi animorum consensioue suscepta, totius gallicanæ ecclesiæ doctrina haberetur, et esset.

Equidem nos ipsi nullâ interjectâ morâ tunc operi manus admovimus, omnesque dictæ constitutionis articulos examini subjecimus: sed gallicanæ nationis conventus, quamvis concordes illius ecclesiæ voces audiret, nihilominùs tantùm abfuit, ut ab incœpto desisteret, ut ipsâ magis irritaretur episcoporum constautiâ. Videns itaque, planèque cognoscens, ex metropolitanis, et ex episcopis antiquioribus inventum iri neminem, qui confirmare se posse crederet novos episcopos, *per laicos, per hæreticos, per infideles, et per judæos in municipalibus districtibus electos*, veluti edita decreta imperabant; vidensque insuper absurdam hanc regiminis formam nullo loco posse subsistere, cùm sine episcopis omne ecclesiæ simulacrum evanescat, de aliis magis absurdis edendis decretis cogitavit, quemadmodùm factum est die 15 et 27 novembris, et diebus 3, 4 et 26 januarii 1791. His porro decretis, quibus subindè regiæ etiam auctoritatis robur accessit, cautum est, ut metropolitano, sive antiquiore episcopo consecrare novos electos renuente, quilibet alterius districtûs episcopus eosdem electos consecraret. Quinimò ut unâ operâ, unoque temporis momento, omnes probi episcopi, omnesque pariter parochi, catholicâ religione incensi, dispellerentur, cautum præthereà est, ut cùm primi, tùm secundi ordinis pastores omnes *absque restrictione* jurarent, se constitutionem, quæ jàm edita esset, quæque imposterùm ederetur, servaturos; qui autem id constanter detrectarent, ii non secus haberentur, ac si essent è suo gradu dejecti, eorumque sedes, et parochiæ suo pastore carerent; legitimis autem pastoribus et ministris per vim etiam expulsis, licitum esset municipalibus districtibus ad electionem novorum episcoporum et parochorum procedere; hi vero electi, posthabitis metropolitanis, et antiquioribus episcopis,

episcopis, qui juramentum minimè præstitissent, directorium adire deberent, cui curæ esset *episcopum quemcumque* designare ad illos confimandos et instituendos...

Hæc ipsa decreta in causâ fuerunt, cur Galliarum episcopi, qui egregiis editis lucubrationibus oppugnandam cleri constitutionem susceperant, novas in vulgus *litteras pastorales* ediderint, omnesque industriæ suæ nervos contenderint adversùs ea, quæ circà juramentum, circà depositiones episcoporum, circà sedium episcopalium vacationes, circà novorum pastorum electiones confirmationesque constituebantur. Ex quo factum est, ut, totâ ecclesiâ gallicanâ fatente et consentiente, haberi deberent juramenta civica tanquàm perjuria, ac sacrilegia, non ecclesiasticis modò, sed catholico quovis homine prorsùs indigna, omnesque consequentes actus tanquàm schismatici, pro nullis, irritis, gravioribusque censuris obnoxii.

Hisce cleri gallicani declarationibus, dignâ laude celebrandis, facta responderunt. Episcopi enim ferè omnes, et parochorum pars maxima juramentum præstare invictâ animi constantiâ detrectarunt. Probè tunc agnoverunt religionis inimici, pessima sua consilia omnia in irritum recasura, nisi ALICUJUS EPISCOPI, AUT AMBITIONE DUCTI, AUT IMBECILLIS ANIMUM PERVICISSENT; qui proindè et juramentum de constitutione tuendâ præstaret, et sacrilegas etiam manus ad consecrationes admoveret, ita ut ad schisma inferendum nil ampliùs deesset. Hos inter aliorum malitiâ, et fraude devictos, primus extitit Carolus episcopus Augustodunensis, constitutionis fautor acerrimus, alter fuit Joann. Josephus episcopus Liddæ, tertius Ludovicus episcopus Aurelianensis, quartus Carolus episcopus Vivariensis, quintus cardinalis de Lomenie archiepiscopus Senonensis, ac perpauci secundi ordinis pastores infelicissimi.

Ad cardinalem de Lomenie quod attinet, is, datis ad nos die 25 superioris novembris litteris, juramentum abs se præstitum excusare contendens, illud non esse habendum

dùm *pro animi assensu* affirmabat, seque valdè in ancipiti esse præ se ferebat, nùm electis manus imponere detrectaret, (ut eò usque abstinuerat), nec ne. Cùm verò quàm maximè interesset, ut episcoporum nemo ad electorum consecrationem accederet, utpotè quæ latiorem ad schisma communiret viam, è re visum est nostram ad episcopos responsionem, quæ penè absoluta erat, tantisper intermittere, nullâque interpositâ morâ, die 23 februarii, cardinali rescribere........

His peractis, quæ supremi pastoralis officii nostri ratio postulabat, resumendum per nos fuit responsionis opus, quod jàm laboriosius ac diuturnius evaserat, propter multiplices, quæ se mutuò subindè exceperant, novitates: illudque, Deo adjuvante, absolvere ita valuimus, ut, omnibus articulis ad examen revocatis, neminem prorsùs lateret, novam cleri constitutionem ex nostro, et apostolicæ hujus sedis judicio, quod gallicani episcopi à nobis exquisicrant, quodque Galliarum catholici peroptabant, ex principiis coalescere ab hæresi profectis, adeòque in pluribus decretis hæreticam esse, et catholico dogmati adversantem, in aliis verò sacrilegam, schismaticam, jura primatûs et ecclesiæ evertentem, disciplinæ cùm veteri tùm novæ contrariam, NON ALIO DENIQUE CONSILIO EXCOGITATAM ATQUE VULGATAM, NISI AD CATHOLICAM RELIGIONEM PRORSÙS ABOLENDAM. Ad hanc enim unam profitendam libertas omnis adimitur, legitimi pastores submoventur, bona occupantur; dùm reliquarum sectarum homines in suâ libertate, bonorumque possessione conquiescunt.

Quamvis hæc omnia luculenter demonstravimus, à mansuetudinis tamen viâ minimè recedentes, declaravimus, nos hactenùs continuisse, ne abscissos ab ecclesiâ catholicâ auctores male ominatæ constitutionis civilis cleri declararemus, sed unà simul illud repetere debuimus, quòd, nisi quisque errores, à nobis jàm patefactos, detestetur, (quemadmodùm hæc S. Sedes in hujusmodi

casibus peragere semper consuevit), cogeremur inviti eos omnes schismaticos declarare, qui vel essent *hujusce constitutionis auctores, vel eidem juramento adhærerent*, qui in novos pastores præficerentur, qui electos consecrarent, et qui ab illis consecrarentur; illi enim, quicumque essent, legitimâ missione, et ecclesiæ communione carerent.........

Interim, die 15 ejusdem mensis, adveniente hùc ex Galliâ cursore ordinario, allatum ad nos undique est, die 24 Februarii, Lutetiæ Parisiorum fuisse schismati culmen impositum. Illâ enim die *Augustodunensis* episcopus jàm perjurii crimine infectus, et reus defectionis, ob dimissam auctoritate propriâ, et coram laicis ecclesiam, capituloque suo, omni commendationum laude digno, longè absimilis, conjunctus est Babylonis et Liddæ episcopis; quorum primus à nobis pallii decoratus honore, et vitæ quoque auctus subsidiis, dignum se successorem exhibuit alterius Babylonis episcopi, scilicet *dominici Varlet*, hominis propter schisma ultrajectensis ecclesiæ satis noti: alter verò perjurii item reus, in odium jàm et detestationem bonorum inciderat, eò quòd à rectâ episcopi, capitulique Basileensis ecclesiæ, cujus ille est suffraganeus, doctrinâ dissideret. Illâ igitur die, episcopus Augustodunensis, cooperantibus duobus hisce episcopis, ausus est in ecclesiâ presbyterorum oratorii, irrequisito ordinario, sacrilegas manus imponere *Aloysio Alexandro Expilly*, et *Claudio-Eustachio-Francisco Marolles*; sine ullo apostolicæ sedis mandato, omisso juramento obedientiæ pontifici debitæ, posthabito examine, et fidei confessione præscriptâ in pontificali romano, in omnibus universi orbis ecclesiis servando, cunctisque præterea legibus neglectis, violatis, pessumdatis; licet ignorare non posset, horum primum minùs ritè electum fuisse episcopum *Corisopitensem* contra Corisopitensis capituli iteratas et graves obtestationes, et alterum multò minùs ritè fuisse episcopum ecclesiæ *Suessionensi* datum,

quæ

quæ legitimum pastorem suum vivum atque incolumen habet vener. fratrem Henricum-Josephum-Claudium de Bourdeilles, qui proindè officii sui partes esse putavit, acriter in actum tantæ profanationis invehere, promptâquè allatâ ope suæ diœcesi consulere, quemadmodùm ejusdem litteræ, insequenti mox die 25, in vulgus editæ ipsum fecisse testantur.

Allatum etiam eodem tempore ad nos est, nominatum *Liddæ* episcopum primum crimen novo crimine cumulasse. Die enim 27 ejusdem mensis februarii, sibi novis pseudoepiscopis Expilly et Marolles in socios adjunctis, ausus fuerat in eâdem ecclesiâ sacrilegè consecrare in episcopum *Aquensem* parochum *Saurine*,(a) quamvis hæc etiam ecclesia optimo suo pastore ven. fratre Carolo-Augusto Lequien de la Neufville, læta gaudeat, et perfruatur. Ex quo evenit fortassè, ut idem Liddæ episcopus Joannes-Josephus *Gobel* ad ecclesiam *Parisiensem*, vivo adhuc archiepiscopo, electus fuerit.........

Quale autem judicium fieri de iis debeat qui eligi se, consecrarique permittunt ad illas ecclesias, quæ à suis adhuc reguntur, atque administrantur episcopis, multis antè nos annis à S. Leone egregiè declaratum est; scribens enim *Juliano* episcopo *Coensi* adversùs Theodosium quemdam, qui in sedem Juvenalis episcopi viventis invaserat: *qualis autem sit,* (inquit *cap. IV.) qui in locum episcopi viventis obrepsit, ex ipsâ qualitate facti non potest dubitari, nec ambigendum est, eum esse perversum, quem impugnatores fidei dilexerunt.*

Et, re quidem verâ, quàm meritò abhorruerit semper ecclesia ab illis, qui à laicorum turbâ et colluvione eliguntur, quippè eodem, atque eligentes, falsarum opinionum morbo laborant, satis superque demonstrat delata per eumdem tabellarium ad nos *pastoralis epistola quam pseudo-episcopus Expilly ad imperitiorum deceptionem, die* 25

(a) Vid. p. ... hujus Collectionis.

25 *februarii, edendam curavit, non alio sanè consilio, nisi ut inconsutilem Christi vestem abscinderet.* Hic enim primò juramentis, perjuriis scilicet, quibus se adstrinxit, commemoratis, omnia complectitur fundamenta gallicæ constitutionis, quam ferè de verbo ad verbum exscribit, et sententiis ipsius conventûs inhærens, ad probandum aggreditur, per constitutionem hujusmodi nihil de dogmate detrahi, sed disciplinæ tantùm meliorem formam induci, eamque ad priorum sæculorum puritatem converti in eâ præsertim parte, in quâ populo electiones, amoto clero, et metropolitanis institutiones, consecrationesque redduntur, solis hoc loco *prioribus* gallici conventûs decretis in medium adductis. Utque meliùs fortassè fucum imperitioribus faciat, litteras memorat, die 18 novembris 1790, ad nos datas, perindè ac si cum apostolicâ hâc sede communione teneatur; deindèque ad singulos diœcesis ordines sermonem convertens, hortatur, monetque omnes, ut se tanquàm legitimum pastorem excipiant, et constitutionem ultrò amplectantur.

Væ misero! missis per nos consultò iis, quæ ad civile regimen pertinent, quâ ille temeritate defendendam suscipit constitutionem, super ecclesiasticis rebus versantem, quam omnes ferè gallicanæ ecclesiæ episcopi, aliique plures ecclesiastici viri improbarunt, ac refutarunt, uti dogmati adversantem, et à communi disciplinâ abhorrentem, præsertim in electionibus, et consecrationibus episcoporum? Hanc sanè veritatem, quæ incurrit in oculos, ne ipse quidem dissimulare potuisset, aut obtegere, nisi datâ operâ prætcriisset silentio, quæ *postremò* in conventu gallicano absurdiora decreta prodierunt: ista enim, præter alias improbitates, eò progressa etiam sunt, ut jus instituendi, confirmandique tribuerent cuicumque episcopo, pro directorii arbitrio, ac voluntate.

Videntes itaquè nos ex multiplici tot criminum serie, per Galliarum regnum tam benè de religione meritum, et adeò nobis carum, magis magisque schisma invehi, at-

que

que amplificari, videntesque, hanc ipsam ob causam, novos in dies tàm primi, quàm secundi ordinis pastores indignè eligi, et ministros legitimos de suo loco dejici atque exturbari, eorumque vice rapaces lupos subrogari, non possumus equidem tàm lacrimabili rerum aspectu non commoveri. Ut igitur gliscenti schismati primo quoque tempore obicem opponamus; ut ad officia revocentur errantes; ut boni perstent in proposito, utque religio in florentissimo isto regno servetur, nos consiliis inhærentes venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, et votis obsecundantes totius episcopalis cœtus ecclesiæ gallicanæ, nostrorumque prædecessorum exempla imitantes, apostolicâ, quâ utimur, potestate, tenore præsentium in primis edicimus, ut quotquot sunt S. R. E. cardinales, archiepiscopi, episcopi, abbates, vicarii, canonici, parochi, presbyteri, cunctique ecclesiasticæ militiæ adscripti, sive sæculares, sive regulares, qui *civicum juramentum* purè et simpliciter, proùt à conventu nationali præscriptum fuit, emiserunt, errorum omnium venenatum fontem, et originem, catholicæque gallicanæ ecclesiæ mœroris præcipuam causam, nisi intrà quadraginta dies, ab hâc die numerandos, hujusmodi juramentum retractaverint, à cujuscumque ordinis exercitio *sint suspensi*, et irregularitati obnoxii, si ordines exercuerint.

Insuper peculiariter declaramus, *electiones* prædictorum *Expilly, Marolles, Saurine, Massieu, Lindet, Laurent, Heraudin* et *Gobel* in episcopos, &c.........

Declaramus item ac decernimus, nefarias eorumdem *consecrationes* fuisse, et esse omninò illicitas........

Pariter declaramus, *suspensos esse* ab omni exercitio episcopalis ordinis, *Carolum episcopum Augustodunensem, Joannem-Baptistam episcopum Babylonis, et Joannem-Josephum episcopum Liddæ*, sacrilegos consecratores, seu adsistentes, et suspensos pariter esse ab exercitio sacerdotalis, seu cujuscumque alterius ordinis eos omnes, qui in execrandis hujusmodi consecrationibus *opem, operam, consensum* et *consilium* præstiterunt..........

Ad

Ad præcavenda autem majora mala, tenore, et auctoritate paribus decernimus, et declaramus, *alias omnes electiones*(a) ad Galliarum ecclesias cathedrales, et parochiales, cùm vacuas, tùm multò magis plenas, cùm veteris, tùm fortiùs novæ, et illegitimæ erectionis, ad formam memoratæ constitutionis cleri à municipalium districtuum electoribus usquemodò peractas, quas volumus pro expressis haberi, et quotquot peragentur, irritas, illegitimas, sacrilegas, et prorsùs nullas fuisse, esse, et fore, easque per præsentes, et nunc, pro tunc, rescindimus, delemus, abrogamus; declarantes idcircò, eosdem perperàm nulloque jure electos, aliosque simili modo eligendos ad ecclesias tàm cathedrales, quàm parochiales omni ecclesiasticâ, et spirituali jurisdictione pro animarum regimine carere, atque episcopos illicitè hactenùs consecratos, quos pariter pro nominatis haberi volumus, et in posterùm consecrandos, ab omni exercitio episcopalis ordinis, et parochos nulliter institutos, et instituendos à sacerdotali ministerio esse et fore suspensos; adeòque districtè interdicimus tàm electis, et forsam eligendis in episcopos, ne à quocumque sive metropolitano, sive episcopo ordinem, seu consecrationem episcopalem suscipere audeant, quàm ipsis pseudo-episcopis, eorumque sacrilegis consecratoribus, et aliis omnibus archiepiscopis, et episcopis, ne eosdem frustrà electos et eligendos, consecrare, quovis sub prætextu, et colore præsumant; præcipientes insuper dictis electis, et *eligendis sive in episcopos, sive in parochos, ne ullo modo se pro archiepiscopis, sive episcopis, sive parochis, seu vicariis gerant, aut cujusvis cathedralis, sive parochialis ecclesiæ titulo se nominent, et ne jurisdictionem ullam, proque animarum regimine auctoritatem, facultatemque sibi arrogent, sub pœnâ suspensionis*, et *nullitatis*, à quâ quidem

(a) Procul dubio etiàm, *Electiones* aut, *Nominationes à Napoléone* faciendas, qui fuit dux et imperator istorum *Hæreticorum*, *infidelium Judæorum* (vid. pag. ... hujusce collectionis) uno verbo, *Centrum Unitatis Novatorum Philosophorum Atheorum* hujus temporis, atque etiàm à successoribus ejus faciendas.

quidem suspensionis pœnâ nemo ex hactenùs nominatis poterit unquàm liberari, nisi per nos ipsos, aut per eos, quos apostolica sedes delegarit.........

Eos itaquè nos paternis verbis compellantes hortamur etiam atque etiam, et obsecramus in Domino, ut à ministerio se addicent; ut à perditionis viâ, in quam se dederunt præcipites, pedem referant; et ut nunquàm committant, per homines philosophiâ sæculi hujus imbutos, ea in vulgus diffundi doctrinarum monstra, quæ Christi institutioni, traditionique patrum, et ecclesiæ regulis adversantur. Quandòquidem, si fiet unquàm, ut noster hic mitis agendi modus, et nostræ paternæ monitiones, quod Deus avertat, in irritum sint recasuræ; sciant nostræ mentis non esse, illos à gravioribus iis pœnis liberare, quibus per canones subjiciuntur; sibique certò persuadeant, se per nos anathemati subjectum iri, nosque illos anathemate perculsos ecclesiæ universæ denunciaturos, tanquàm schismaticos, à communione ecclesiæ, nostrâque segregatos. Maximè enim conveniens est, *ut quisquis in insipientiæ suæ luto jacere delegerit, statuta permaneant, et cum eis habeat sortem, quorum est secutus errorem;* ita nos edocente S. Leone prædecessore nostro in epistolâ *ad Julianum episcopum Coensem.*

Vos nunc alloquimur, ven fratres, qui, paucis exceptis, vestrorum ergà gregem officiorum munera probè agnovistis, eaque, humanis rationibus sepositis, palàm professi estis, ibique curas, ac labores majores impendi oportere existimastis, ubi majora pericula ingruebant, &c.........

Ad memoriam itaquè vestram revocamus spiritualis illius conjugii nexum, quo ecclesiis vestris adstricti estis, quodque, non nisi morte, aut apostolicâ nostrâ potést auctoritate, JUXTÀ CANONICAM FORMAM, dissolvi; iis ergò adhærescite, neque illas unquàm derelinquite luporum rapacium arbitrio, adversùs quorum insidias vos jam

sancto

sancto ardore æstuantes et vocem extulistis, et legitimæ autoritatis munia obire non dubitastis.

Ad vos deindè sermonem convertimus, dilecti filii, spectabilium capitulorum canonici.........

Vos etiam affamur, dilecti filii, parochi et pastores secundi ordinis, qui et plurimi numero, et virtute constantes, vestro munere estis perfuncti.........

Vos item alloquimur, dilecti filii, sacerdotes, aliique gallicani cleri ministri, qui in sortem Domini vocati, debetis LEGITIMIS PASTORIBUS adhærere, et esse in fide, ac doctrinâ constantes; quibus nihil esse debet antiquius, quàm ut sacrilegos invasores vitetis ac reprobetis.

Vos tandem in Domino obtestamur, dilecti filii, catholici, qui in regno Galliarum estis universi, vobisque religionem, ac fidem patrum vestrorum commemorantes, intimo cordis affectu suademus, ne ab illâ secedatis, quippè quæ una est ac vera religio, quæ et vitam æternam largitur, et civiles etiam societatis sospitat, atque fortunat. Cavete diligenter, ne aures præbeatis insidiosis vocibus philosophiæ sæculi hujus, quæ mortem parant; et invasores omnes, sive archiepiscopi, sive episcopi, sive parochi appellentur, ita devitate, ut nihil cum illis sit vobis commune, præsertim in divinis, auscultantes assiduè legitimorum voces pastorum, qui vivunt adhuc, quique vobis canonicè præficientur imposterùm; uno deniquè verbo nobis adhærere; nemo enim in ecclesiâ Christi potest esse, nisi capiti ipsius visibili uniatur, et in cathedrâ Petri solidetur. Utque omnes vehementiùs ad sua munera obeunda excitentur, nos à patre cœlesti spiritum consilii, veritatis, et constantiæ in vos implorantes, in paternæ dilectionis pignus, vobis, dilecti filii nostri, ven. fratres, ac dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur,

Datum Romæ apud S. Petrum, die decimâ tertiâ aprilis MDCCXCI, pontificatûs nostri anno decimo septimo.

PIUS qui suprà.

Monitorialis epistola ad episcopum Aleriensem, cæterosque episcopos insulæ Corsicæ.

PIUS PAPA VI.

VENERABILI FRATRI, Joanni, episcopo Aleriensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cùm populi istius regni, aliorum insidiis decepti, *civilem* amplexi sint *gallicani cleri constitutionem*, à conventu nationali profectam, et tùm dogmati, tùm veteri novæque ecclesiæ disciplinæ adversantem, paterna sanè nostra sollicitudo minimè patitur, ut tu, ven. frater, tuæque diœcesis capitula, parochi, clerus ac populus universus ignorent ea officiorum vincula, quibus in suo quisque ordine adstrictus tenetur, nisi malint se *schismati* mancipare, easque pœnas subire, quæ adversùs doctrinæ, disciplinæque corruptores per canones infliguntur. Cùm itaquè istius modi singulorum officia fusè et enucleatè jàm fuerint per nos explicata in nostris litteris ad dilectos filios nostros S. R. E. cardinales, ven. fratres archiepiscopos, ac episcopos, et ad dilectos filios capitula, clerum, populumque regni Galliarum conscriptis, opportunum certè duximus, non nulla harum litterarum exempla tibi mittere, ut minimè te, tuæquo diœcesis gregem universum lateat, quid quemque facere oporteat in hâc ecclesiasticarum rerum perturbatione, ad sacrilegos scelerum conatus, quæ undiquè perpetrantur, avertendos, et ad horribilem tempestatem, quæ in catholicam religionem insurrexit, evitandam. De re profectò agitur, quæ tuum in religionem studium atque ardorem tuum eò magis excitare atque inflammare debet, quò graviora undique ecclesiæ pericula et damna impendent! Eâ spe freti, in quam pastoralis vigilantiæ tuæ persuasio nos inducit, tibi ven. frater, gregique tuæ curæ concredito, apostolicam benedictionem ex animo, ac peramanter impertimur.

 Datum

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annullo piscatoris, die XIII aprilis MDCCXCI, pontificatûs nostri anno XVII.

Eodem exemplo, episcopis Adjacensi, Sagonensi, Nebiensi, Marianensi.

Acta Sanctissimi Domini nostri Pii, divina providentia Papæ Sexti, in consistorio secreto, feria secunda die XVII Junii MDCCXCIII, causa necis illatæ Ludovico XVI, Galliarum Regi Christianissimo.

Venerabiles fratres,

Quare lacrymæ, et singultus verba Nobis non intercipiant? Nonne magis gemitibus, quam ulla voce significandus est immensus ille Animi dolor, quem expromere cogimur, dum Vobis nunciamus, editum Lutetiæ, die vigesima prima Januarii currentis Anni, horrendum illud crudelitatis, atque immanitatis spectaculum.

Per impiorum hominum conspirationem, capitali pœna damnatus est Ludovicus XVI, Rex Christianissimus, et judicium impletum.........

Ferocior pars hujus Populi, sui Regis Imperium detrectasse non contenta, vitam etiam illi eripere cùm vellet, eos esse Judices jussit, qui accusaverant, ac infensum illi animum apertè declaraverant; jamque in ipso judicii aditu repente nequiores aliquot evocati fuerant, ut Condemnantium numerus cæteris prævalcret...

Omittimus, quæ ante supremum supplicium subire, ac pati coactus Rex fuit. Diuturnam nempe in permutatis carceribus custodiam, ex qua nonnisi, ut ad Conventionis cancellos sisteret, interdum ducebatur.........
...cæteraque ad illius aut pœnam, aut ignominiam ærumnarum genera, ad quæ nemo, in quo aliquid humanitatis esset, plane non exhorresceret; cùm præsertim nota, ac perspecta foret omnibus Ludovici indoles, suavis,

vis, benefica, clemens, patiens, amans sui Populi, a rigore, a severitate aliena, erga omnes facilis, et indulgentissima; quâ factum est, ut ad convocanda Regni Comitia, quæ flagitabantur, induceretur, quæque in Regiam Auctoritatem, ac demum in caput suum redundarent. Præterire tamen non possumus, quæ de ejus virtutibus omnes ex ipsius Testamento perspiciunt, propria perscripto manu, ex intimo sui animi sensu, ac ubique typis evulgato. Quanta in eo virtutis species; quantus fuit in Catholicam Religionem ardor animi, quæ veræ in Deum pietatis indicia, qui dolor, quæ pœnitentia, quod, vel invitus, Nomem suum actis disciplinæ, Fideique Orthodoxæ Ecclesiæ contrariis adscripserit! Unde in tot adversis magis in dies ingruentibus rebus cum pene obrueretur, ab ipso usurpari potuit Jacobi I. Britanniæ Regis sententia, cum diceret: "Calumnias spargi contra se in Tribunitiis Concionibus, "non quia crimen aliquod designasset, sed quia Rex erat, quod omni crimine pejus habebatur."………

Et quis unquam dubitare possit, quin ille Rex præcipue interemptus fuerit in odium Fidei, et ex Catholicorum Dogmatum insectatione? Jamdiu erat, cùm Calviniani in Gallia Orthodoxæ Religioni perniciem moliri cœperant: sed parandi prius fuerunt animi, ac impiis imbuendi Doctrinis Populi, quas ex eo tempore per Libellos perfidiæ ac seditionis plenissimos(1) in vulgus spargere non desistebant, ac ad sui propositi societatem perversorum Philosophorum operam adjungebant. Tale tamque perniciosum impietatis artificum scelus Generalis Gallicani

(1) Procès-verbal du Clergé dans l'année 1745. Séance 56, pag. 106. "Les livres à l'usage de la Secte se répandent plus que jamais; ce n'est plus "sourdement, et en cachette, c'est aux Assemblées qu'on les distribue; on "en a débité pour des sommes considérables à deux Assemblées tenues en "Vivarais au mois d'Octobre et de Novembre derniers. Le Catéchisme "d'Ostervald, recommandé récemment dans leur Synode, a été imprimé cette "année à Toulouse."

Gallicani Cleri Conventus anni 1745, deprehenderat.(1) Nosque ipsi jam prævisam ex Pontificatûs Nostri primordio detestandam adeò perfidorum hominum industriam, intentatumque maximum periculum annunciavimus per Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos Ecclesiæ Catholicæ,(2) cùm eos sequentibus verbis hortaremur. " Auferte malum de medio Vestri, id est venenatos libros ab oculis Gregis magna vi, et sedulitate extorquete." Quæ hortationes, ac monita Nostra si successissent, minimè nunc adeò progressam esse *intentatam Regum, Regnorumque perniciem doleremus.* Cum teterrimi illi homines multùm se proficere, jamque adesse tempus sua exequendi consilia agnoscerent, apertè proferre cœperunt in Libro typis edito anno 1787 Assertionem Hugonis Rosarii, seu si quis alius est ejus libri Auctor:(3) " *laudabile nempe esse tollere de medio supremum Principem, qui obsequi Religioni reformatæ non vult, nec in se partes suscipere Protestantium pro eadem Religione.*" Quâ tam iniquâ sententiâ paulo ante declaratâ, quam Ludovicus in vitæ miserrimas incidisset vices, palam omnibus factum est, quæ illius origo fuerit ærumnarum:

---

(1) Procès-verbal, pag. 110. " Leurs Prédicants ont grand soin de les entretenir dans ces idées. Ils osent même publier que ce tems de liberté est veuu; et on sait la témérité qu'a eu l'un d'entr'eux de fabriquer dans le Dauphiné un édit à ce sujet. Témérité qui a en besoin d'être reprimée par la Lettre de Monsieur d'Argenson à Monsieur le premier Président du Parlement de Grenoble..... Ces Prédicants qui dogmatisent impunément dans plusieurs Diocèses, et dont le nombre s'augmente de jour en jour, sont la plupart gens sans choix, sans discipline, et qui manquent même de la Mission requise parmi eux pour prêcher: Plusieurs sont étrangers, et par là même suspects. La plupart de leurs discours tendent moins à inspirer aux Peuples les vérités et la Morale chrétienne qu'une haine cruelle et implacable contre la Religion Catholique. Que peuvent devenir des Peuples crédules et livés à cette espèce de Docteurs?"

(2) 25 Decembris, 1775.

(3) La Défense Civile, et Militaire des Innocens, et de l'Eglise de Christ. Edit. Lugd. 1563.

ærumnarum: idque adeò pro comperto habendum est, tales nimirùm, quales prodibant in Galliâ ex improbis libris, tanquàm ex venenatâ stirpe, processisse fructus; ut in vitâ scelestissimi Voltairii in vulgus editâ scriptum fuerit, æternas illi ab humano genere habendas esse gratias, tanquam primo publicæ revolutionis Auctori, qui cùm Populos ad suas agnoscendas, adhibendasque vires impulisset, effecit, ut formidabile illud dejiceretur Despotismi Propugnaculum, Religiosa nempe, et Sacerdotalis Auctoritas, quâ stante nunquam Tyrannidis, ut dicebant, dissolutum fuisset jugum, cùm utraque mutuis inter se nexibus consistat, alterâque subversâ alterius interitus necessariò consequatur.(1) Hunc illi tanquàm de

(1) Mercure de France du Samedi 7 Août 1790, à Paris, au Bureau du Mercure, Hôtel de Thon, rue des Poitevins, num. 18.

Page 26. dudit Mercure, Vie de Voltaire, par le Marquis de Condorcet, suivie des Mémoires de Voltaire, écrits par lui-même.

"Il me semble du moins qu'il étoit possible de développer davantage les "obligations éternelles que le genre humain doit avoir à Voltaire. Les "circonstances actuelles en fournissoient une belle occasion. Il n'a point "vu tout ce qu'il a fait, mais il a fait tout ce que nous voyons. Les obser-"vateurs éclairés, ceux qui sauront écrire l'Histoire, prouveront à ceux qui "savent réfléchir, que le premier auteur de cette grande révolution qui "étonne l'Europe, et répand de tout côté l'espérance chez les Peuples et "l'inquiétude dans les Cours, c'est, sans contredit, Voltaire. C'est lui qui "a fait tomber la première et la plus formidable barrière du Despotisme, le "pouvoir religieux et Sacerdotal. S'il n'eût pas brisé le joug des Prêtres, "jamais on n'eût brisé celui des Tyrans: L'un et l'autre pesoient ensemble "sur nos têtes, et se tenoient si étroitement, que le premier une fois secoué, "le second devoit l'être bientôt après. L'esprit humain ne s'arrête pas "plus dans son indépendance que dans sa servitude, et c'est Voltaire qui "l'a affranchi en l'accoutumant à juger, sous tous les rapports, ceux qui "l'asservissoient. C'est lui qui a rendu la raison populaire, et si le Peuple "n'eût pas appris à penser, jamais il ne se seroit servi de sa force. C'est la "pensée des Sages qui prépare les révolutions politiques, mais c'est toujours "le bras du Peuple qui les exécute. Il est vrai que sa force peut ensuite "devenir dangereuse pour lui-même; et après lui avoit appris à en faire "usage, il faut lui enseigner à la soumettre à la Loi. Mais ce second ou-"vrage, quoique difficile encore, n'est pourtant pas, à beaucoup près, si long "ni si pénible que le premier."

de sublato Regno, ac disjectâ Religione triumphum jam canentes, impiorum Scriptorum tanquàm Ducum victricium Copiarum, gloriam, ac Nominis splendorem deprædicant. Ac tùm fuit, ut cùm, his artibus, ad suas partes maximam Populi multitudinem illexissent, ad eamdem per omnes Galliæ Provincias, magis, magisque ope, ac promissis lactandam, seu potius illudendam, speciosum illud reperirent Libertatis Nomen, omnesque ad ejus elata insignia, ac vexilla evocarent. Hæc illa nempe Philosophica Libertas est, quæ illuc spectat, ut corrumpantur animi, ut depraventur mores, ut omnis Legum, ac rerum omnium Ordo subvertatur. Eam propterea Gallicani Cleri Conventus fuit detestatus(1) jam in Plebis animos per fallacissimas irrepentem sententias, eam Nos ipsi in memoratâ Encyclicâ hisce Verbis designandam, declarandamque duximus. "Id præterea adgrediun-" tur perditissimi Philosophi, ut quibus homines vinculis " inter se, atque cum Dominantibus conjunguntur, et " in officio continentur, ea omnia dissolvant, liberum " hominem nasci ad nauseam usque clamitant, regerunt-" que, nec cujusquam obnoxium imperio: Societatem " propterea multitudinem esse hominum ineptorum, " quorum se prosternat stupiditas coram Sacerdotibus, a " quibus decipiantur, coram Regibus, à quibus opprimantur; adèo ut Concordia inter Sacerdotium, & Im-" perium nihil sit aliud, quam immanis conspiratio con-" tra insitam homini libertatem." Falso huic àc mendaci Libertatis Nomini illi jactati humani generis Patroni adjunxerunt aliud æque fallax Nomen *Æqualitatis*, inter homines scilicet, qui in civilem societatem coïerunt, quasi

(1) Procès verbal du Clergé, l'année 1745, séance 57, pag. 110. " L'es-" prit d'indépendauce et l'amour d'une liberté ennemie de toute autorité, " ont toujours animé cette Secte; et ont fait connoître dans cette Province " de qnels excès ils sont capables. Ils ne seront bons sujets qu'autant que " la crainte les contiendra."

quasi, illi cum variis obnoxii sint animorum affectionibus, ac in diversos abeant, incertosque pro sua cujusque libidine motus, nemo esse debeat, qui Auctoritate, et vi prævaleat, coerceat, moderetur, ac à perversâ agendi ratione ad officia revocet, ne societas ipsa ex tam temerario, ac inter se adverso plurimarum cupiditarum impetu in Anarchiam decidat, prorsusque dissolvatur; ad instar Harmoniæ, quæ ex plurimorum sonorum consensione componitur, et si non apta chordarum, vocumque temperatione consistat, in perturbatos abit strepitus, ac plane dissonos. Deinceps, cùm se constituissent juxta phrasim S. Hilarii Pictaviensis(1) *præceptorum Emendatores, et Arbitros Religionis, cum Religionis opus, obedientiæ sit officium;* de ipsâ Ecelesiâ, ejusque constituenda ratione nova ac inaudita statuere judicia cœperunt. Ex eâ officinâ prodiit *sacrilega illa Constitutio*, quam Nos in responsione Nostra diei 10 Martii 1791, ad expositionem triginta subscriptorum Episcoporum refutavimus. Quare congruè aptari videtur hîc posse, quod scriptum est a S. Cypriano(2) " quomodo fiat, ut de " Christiano judicent Hæretici, de sano saucii, de inte- " gro vulnerati, de stante lapsi, de Judice rei, de Sacer- " dote sacrilegi ? Quid superest, quam ut Ecclesia Capi- " tolio cedat ?" Qui in diversis Civium Ordinibus adhuc fideles erant, constanterque rejiciebant *novæ Constitutioni* jurejurando se obstringere, ad infortunia statim, ac ad necem destinabantur : itum est repentè in promiscuas eorum cædes, sævitum in Ecclesiasticos quamplurimos, occisi Episcopi, qui quanta devotione, et reverentia colendi sint, exemplo suo docuit Christus Dominus, qui referente

(1) Lib. 1. de Trinit. num. 15 pag. 775. Edit. Paris. Maurin.

(2) Epist. 55. ad Cornel. de Fortunat., et Felicissim. contrà Hæreticos juxtà recent. Edit. Maurin. Paris. 1726.

referente S. Cypriano (1) "usque ad Passionis diem servavit "honorem Pontificibus, et Sacerdotibus, quamvis illi, "nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent." Fuit demum ex quovis hominum cœtu interempta multitudo. Quorum mitior pœna fuit, è patriis sedibus, sine ullo discrimine ætatis, sexûs, conditionis in exteras Regiones ejiciebantur. Etsi verò decretum esset, ut quisque liberè, quam vellet, Religionem exercere posset, quasi per quamlibet pateret ad æternam salutem via, (2) sola tamen vetabatur Catholica Religio, sola, tanquam capitalis criminis pœnas effuso per fora, per vias, per domos sanguine luebat, nequè aliquos exteræ Ditiones, ad quas confugerant, tutari poterant, cum ibidem deprehensi, ac dolis, perfidiâque decepti, mactarentur. Sed hæc Hæresum natura est, hic mos Hæreticorum jam ab antiquis Ecclesiæ sæculis exortus, (3) ac præ ceteris Tyrannico Calvinianorum

(1) Epist. 65. ad Rogatian. juxta ultim. Edit. Maurin.

(2) Reipublic. Christian. lib. 2. ca. 1. n. 10. "Sola Religio, ac Fides "Catholica Romana est, quam Princeps acceptare, conservare, et omnibus "viribus defendere debet, si se, suosque salvos velit. Illi qui secus sen- "tiunt, ac libertatem Religionis esse volunt fortunæ Cœlo destinantur, cum "Atheis, et Politicis.—Nihil stultius quam asserere quemque in sua Reli- "gione salvari posse. Frustrà enim venisset Christus Dominus docere nos "veram in se fidem, frustrà instituta tot Concilia, ac damnatæ Hæreses, si "quisque in sua Religione salvari posset. Et quomodo contrariis viis ince- "dentes ad eumdem pervenient terminum? Religiones autem pleræque "inter se contrariæ, etiam illæ, quæ Christum confitentur, invicem se pro- "scribunt, et exterminant. Quomodo consistit Respublica nullo certo Re- "ligionis vinculo colligata? Ex diversitate Religionum procedunt odia, "oritur diffidentia, nutritur invidia, fiunt separationes, seditiones, per di- "versa conventicula exsurgunt novitates, obedientia tollitur, quia quælibet "Religio suos Superiores eligit, et sibi adversis parere sacrilegium judicat, "bella concitantur, ut infinitis exemplis constat. Itaque insulsum, et ridi- "culum est, quod contendunt Politici, vel Hæretici, libertatem Religionis, "vel conscientiæ cuique relinquendam, quam tamen ipsi non relinquunt, ubi "prædominantur."

(3) Dissert. 2. in Irenæi libros, num. 7. pag. 79. Edit. Maurin. referuntur crudelitates Cataphrygum peractæ, Lugdun. et Vienn.

Calvinianorum(1) præcipue in Gallia confirmatus usu, vi, ac minis omnes in suos sensus impellentium.

Ex hac apud Gallos incœptarum impietatum nunquàm interruptâ serie, cui non perspectum plane sit, odio in Religionem primas acceptas referri partes earum machinationum, per quas *omnis nunc exagitatur, et convellitur Europa*, ac exinde inficiari nemo possit ipsi mortem illatam esse Ludovico?

In eum illi quidem plurima cumulare conati sunt ex politicis rationibus deducta crimina, inter quæ tamen præcipua eminet firmitas animi, quâ Decretum de ejiciendis in exilium Catholicis Presbyteris(2) approbare, ac sancire noluit, itemque ejusdem Epistola ad Claromontanum Præsulem nunciantis, sibi constitutum esse, statim ac posset, Catholicum in Galliam cultum restituere.(3)...

Ab

S. Athanasius in Apolog. contra Arianos num. 33, et in Apolog. de fugâ suâ num. 3, et num. 6, et 7. Tom. 1. part 1. Oper. Edit. Maurin. pag. 151, et pag. 321. et 323. describit crudelitates Arianorum.

S. Hieronymus Epist. 127. num. 9. Tom. 1. Oper. col. 951. Edit. Vallars, narrat crudelitates Origenistarum.

S. August. Epist. 50. Tom. 2. Oper. col. 116. Edit. Maurin. Epist. 111. Tom. eodem col. 319. Epist. 134. col. 397. Idem contra Crescon. lib. 3. cap. 43. num 39. tom. 9. col. 459. refert crudelitates Donatistarum.

(1) Nicol. Coeffeteau pro Sacr. Monarchia Eccles. Catholic. in Præfat. Tom. 1. pag. 2. " Successit Luthero Calvinus, procelia Galliæ, turbo pacis.... " sanguinariam ille condidit sectam, quæ florentibus Galliæ rebus cristas " erigere haud ausa, tandem per teneram Francisci II. et Caroli IX. æta- " tem grassandi occasionem nacta, Christianissimum Regnum bellis civilibus " attrivit. Ubi enim in florentissimo Regno illa desævit tempestas, æquata. " Solo templa, eversa altaria, effossa sepulcra, trucidati Dei Sacerdotes, " stupratæ sacræ Virgines, supplicia Catholicis illata, strages editæ, et Rex " ipse Carol. IX., non solùm insidiis appetitus, sed et aperta vi oppugna- " tus est."

Gabut. de vit. et reb. gest. S. Pii V. lib. 2. cap. 7. fusius describit hostiles barbarasque impietates, à Calvinianis commissas.

Nicol. Bailly. Histor. Vit. Emund. Auger. lib. 1. cap. 7.

(2) Deseze, defense, pag. 29. et 30.

(3) Citat. defens., pag. 30.

Ah Gallia, Gallia! à Prædecessoribus Nostris appellata "totiûs Christianitatis speculum, et immotum fidei firmamentum, utpote quæ in fervore fidei Christianæ, ac "devotione Apostolicæ Sedis, non sequeris alias, sed antecedis."(1) Quàm hodiè aversa à Nobis es, quàm hostili in veram Religionem animo, ac inter omnes, qui unquam fuerunt ejusdem Insectatores infestissima! et tamen ignorare, etsi velis, non potes, quod tutela, et soliditas Regnorum est Fidei Religio, utpote quæ et Potestatum abusus, et Subjectorum licentiam comprimit; atque hanc ob causam invidi hostes Regalium Potestatum, ut eas dejiciant, ad subvertendam Catholicam fidem adspirant.(2)

Ah iterùm Gallia! Tu quæ Regem tibi dari Catholicum postulasti, quia Leges fundamentales Regni, non alium Regem, nisi Catholicum patiebantur; (3) en hodie, quem habebas Catholicum Regem, ob id ipsum, quod Catholicus esset, occidisti!

Tantus porrò fuit ille tuus in Regem furor, ut nec ipsâ illius cæde satiatus quiescerct. In mortuum etiam, in ejusque exanime Corpus sævire voluisti; inhonoratâ siquidem mandasti Cadaver ipsum inferri, humarique sepulturâ.(4)

Sed

(1) Gregor. IX. ad Rhemense, Parisiense, aliaque Canonicor. Collegia apud Raynald. ad Ann. 1227. num. 9.

Alexander III. ad Ludovic. VII. Junior., apud Duchesne Tom. 4. Scriptor. Histor. Francor. pag. 595.

Innocent. III. Philippo Augusto Reg. Francor., Epist. 64. Tom. 1, Epistolar, edit. Baluz. pag. 717.

(2) B. Gregor. X. In Epist. ad Alphonsum Regem Lusitaniæ penes Raynald. ad Ann. 1273. § 25.

(3) Not. ad Natal. Alexand. Histor. Eccles. Sæcul. XV. et XVI. Artic. II. post Schol. Tom. 9. pag. 229. Edit. Venet. Ann. 1778.

(4) Vera imparziale Relazione dell'Assassinio ordinato dalla Convenzione Nazionale, cavata dal Fogli, usciti di Francia. Edizione fatta in Milano, dal Veladini, pag. XII.

Sed quid proficere, quidque consequi ab illo possumus Populo, qui non solùm monita Nostra contempsit, sed gravissimis in Nos insultavit offensionibus, usurpationibus, injuriis, et calumniis, eòque audaciæ, ac insaniæ processit, ut fictas componeret, et eorum erroribus accommodatas Litteras sub nostro Nomine. Sinamus igitur illum esse, quoniam ita libet, in suâ miserrimâ pravitate pertinacem, confidamusque innoxium Ludovici Sanguinem clamare quodammodo, atque orare, ut suam ille agnoscat, damnetque in aggerandis delictis pervicaciam, et consideret acerbissimarum pœnarum genera, quæ Deus vindex scelerum justissimus, Populis solet ob minùs gravia perpetrata commissa, infligere.

Ex Responsione Summi Pontificis PII SEXTI quæ sic incipit: Constantiam Vestram, &c. ad Epistolam quorumdam Episcoporum gallorum, qui Apostolicum peregrinum congratulati erant super Exilium ejus, in Cœnobio Carthusianorum, propè Florentiam in Etruriâ, et quorum hæc sunt verba:

("Beatissime Pater,"

"Ut primùm hoc nefando Schismate, quod apud Nos 'invexit illa recens eversionum lues tàm Altaribus ipsis, "quàm Soliis Regum et imperiis infensissima, dilace-"ratam se sensit Ecclesia Gallicana, non stetit in am-"biguo, quin protinùs ad eum, cui donatum est con-"firmare Fratres suos, fidenter confugeret.........

"Quid Nobis lugendum magis, quàm quod de nostrâ "Galliâ quæ nuper Regem suum et christianissimum et "Ecclesiæ natû majorem appellare gloriabatur, eru-"perint Homines, qui per debacchantem impiæ Philo-"sophiæ dementiam, subitò evaserint Gothis et Vandalis "ipsis immanitate crudeliores! Quî fieri potuit, ut Ho-"mines longo religionis aut saltem innatæ cujusdam "humanitatis usû informati, citiùs, quàm incultæ et

 "hispidæ

" hispidæ naturâ Nationes, eum exuerint reverentiæ
" sensum, quem vi blandâ sibi attrahere videbatur venerabilis Pastor, in quo similis Majestas, augusta Frons, Dignitatis Splendor, tot pacificæ Dotes, constans et elata Mens in adversis, virtutum denique omnium sacer comitatus cœleste quoddam et divinum spirabant?.........)

PIUS PAPA VI.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, &c.

VENERABILES FRATRES, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Constantiam vestram in Ecclesiæ unitate tuendâ, tantisque in laboribus ob Catholicam Fidem perferendis et universus terrarum orbis suspexit, et nos, pro pastorali Apostolatûs nostri munere, non uno sed pluribus paternæ sollicitudinis nostræ testimoniis semper confirmandam curavimus. Nullæ si quidem litteræ à vobis pervenerunt ad nos, quibus non ita semper responderi jusserimus, ut intelligeretis simúl, et quo loco haberemus admirabilem virtutem vestram, et quanto dolore afficeremur ob gravissimas ærumnas, quibus jactabamini, et quàm vehementer solari vos atque in virtute Domini nostri Jesu Christi confortare atque erigere animos vestros studeremus. Quam significationem paternæ caritatis, quâ vos cæterosque invictos Dei Confessores, venerabiles fratres nostros semper complexi sumus, si antea dedimus vobis, multò nunc magis ad consolandos et confirmandos animos vestros dandam censemus, cum videamus vos magnitudinem ac diuturnitatem ærumnarum vestrarum oblitos, tanto in mærore metuque versari propter eas, quibus Deus, per summam misericordiam suam, ad salutem nostram operandam in nobis, dignos nos habuit. In quo tamen si de Ecclesiæ periculo in periculo nostro timetis, laudamus nos quidem sollicitudinem vestram; sed simul tribulationis vim, quâ pressi estis,

estis, agnoscimus, quæ facit ut, cum tot Dei promissis Ecclesiam nunquam defecturam, semperque in tribulationibus florentiorem fore sciatis, vacui tamen metu de illius periculo in discrimine nostro esse non possitis. Si verò quæ nos ipsi patimur sollicitos habent vos, propter eam ægritudinem, quâ animum nostrum in hoc exilio confectum arbitramini, grati nos quidem sumus càritati in nos vestræ; verumtamen vos cum Apostolo obsecramus, ne angustiemini in nobis, nec deficiatis in tribulationibus nostris; fieri enim non potest ut, quamvis tot adversa feramus, ullâ animi ægritudine conficiamur, scientes nullâ aliâ in re tantam gloriam inesse, quantam his in laboribus, quibus, Deo sic permittente, jactati sumus.

Neque verò cùm gloriam dicimus, eam dicimus, quæ est illis promissa à Deo, qui ab hominibus ejecti, spoliati, exprobrati, maledicti, propter nomen Christi persecutionem patientur, qui, ne capillo quidem capitis deperdito, copiosam mercedem in cælis possidebunt; neque illam, quam eos manere scitis, quorum vita nunc reputatur insania et finis sine honore, qui tamen inter sanctos sortem habebunt, et inter filios Dei computabuntur; verùm eam gloriam dicimus, quâ, hoc ipso tempore, cumulamur à Deo, dum tot his ærumnis ac contumeliis perferendis spectaculum mundo, Angelis et hominibus facti sumus pro Christo.........

Hâc cogitatione, Venerabiles Fratres, ita mirificè et consolatur et corroborat infirmitatem hanc nostram Deus, ut non eas solùm, quas ferimus, sed multò etiam majores tribulationes perferre desideremus, dummodo et propter justitiam et propter Christum eas perferre debeamus, et tot hisce laboribus non ad animæ nostræ interitum, sed ad emendationem et probationem nostram, tanquam Filii Deo non despecti exerceamur.

Quod si non peculiare nostrum tantummodo sed commune etiam Ecclesiæ bonum consideremus, deest-ne nobis

nobis quò ad eas calamitates, non solùm in omni patientiâ, verùm etiam in gaudio et gratiarum actione sustinendas, animos nostros erigamus? Non ii vos estis, Fratres Venerabiles, qui docendi à nobis sitis, quàm alienis atque adeò quàm abhorrentibus ab humanâ ratione consiliis, ad demonstrandam omnipotentiæ suæ vim, qui *infirma mundi eligit ut confundat fortia*, Ecclesiam suam constituerit, eamque ad hanc, quam miramur, amplitudinem auxerit. Scitis sanè, ut à cruce atque à suppliciis initia, à contumeliâ gloriam, ab errorum tenebris lucem, ab oppugnatione incrementa, à jacturis ac cladibus stabilitatem eam voluerit habere, ut nunquam magis gloriosa ea fuerit, quàm cum minùs gloriosam eam efficere homines sunt conati; nunquam magis secura, quàm cum vehementioribus persecutionum procellis periculosius fuit ab inimicis suis agitata. Quam ob causam Noëmicæ illi arcæ à sanctis Patribus comparatur, quæ eò securiùs super naufragantis orbis undas assurgebat, quò furentioribus imbrium ac ventorum viribus obrui demergique videbatur. Nostis etiam quemadmodum ea continenter per trecentos annos vexata, facultatum rapinas, contumelias, carcerem, catenas, exilia, cruces, flammas, carnificinas perpessa, Pontificum fermè omnium, Episcoporum ac Martyrum infinitorum sanguine cruentata, fide, patientiâ, mansuetudine suâ Tyrannorum crudelitatem delassaverit, superstitionem deleverit, et à mari usque ad mare crucis gloriam victrix propagaverit, eosdemque religionis fines ac orbis terrarum fecerit.........

Quæ primis temporibus ad Ecclesiam auspicandam ac propagandam facta sunt, eadem ad ipsam ornandam atque amplificandam, consequentibus subindè annis, scitis accidisse. Nota omnibus sunt sacrilega illa contra Ecclesiam bella hæreticorum, notæ execrabiles immanitates, nota odia impetusque illi acerrimi, quibus ejus unitatem dissolvere, integritatem violare, majestatem minuere

minuere acerbissimi illi hostes conati sunt, à quibus profectò, si ullis hominum aut inferorum dolis ac viribus Ecclesia posset exscindi, omnia exitia ei fuissent metuenda.........

Quid proficere contra Ecclesiam ejusque doctrinam acerbissimi hostes potuere?.........

Quorsùm, Venerabiles Fratres, hæc ad vos scribimus? Non certè ut doceamus vos, quorum cum constantiam et fidem, tum præcipuè sapientiam singularem semper mirati sumus; sed ut rerum tam admirandarum recordatione cum vos, tum nosmetipsos consolemur, simulque ut, omni mærore deposito, ex tot adversis, quæ patimur, ea nobis etiam bona polliceamur, quæ in Ecclesiam semper sunt ex adversis profecta; eaque tantò nobis ampliora atque uberiora polliceamur, quantò gravior acerbiorque tribulatio hæc est, quàm cæteræ ullæ fuerunt, à quibus novimus jactatam olim Ecclesiam fuisse ac perturbatam.

Quanquam verò quid de futuris Ecclesiæ bonis cogitamus, cùm jam præsentibus perfruamur? Anne verò adeò parva aut pauca istæc bona sunt, ut ea jam cognoscere nequeamus? Profectò si nihil aliud ex hisce laboribus, quibus premimur, consecutam jam esse Ecclesiam videremus, nisi quod, in tanto hoc rei Christianæ motu, evangelica illa (quæ tandiu ad ejus securitatem à bonis omnibus desiderabatur) zizaniorum à tritico, palearum à frumento facta sit segregatio, nisi quod manifesti facti sunt ii, qui, cum intrinsecùs essent luci rapaces, induti pellibus ovium in Ecclesiâ latebant, et quas insidias ei apertè non poterant, eas occultè machinabantur, quorum malitia et fraus, nisi hæc ipsa mala accidissent, semper inter nos ad sanctitatem Ecclesiæ fædandam, moresque bonorum depravandos, occultè latuissent; parva-ne Ecclesiæ utilitas hæc esset putanda?

Quid verò illud, quod ex funestissimis fructibus ejus, quibus fermè universus orbis interiit, cognitum est tandem

dem aliquando, quod (nequicquam vobis et nobis clamantibus) adhuc ab hominibus cognosci noluit, quid velit, quò spectet, quid propositum habeat sibi *perversa illa*, quæ tam invalescit ac dominatur *sapientia*, cujus ex veneficiis omnes gentes erraverunt, quæ in nomen invadens philosophiæ, non se religionis virtutisque magistram præbet, (quod esset proprium Christianæ germanæque sapientiæ,) sed omnis impietatis, licentiæ, cupiditatis, perfidiæ, libidinis artifex, omnium calamitatum, dolorum, exitiorum parens, ad humana ac divina quæque subvertenda sese excogitatam esse patefacit. Quam illa plagam ex hâc ipsâ nostrâ, atque adeò ex hâc orbis terrarum universi calamitate accepisse putanda est; cùm ex iis tantis luctibus, quibus per eam genus humanum funestatum est, atque in dies graviùs funestatur, exitiosa ejus consilia innotuerint, et crudeles machinationes sint intellectæ.

En cur illæ inter Ecclesiasticam et civilem potestatem tot excitatæ dissentiones? en cur in suspicionem apud potentes vocata Ecclesiæ autoritas, opes in invidiam, libertas in captivitatem, nimirum ut Ecclesiæ præsidiis generi humano subtractis, impietatis trophæa in deflagratæ Religionis cineribus, si fieri posset, ad perditionem orbis terrarum universi constituerentur?

Quid, quod dùm, qui ex nostris non erant, omni simulatione depositâ, non modò se à nobis segregaverunt, sed *etiam caracterem bestiæ in frontibus suis præferentes cum Agno pugnaverunt*, bellumque acerbissimum contrà Ecclesiam gesserunt, cæteri, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, ita ad omnem sanctitatem exarserunt, ut ne, tunc quidem cùm temporibus pacatissimis uteretur Ecclesia, tam aperta in Christianis gregibus religio, tam firma fides, tam inflammata caritas fuerit unquam perspecta. Quod cùm de gregibus Galliæ universis, tum etiam de cæteris ac præcipuè de Romano nostro, non sine magnâ animi jucunditate, audimus; qui, ut S. Jo-

annes Chrysostomus in primis illis temporibus meminit accidisse, etiamsi pastoribus suis spoliati fuerint, tamen ob eam fidem, quâ se probaverunt Ecclesiæ, Deo in custodiam ipsorum vigilante, carere pastoribus suis nullo modo sunt visi. Versutus Diabolus atque ad struendas aptus insidias existimabat, si pastores sustulisset, ovilia se facilè direpturum; sed qui comprehendit astutos in eorum astutiâ, ostendens Ecclesias suas non ab hominibus gubernari, verùm eos, qui in ipsum credunt, semper à se regi, id fieri permittebat, ut, cùm cerneret, rectoribus sublatis, non tamen Ecclesiam deleri, nec veritatis prædicationem extingui, sed potiùs augeri, ex rebus ipsis et ipse et qui ei inserviebant, omnes intelligerent Christianam disciplinam non ab hominibus pendere, sed in cœlis radices agere, Deumque esse qui Ecclesiam ubique tueretur.........

Plura quidem essent, quæ ad confirmandos animos vestros, Venerabiles Fratres, vobis haberemus scribenda; sed præterquam quod modum Epistolæ excedere nolumus, ea est enim jam satis progressa; tanta est virtus vestra in hâc tribulatione perferendâ, ut non nostra à vobis, sed à nobis atque ab omnibus vestra fidei, constantiæ ac sanctitatis exempla sint petenda. Itaque finem faciemus cum sancto Joanne Chrysostomo, qui in simili causâ cùm esset, et pari tribulatione pro Ecclesiâ premeretur, iis verbis fidem et constantiam præferentibus mærentem ac pavitantem gregem suum est consolatus: "Multi fluctus urgent nos gravesque procellæ, sed "non timemus ne submergamur, nàm in petrâ consisti- "mus. Sæviat mare, petram dissolvere nequit: Insur- "gant fluctus, Jesu navigium demergere non possunt. "Quid, quæso, timeamus? Mortemne? *Mihi vivere "Christus est et mori lucrum.* An exilium, dic mihi? "*Domini est terra et plenitudo ejus.* An facultatum pub- "licationes? *Nihil intulimus in hunc mundum, certum- "que est nos nihil hinc efferre posse:* terribilia quæque

"hujus

" hujus mundi mihi despectui sunt, et bona risu " digna. Non paupertatem timeo, non divitias concu- " pisco; non mortem metuo, non vivere opto, nisi ad " profectum vestrum. Ideò præsentia commemoro, ro- " goque caritatem vestram, ut fiduciam habeat. Nullus " quippè nos separare poterit: *quod Deus conjunxit homo* " *non separet.* Si nuptias non potes dirimere, quantò " minùs Ecclesiam Dei potes dissolvere? Sed eam op- " pugnas, cùm nihil possit lædere eum quem impetis; " verùm me reddes splendidiorem, tuamque vim mecum " pugnando dejicies. Durum namque tibi est contra " stimulum acutum calcitrare; non obtundes stimulos, " imò sanguine pedes inficies, quandoquidem fluctus non " petram dissolvunt, sed ipsi in spumam dissolvuntur. " Nihil Ecclesiâ potentius, ô homo: bellum solve, ne " robur dissolvas tuum. Ne inferas cælo bellum. Si " homini bellum inferas, aut vinces, aut superaberis; si " Ecclesiam oppugnas, vincere nequis, omnibus quippe " fortior est Deus. *An æmulamur Dominum?* An for- " tiores illo sumus? Deus fixit et firmavit, quis concu- " tere tentaverit? Non nosti virtutem ejus, *respicit ter-* " *ram et facit eam tremere:* imperat, et quæ concutie- " bantur firma consistunt. Si concussum orbem firma- " vit, multò magis Ecclesiam firmare poterit. Ecclesia " est ipso cælo fortior. *Cælum et terra transibunt, verba* " *autem mea non transibunt.* Quæ verba! *Tu es Petrus,* " *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et* " *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*"

Quod de novis pietatis testimoniis scripsistis, Venerabiles Fratres, quibus Clementissimus Angliæ Rex ornare vos pergit, gratissimum nobis est: qui, per eas litteras, quas ad singulos vestros dari jussit, significavit vobis se eâ lege, quâ peregrini omnes ex Angliâ exire jussi sunt, exemptos vos velle. Quod testimonium honorificentissimum ab Humanissimo Rege tributum fidei ac sanctitati vestræ, si vobis, qui accepistis, tam gloriosum est; quantò

Illi

Illi magis à quo vobis est datum? Quo etiam vehementiùs lætati sumus. Cui Regi quidem cùm pro maximis beneficiis, quæ in vos contulit, eam gratiam quam habemus referre nullo modo possumus, Deum remuneratorem rogamus, ut ipse pro suâ largitate referat. Quod si impetramus, nihil erit ampliùs, quod ad summam Principis Clementissimi ejusque regni universi felicitatem à nobis vobisque optari possit.

Valete, Venerabiles Fratres, et clarissimis exemplis virtutis vestræ unà cum cæteris fratribus dispersis et in tribulatione positis Ecclesiam Dei ornare pergite: ad quos etiam si has litteras nostras miseritis, gratissimum nobis erit. Eo enim animo scripsimus, ut per eas non vos solùm, sed illos etiam confortare et consolari desideremus. Omnes enim in sinu gerimus, omnibusque pacem et gaudium à Domino nostro Jesu Christo apprecamur, et Apostolicam Benedictionem pignus paternæ caritatis nostræ amantissimè impertimur.

Dat. ex Cænob. Cart. propè Florent. 10 Novemb. MDCCXCVIII, Pontificatûs nostri anno vigesimo quarto.

(Sig.) PIUS qui Suprà.

JOSEPHUS MAROTTUS, S. S. D.
Ab Epistolis Latinis.

FINIS.

COLLECTIO

BULLARUM, BREVIUM, ALLOCUTIONUM,

PII VII,

ALIORUMQUE SCRIPTORUM, VARIA EJUS CONCORDATA

INITA, SPECTANTIUM, &c.

LITTERÆ APOSTOLICÆ,

QUIBUS

Ab Episcopis Gallicanis resignationem Sedium episcopalium, intrà decem Dies, sublatá cujuslibet responsi dilatorii facultate, in manibus Suis fieri postulat PIUS VII, (vid. p. 7, Expostulation., edition. Londin.)

Tàm multa ac tàm præclara.........

Cùm igitur nunc in ea verè tempora incidérimus, in quibus *libera* sedium vestrarum abdicatio omninò *ad Catholicæ* Religionis bonum necessaria sit, minimè dubitare possumus, quin hoc obsequium Deo præstituri sitis......Certi......Vos, lectis Epistolis Nostris, ad augenda vestra in Ecclesiam promerita, *ad Ejusque unitatem in Galliâ conservandam* nullâ cunctatione interpositâ, Nostris hortationibus plenâ docilitate obsecuturos......Pro certo habemus, vos, prompto libentique animo monitis Nostris obsecuturos quibus *ad Ecclesiæ bonum constituendum,* tantâ animi contentione urgere cogimur virtutem vestram: præsertim cùm vos, quâ estis sapientiâ, cognoscere debeatis, renuentibus vobis obsequi postulationibus Nostris, ne unitati conservandæ, Catholicæ Religionis, Ecclesiæque tranquillitati restituendæ obstacula ulla per Nos in Galliâ opponantur: (dolenter dicimus, sed tamen tanto impendente Rei christianæ periculo, à Nobis est omninò dicendum) ad ea necessariò à Nobis veniendum fore, quibus et omnia impedimenta tolli, et id tantùm boni consequi omninò Religio possit.........

Ità vos persuasos esse arbitramur, ut minimè necessarium putemus pluribus explicare vobis, nihil prætermissum fuisse à Nobis quo tantam doloris acerbitatem à vobis prohiberemus.........

Cogimur, *urgente temporum necessitate, quæ in Nos vim suam exercet*......magno dolore fatendum est, nullas

nostras

nostras sollicitudines, nullos labores pares resistendo *temporum necessitati fuisse, cui parere omninò coacti fuimus.........*

Datum Romæ, die 15 Aug. MDCCCI, Pontificatûs Nostri anno secundo.

PIUS VII.

Epistola prima à quatuordecim Episcopis Gallicanis, Londini commorantibus ad Pium VII scripta, die 27 Septembris 1801.

Beatissime Pater,

Gravissimam, quæ mentes nostras pervasit anxietatem ubi primùm litteræ à Sanctitate Vestrâ die decimâ quintâ Augusti 1801, pontificatus sui anno secundo datæ ad nos pervenerunt, apud beatitudinem vestram non dissimulabimus. Quæ sanè tanta est, ut nos, cùm cœterùm nihil altiùs nobis sedeat, vel magis in votis sit, quàm ut Paternitatis Vestræ consilia nostris semper, quantùm in nobis est, studiis provehamus, nunc tamen non modo incertos fluctuantesque habeat, verùm etiam ab hujusmodi obsequio vel invitos temperare cogat.

Harum litterarum ea vis est, ut si id fiat, quod fieri debere sanciunt, uno eodemque temporis momento vacuæ relinquantur omnes, quotquot in Gallia sunt, episcopales sedes. Quonam verò pacto repentina hæc omnium latissimi hujus imperii ecclesiarum viduitas salutarem illum unitatis servandæ, ac restituendæ per Gallias catholicæ religionis effectum paritura sit, nec docet nos sanctitas vestra, nec ipsi nos, ut quod verum est liberè fateamur, satis hactenùs pervidemus. Sanè ipsa calamitatum omnium, quibus patria nostra à multis jam annis conflictatur experientia satis ostendit, non immeritò à nobis timeri, ne ex hâc simultaneâ atque universali ecclesiarum omnium orbitate graviora adhùc incommoda in rem catholicam deriventur, quibus quidem præcavendis

præcavendis viam Sanctitati Vestræ aperire, ad solùm universorum Gallicanæ ecclesiæ episcoporum conventum pertinet.

Neque verò id sic dictum volumus, quasi nobis grave vel molestum esse videatur, luctuosis hisce ærumnosisque temporibus, gradu cedere. Quin potiùs ad solatium uniuscujusque nostrûm, privatamque singulorum felicitatem conducere quàm maximè possit, infirmitatem nostram tanto onere levari, si quid jam de felicitate, si quid de solatio cogitare adhuc liceret, fractis scilicet tot malorum pondere animis. Sed officii nostri ratio postulare omninò nobis videtur, ne sacrum illud vinculum quod nos, ecclesiasque sollicitudini nostræ Dei Optimi Maximi providentiâ immediatè commissas semel junxit, facilè unquàm abrumpi patiamur.

Rogamus enixè Sanctitatem Vestram, quatenùs nobis, transmisso quam primùm scripto aliquo, argumenta, cur ità nobis statuendum duxerimus, omnemque consilii nostri rationem aperire, ac paulò fusiùs prosequi liceat. Intereà verò paterno Vestræ in nos Sanctitatis affectu summoperè confisi, futurum id speramus, ut nihil ulteriùs super hoc negotio definiat, quin priùs momenta, quibus Filii apud piissimum Patrem causam agent; pro eâ, quæ apud ipsam summa est, æquitate ac prudentiâ libraverit.

Provoluti ad genua beatitudinis vestræ, apostolicam benedictionem toto mentis affectu postulamus.

Sanctitatis Vestræ,

Devotissimi et obsequentissimi filii.

Ita signatum,

† Arth. Rich. Archiep. et Primas Narbonensis. S^ti Spiritûs Ordinis Commendator.

† Ludovic. Episcop. Atrebatensis.

† Joseph. Franc. Episcop. Montispessulani.

 † Ludovic.

† Ludovic. And. de Grimaldi, Episcop. Com. Noviomensis, par Franciæ.
† Joan. Franc. Episcop. Leonensis.
† Emm. Lud. Episcop. Petrocorensis.
† Petr. Aug. Episcop. Abrincensis.
† Sebast. Mich. Episcop. Venetensis.
† Henr. Episcop. Ucetiensis.
† Seignelaius, Episcop. Ruthenensis.
† Car. Eutrop. Episcop. Nannetensis.
† Philipp. Franc. Episcop. Engolismensis.
† Alexand. Henr. Episcop. Lombariensis.
Steph. Joan. Bap. Lud. Episcop. nominatus Molinensis.

Londini, 27ª. *Septembris* 1801.

Epistola PII VII *ad Archiep. Narbonnensem.*

PIUS P.P. VII.

Venerabilis Frater,

Salutem et apostolicam benedictionem.

La consolazione che ci hanno recato le risposte degli Arcivescovi, e Vescovi residenti in Londra al nostro Breve dei 15 Agosto, diretto ad ottenere la volontaria dimissione delle loro sedi, che il bene della religione richiede nelle attuali circonstanze dai venerabili nostri fratelli i Vescovi francesi, è stata sommamente amareggiata dalla renuenza che abbiamo, con infinito cordoglio del nostro cuore, riprovata in voi, venerabile fratello nostro, e nei vostri colleghi, espostaci nella lettera che ci avete indirizzata in data dei 27 Settembre 1801. Non possiamo esprimervi abbastanza, quanto ci sia riuscita inaspettata e dolorosa, vedendo che il partito che avete in ciò preso, quanto si ritrova da una parte inutile ad impedire nelle circonstanze attuali quelle misure, che il solo bene della religione (di che Iddio ci è testimonio), ci

ci ha fatto adottare in questo importantissimo affare, e dalle quali le circonstanze medesime hanno renduto impossibile il declinare, altrettanto toglie a voi, o venerabile nostro fratello, ed ai vostri colleghi, il gran merito di dare con questo ultimo sacrificio il compimento a quei tanti che la vostra e loro virtù ha già fatti per la causa della nostra santa religione, e toglie poi anche a noi il conforto, ed appoggio della vostra cooperazione e concorso a si grande oggetto, procurandoci anzi in mezzo a tante nostre cure la più sensibile di tutte le amarezze. Noi abbiamo voluto scrivervi questa lettera di nostro pugno, per palesarvi questi nostri sentimenti, e per richiamare la vostra virtù ad una nuova considerazione dei forti motivi, che abbiàmo esposti nel nostro Breve, accompagnandoli con le più amorose insinuazioni e preghiere, quali ci ha dettate l'intimo sentimento del nostro cuore, non disgiunte da quella publica testimonianza che ci siamo creduti in dovere di rendere ai tanti vostri meriti, ed all'opinione che portiamo di tutti voi. Noi non sappiamo dubitare che a questo nuovo attestato che vi diamo della nostra stima, ed affetto, voi ed i vostri colleghi vorrete corrispondere con accedere senza altro ritardo alle nostre replicate insinuazioni ad imitazione di tanti altri vostri colleghi che hanno la vostra stima, piuttosto che procurarci l'amarissimo dispiacere di vederci astretti *dalle indeclinabili circonstanze* a non caminare colla vostra cooperazione verso il conseguimento del santissimo fine, che i doveri del nostro ministero cosi strettamente c'impongono, ed assicurandovi nuovamente *che avremo cura di voi e delle cose vostre*, con quella maggior premura che ci si rende possibile, come giustamente voi meritate.

Restiamo, dandovi con tutto il nostro cuore, la Paterna Apostolica Benedizione.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die 11 Novembris 1801, Pontificatûs nostri anno 2°.

PIUS P.P. VII.

Epistola secunda, à quatuordecim Episcopis Gallicanis Londini commorantibus ad Pium VII scripta, die vigesimâ primâ Januarii 1802.

Beatissime Pater,

Sanctitatis Vestræ litteræ, datæ die 11 Novembris 1801, et ad venerabilem fratrem nostrum illustrissimum ac reverendissimum archiepiscopum Narbonensem directæ, qui eas nobiscum communicaret, statim atque ad eum, die demùm 9 Januarii 1802 pervenerunt, ut à nobis summo cum venerationis sensu perlectæ sunt, ità animos nostros vehementi affectu commoverunt. Quanto nempè solatio mœrorem nostrum sublevavit illa ipsa scribendi ratio, quam pro paternâ suâ in nos pietate adhibendam duxit Sanctitas Vestra; quâ quidem nihil ad mutuæ caritatis et fiduciæ testificationem magis accommodatum esse potest, quâ benevolos animi vestri sensus propriâ manu descriptos et propemodùm in ipsis litteris spirantes intueri licet, nobisque datur ad priorum sæculorum memoriam pronâ cogitatione regredi, cum autographæ, non Apostolorum tantum, sed Summorum quoque Pontificum ad fratres epistolæ veluti pretiosissima quædam arctioris membrorum cum capite concordiæ monumenta haberentur. Scilicet Sanctitati Vestræ ea mens fuit, ut gravissimo quo conflictamur dolori, aliquâ ratione mederetur, uberiorique pensaret affectu eam silentii perseverantiam, quæ *imperante, procul dubio, eâdem, cui dudùm subjacet necessitate temporum,* mentes nostras aliquâ luce collustrari non sinit, et apertiùs nobis innotescere (quod Sanctitatem Tuam suppliciter et enixè rogabamus) rationum ipsam moventium momenta. Quidni liceat, beatissime Pater, animorum nostrorum affectibus propensiùs indulgere! vel sola votorum tuorum significatio vim legis apud nos haberet; nec quidquam satiùs nobis esset quam nostrum illud, quod in Sanctitatem

tem Vestram summum est studium obsequiosâ devotione testificari. Verùm ab eâ obsequii alacritate, quantum libet acerbum hoc nobis videatur, hic iterùm temperare nos jubet episcopalis officii ratio, positos quippè à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. Magnum quoddam à nobis postulat Sanctitas Vestra, quoque vix graviùs quidquam in tractandis Ecclesiæ rebus Episcopis occurrere possit: ad id quidem nos impensiùs hortatur Sanctitas Vestra, at simul tamen rem significat spontè libereque præstandam: eos porrò qui spontè libereque agunt, Episcopos præsertìm, æquum est, allucente boni consequendi evidentlâ potiùs quàm cœco quodam obtemperandi studio duci. Proindè necesse est, prorsùs à nobis introspici universa ac singula rerum adjuncta vel argumenta quibus id quod à nobis requiritur, necessarium effici valeat, et quid ex obsequio nostro sit consecuturum. Hæc sùnt jam mente præcogitata quorum ad normam expressum est nostrum ad Breve Apostolicum, die 15 mensis Augusti, responsum: hæc sunt quæ diligenter et in partem alterutram perpensa nos in communem sententiam pertractos induxerunt, ut Sanctitatem Vestram rogaremus, quatenùs momenta nostra obiter tantùm pro temporis angustiis perstricta, sed fusiùs postmodùm evolvenda, præstolari dignaretur et pro Suâ sapientiâ librare; nec intereà quidquam ulteriùs super hoc negotio decerneret. Quantâ porrò nos consolatione lætitiâque affecissent Sanctitatis Vestræ litteræ, si ex ipsis intellexissemus Te, Beatissime Pater, precibus nostris annuisse, si quæ obscuriùs tantùm in Brevi Sanctitatis Vestræ subindicabantur, nunc pleniùs evoluta oculisque subjecta haberemus, si demùm perspiceremus anxietates nostras, tum de ecclesiarum nostrarum, tum de universæ rei christianæ periculo, præconceptumque à nobis metum ne per vanas quasdam pollicitationes Apostolica Sedes illuderetur, maturè à sanctitate vestrâ perpensa fuisse! At verò in prioribus iisdemque hortationibus hæret etiam nunc defixa

fixa Sanctitas Vestra, easque vehementiùs urgendo non potest quin augeat et vehementiorem quoque efficiat dolorem nostrum: nos ad rem denuò expendendam hortatur et stimulat: nec ullum advertimus novum, quod expendamus, argumentum. Crede nostris in te studiis, Beatissime Pater, crede nihil nobis antiquiùs esse quam ut gravi tremendoque, quod nobis incumbit officio, defungamur, ut par est. Crede nos anxietates, consilia, obsecrationesque nostras in Paterno Sanctitatis Vestræ sinu non anteà reposuisse quam in hoc negotium mentis nervos omnes intenderimus et vim sagacitatis ac judicii tantam exercuerimus quantam nobis indulsit provida Dei benignitas. Et quid enim Episcopis priùs esse potest, ubi eos ad aliquid statuendum Apostolica cohortatio provocavit, quod cum salute gregis ac religionis bono conjunctum sit, quàm ut, invocato Spiritûs Sancti auxilio, viis sapientiæ insistere communi consilio nitantur. Sanè in peccatorum pœnam contingere potest ut D.O.M. gratia petentibus non statim præstò sit; iique in errorem labi sinantur. Sed qui nihil aliud cupiunt et anhelant nisi ut hæc edoceantur quibus error præcaveri queat, eos nondùm errasse satis manifestum est.

Nec est profectò quod vana et supervacanea habeatur hæc nostra postulatio, Beatissime Pater. Numquid enim Episcopis supervacaneum esse possit, nihil nisi prudenter ac re compertâ agere, de iis omnibus inquirere quæ ad consilium maturiùs capiendum pertinent? Denique in eo gradu perseverare ad quem divinâ Providentiâ evecti sunt, quamdiù ipsis indubiâ ratione non constat eâdem se Providentiâ ad hunc deserendum vocari; nec ad ipsa quidem Sanctitatis Vestræ consilia promovenda supervacaneum videri possit eorum sententias, opinionesque colligere ac ponderare ad quos præcipuè spectat mœrentis illius atque inter tot procellas luctantis Ecclesiæ cura, in quam nunc paterna sollicitudo Vestra defigitur. Certè, quantas ex hâc mutuâ consiliorum communicatione utilitates

tates speraverit, satis superque testatus est, felicissimæ recordationis Antecessor Vester Pius VI, cùm multis aliis in locis præsertìm litteris Apostolicis die 10 Martii 1791 datis, ubi in votis sibi fuisse profitetur, ut gallicani episcopi " candidè Ipsi aperirent sensus suos eaque patefa- " cerent quæ Ipsum in tantâ locorum distantiâ laterent, " ne in aliquam conscientiæ labem incurreret."

Doles subtrahi à Te operam nostram, Beatissime Pater, metuis ne tibi ope nostrâ destituto sit progrediendum. Absit sanè à nobis, ut quidquid in utilitatem ecclesiarum nostrarum vergeret, promovere unquam nolimus! Sed quorsùm hùc pertinere possunt sedium nostrarum abdicationes, cum id potiùs per eas effici videatur ut, solutis vinculis quæ nos cum gallicanâ ecclesiâ conjunctos habebant, amissisque iis ipsis facultatibus per quas adjumento tibi esse poteramus, otiosi imposterùm spectatores sedere jubeamur. Quod si partes illæ ad quas gerendas vocamur in nullâ aliâ repositæ sint quam ut ecclesias sollicitudini nostræ commissas spontè deseramus, ne in hoc quidem acquiescere detrectaremus, si facto opus esset. Sed postulamus ea nobis aperiri rationum momenta quibus *de hujusmodi necessitate* certiores fieri, maturiùsque judicium ferre possimus; quandoquidem hinc pendet populorum salus, ipsique, ob dimissas sedes nostras rationem apud Summum Judicem reddituri sumus. Salus nempè populorum ipsaque animarum nostrarum salus: hæc est summa lex nostra, hæc una quam spectamus utilitatis ratio. Tam sancta, tam summa contemplantes, absit, ut ad intuitum proprii commodi deflectamus oculos, aut etiam ut D. O. M. providentiæ vel minimum diffidamus qui nos ab annis jam duodecim tanquam insigne quoddam inexhaustæ benignitatis suæ testimonium populis exhibet, quin potius in paternum ejus gremium nos projicientes, in hæc vota erumpimus: " *salva Deus ecclesias nostras, noli eas vanis* " *hominum pollicitationibus vel mutabili terrenarum po-*

" *testatum*

" *testatum consilio permittere, neu sinas inauspicatum*
" *frustrà ad blandientis spei jubar ipsis unquam illudere!*
" *Salva ecclesiam nostram, ejus salus inconcussis constet*
" *adstructa fundamentis, et tunc demum pastoralis officii,*
" *quod vitam ipsam pro gregibus nostris, si opus fuerit,*
" *impendere jubet, nos immemores nunquam fuisse, gratiâ*
" *tuâ juvante, demonstrabimus!*"

Hæc nostra mens, hi nostri sensus fuerunt, Beatissime Pater, cùm ad Apostolicum Sanctitatis Vestræ Breve responderemus, neque nunc alia cogitamus, alia sentimus. Quas ad nos modo direxisti litteræ mentis aciem attentionemque revocant tantummodò ad ea quæ priùs in Brevi adducta fuerant, rationum momenta. Hæc porrò, priusquàm rescriberemus à nobis maturè discussa, atque expensa sunt, superest ergo ut rogemus denuò Sanctitatem Vestram ac per Deum boni omnis ac recti fontem qui corda nostra scrutatur, obsecremus, ut in re tanti momenti subsistat, nec ad quidquam ultrà definiendum progrediatur, præsertìm verò ut earum resignationum quarum instrumentum vel jam ad Ipsam missum fuerit, vel deinceps mittendum sit effectum omnem suspendere velit, ne Ecclesia Gallicana Pastores virtute ac sapientiâ commendabiles, nos verò Collegas omni studio ac veneratione dignos desideremus. Denique, ut pro Paternâ Suâ benignitate patienter expectet, quod ad Ipsam transmissuri sumus scriptum, quo pleniùs uberiùsque evolventur momenta quæ animos nostros impulerunt. Et quidem hoc scriptum Sanctitati Vestræ ob oculos jam versaretur, nisi illud priùs cum absentibus collegis nostris quibus eademque nobis officiorum, jurium, pastoralisque sollicitudinis ratio est communicare è re nobis visum fuisset, quo scilicet ecclesiasticæ consuetudini prudentiæque legibus, quantum pro tempore fieri posset, satisfaceremus. Habent igitur illi et quam primùm ad nos remittent libellum hunc nostrum, speramusque nihil impedimento futurum, quo minùs, intrà

brevissimum

brevissimum temporis spatium, liceat Sanctitatis Vestræ oculis subjicere, gravissima eaque complurima rationum momenta quibus multi ex iis ducti fuerunt qui in ejusdem cum Beatitudine Vestrâ episcopatûs sortem vocati docendorum fidelium regendæque ecclesiæ onus sub Vestro honoris juridictionisque Primatû sustinent.

Movet nos profectò, Beatissime Pater, summum hoc quo pectus tuum exardescit religionis studium. Movet pia illa anxietas rediviva per universam Galliam, vivi Dei templa, restitutamque sacri ministerii libertatem ac dignitatem flagrantissimis votis præcipiens, et nos sanè anxietatis illius eorumdemque votorum toto animorum æstu participes habet. Verùm, nos gravissimo metu perculit vel primùm quod ad optatissimum finem assequendum arripitur incœptum. Quem profectò metum apud S. V. dissimulare non debuimus. Obtestamur ergo te, B. P., atque obsecramus ne nos putes animo tuis consiliis obsistendi ità nobis faciendum statuisse. Quin potiùs illud perpendas fieri omninò posse, si pacta illa, cum Sede Apostolicâ unita, præter id quod à Te speratur, cederent, ut in titulorum nostrorum conservatione et unicum sit præsidium quod Ecclesia Gallicana reliquum habeat et unicum remedium quo S. V. grassanti in dies malo occurrere queat.

Utinàm verò S. V. intimos cordium nostrorum recessus introspicere atque investigare posset. Pateret summum illud nostrum in Sedem Apostolicam studium quod sola gravissimi, imò planè indeclinabilis officii conscientia superari possit, planèque appareret nos solo hujus officii intuitu ductos, sola religionis utilitate permotos fuisse cujus paci atque incolumitati ut meliùs provideatur, die nocteque non cessamus, orantes Patrem luminum et Deum totiûs consolationis, ut illuminare dignetur corda et intelligentias nostras in Christo Jesu, amplissimasque gratias quibus ad regendum, difficillimis his temporibus, Ecclesiæ clavum opus est in Ipsam S. V. uberiùs effundat.

N Provoluti

Provoluti ad genua B. V. Apostolicam Benedictionem, toto mentis affectu, postulamus.

Beatissime Pater,

Sanctitatis Vestræ,

Devotissimi atque obedientissimi Filii,

Ita signatum, † Archiep. Narbon. † Episcop. Atrebatensis. † Montispessulani. † Noviomensis. † Petrocorensis. † Leonensis. † Abrincensis. † Venetensis. † Ucetiensis. † Ruthenensis. † Nannetensis. † Engolismensis. † Lumbariensis.—Molinensis.

BREVE PII PAPÆ VII,

Quo Episcopis gratulatur qui Sedes suas abdicârunt.

PIUS PP. VII.

Venerabilis Frater, salutem, et Apostolicam Benedictionem. Novum, ac luculentum testimonium constantis studii firmissimæque voluntatis conservandi in Galliâ Ecclesiæ unitatem, et Catholicæ Religionis tranquillitatem restituendi, quod dedisti Nobis, Venerabilis Frater, cùm, Apostolicis Litteris Nostris acceptis, te sponte Episcopatu N. provinciæ N. abdicasti, Ecclesiamque tuam in Nostris manibus liberè resignasti, ut mirandum in modum illustrium meritorum tuorum cumulum adauxit, ità et spectabiliorem virtutis tuæ præstantiam in Ecclesiâ universâ fecit, et ampliora illa præmia tibi à Domino Retributore promeruit, quibus idem eos, qui non *quæ sua*, sed quæ Dei sunt *quærunt*, liberalissimè remuneratur. Ea propter dùm tu ab omni nexu, quo Ecclesiæ tuæ obstringebare, solutus remansisti, gratissimum animum Nostrum significamus tibi, qui, Paternis suasionibus Nostris promptâ mente obsecutus, rationibusque tuis Ecclesiæ bono nullâ morâ posthabitis,

posthabitis, illud præstitisti, ut, nullo impedimento interposito, tantis Ecclesiæ necessitatibus à Nobis sucurri posset. Benedictio itaque, ac laus semper sit omnis miserationis, et consolationis Domino, cui placuit novo hoc excellentis virtutis tuæ documento, in tantis laboribus, quibus nunquàm miseranda hæc mortalium conditio vacua esse potest, et solari Nos, et levare sollicitudinem Nostram, quique cœlesti suo auxilio Venerabilium Fratrum Nostrorum animos ità corroborare, et confirmare dignatus est, ut memorandum hoc sacrificium tantâ cum ipsorum, Ecclesiæque gloriâ, et utilitate ei possent offerre. A Deo igitur Fraternitati tuæ omnia cùm cœlestia, tùm terrestria ea bona apprecantes, quæ tàm admirabilis ista tua virtus est merita, omniaque Nostra in tuas res studia iterùm pollicentes, Apostolicam Benedictionem pignus grati animi, ac Paternæ caritatis Nostræ tibi peramanter impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, Die XXIX Novembris, MDCCCI, Pontificatûs Nostri anno secundo.

PIUS PP. VII.

CONVENTIO

INTER

SANCTITATEM SUAM PIUM VII,

ET

GUBERNIUM GALLICANUM.

Sanctitas Sua summus Pontifex Pius VII atque primus Consul Gallicæ Reipublicæ, in suos respectivè plenipotentiarios nominarunt,

Sanctitas Sua, Eminentissimum Dominum Herculem Consalvi, S. R. E. Cardinalem Diaconum S. Agathæ ad Suburram, suum à Secretis Statûs; Josephum Spina, Archiepiscopum Corinthi, S. S. Prælatum domesticum ac Pontificio solio assistentem; et Patrem Caselli, Theologum consultorem S. S., pariter munitos facultatibus in bonâ et debitâ formâ;

Primus Consul, Cives, Josephum Bonaparte, Consiliarium Statûs, Cretet, Consiliarium pariter Statûs, ac Bernier, Doctorem in S. Theologiâ, Parochum S. Laudi Andegavensis, plenis facultatibus munitos;

Qui, post sibi mutuò tradita respectivæ plenipotentiæ instrumenta, de iis quæ sequuntur convenerunt:

Gubernium Reipublicæ recognoscit Religionem catholicam, apostolicam, romanam, eam esse Religionem, quam longè maxima pars civium Gallicanæ Reipublicæ profitetur.

Summus Pontifex pari modo recognoscit eamdem Religionem, maximam utilitatem, maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore præstolari ex Catholico cultu in Galliâ constituto, necnon et *peculiari ejus professione, quam faciunt Reipublicæ Consules.*

Hæc

Hæc cùm ita sint atque utrinque recognita, ad Religionis bonum internæque tranquillitatis conservationem, ea quæ sequuntur inter ipsos conventa sunt :

Art. I. Religio catholica, apostolica, romana, *liberè* in Galliâ exercebitur. Cultus publicus erit, *habitâ tamen ratione ordinationum quoad politiam*, quas Gubernium pro publicâ tranquillitate necessarias existimabit.

II. Ab Apostolicâ Sede, collatis cum Gallico Gubernio consiliis, novis finibus Galliarum Diœceses circumscribentur.

III. Summus Pontifex titularibus Gallicanarum Ecclesiarum Episcopis significabit se ab iis, *pro bono pacis et unitatis*, omnia sacrificia firmâ fiduciâ expectare, eo non excepto quod ipsas suas episcopales sedes resignent.

Hâc hortatione præmissâ si huic sacrificio, quod Ecclesiæ bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id autem posse summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicanarum Ecclesiarum novæ circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

IV. Consul Primus Gallicanæ Reipublicæ, intrà tres menses qui promulgationem Constitutionis Apostolicæ consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novæ circumscriptionis Diœcesibus præficiendos nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas, relatè ad Gallias, ante regiminis commutationem statutas.

V. Item Consul Primus ad episcopales sedes quæ in posterùm vacaverint, novos Antistites nominabit, iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, Apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

VI. Episcopi, antequàm munus suum gerendum suscipiant, coram Primo Consule, juramentum fidelitatis emittent quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum :

“ Ego juro et promitto, ad sancta Dei Evangelia, obedientiam et fidelitatem *Gubernio per Constitutionem*

Gallicanæ

Gallicanæ Reipublicæ statuto. Item, promitto, me nullam communicationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intrà, neque extrà conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat; et si, tam in diœcesi meâ quàm alibi, noverim aliquid in Statûs damnum tractari, Gubernio manifestabo."

VII. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram *auctoritatibus civilibus à Gallicano Gubernio designatis.*

VIII. Post divina officia, in omnibus Catholicis Galliæ templis, sic orabitur:

Domine, salvam fac Rempublicam;
Domine, salvos fac Consules.

IX. Episcopi, in suâ quisque Diœcesi, novas Parœcias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquàm Gubernii consensus accesserit.

X. Iidem Episcopi ad Parœcias nominabunt; nec personas seligent, nisi Gubernio acceptas.

XI. Poterunt iidem Episcopi habere unum Capitulum in Cathedrali Ecclesiâ, atque unum Seminarium in suâ quisque Diœcesi, sine dotationis obligatione ex parte Gubernii.

XII. Omnia Templa Metropolitana, Cathedralia, Parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.

XIII. Sanctitas Sua, pro pacis bono felicique Religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque à se, *neque à Romanis Pontificibus successoribus suis*, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, reditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.

XIV. Gubernium Gallicanæ Reipublicæ in se recipit, tum Episcoporum, tum Parochorum, quorum Diœceses atque

atque Parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quæ cujusque statum deceat.

XV. Idem Gubernium curabit ut catholicis in Galliâ liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundationibus.

XVI. Sanctitas Sua recognoscit in Primo Consule Gallicanæ Reipublicæ, eadem jura ac privilegia quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

XVII. Utrinque conventum est, quod in casû quo aliquis ex successoribus hodierni Primi Consulis catholicam Religionem non profiteretur, super juribus et privilegiis in superiori articulo commemoratis, necnon super nominatione ad Archiepiscopatus et Episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fiet.

Ratificationum traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio.

Datum Parisiis, die 15 mensis julii 1801.

Hercules, Cardinalis Consalvi (L. S.); J. Bonaparte (L. S.); J. Archiep. Corinthi (L. S.); Cretet (L. S.); F. Carolus Caselli (L. S.); Bernier (L. S.).

COLLECTIO

BULLARUM, ET BREVIUM,

SS. DD. NN. PII PP. VII,

QUÆ AD CONCORDATUM, AN. 1801,

ATTINENT.

BULLA CONFIRMATIONIS

CONVENTIONIS.

Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Caprara, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ VII, et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, à Latere Legatus.

Universis Galliarum Populis, Salutem in Domino.

Quæ præcipuæ fuerunt Sanctissimi Domini Nostri in ipso sui Apostolatûs exordio sollicitudines, quod omnium bonorum votis jamdiù expetabatur, quod à Vobis tam incenso studio concupiebatur, ut post tantas calamitates quæ cum publicâ, christianam quoque rem afflixerunt in Galliis, hæc demùm in florentissimis hisce regionibus restitueretur, tantum istud bonum, divinâ tandem favente gratiâ, advenisse Vobis, Galliarum Populi, summâ cum exultantis animi consolatione nuntiamus. Apostolicas siquidem sub plumbo Litteras Pontificio nomine publicamus, in quibus Conventio inter Sanctitatem Suam et Reipublicæ Vestræ Gubernium Parisiis inita, solemniter confirmatur. His in litteris quæ instaurandum in Galliis publicum Catholicæ Religionis cultum, res Ecclesiasticas componendas, easque in universo, quà latè nunc patet, Reipublicæ Territorio, ad eamdem formam atque ordinem revocandas à Sanctitate Suâ constituta sunt, luculentissimè continentur. Ea ut rationi locorum ac temporum accommodaret, una fecit Ecclesiæ utilitas, servandæ *Unitatis* studium, et animarum salus. Qui indè novus exurget rerum Ecclesiasticarum ordo, is profectò, si cum præteritâ rerum perturbatione comparetur, fieri

fieri non potest, quin omnes tantò meliori objectâ christianæ rei conditione recreentur. Quæ enim ferè deperdita, in Galliis, omnium oculis videbatur, ea nunc præsidio Legum, *Supremique Regiminis auctoritate mirum in modum reviviscit.* Primus verò Reipublicæ Vestræ Consul, cujus præcipuæ in tantâ hac utilitate Vobis comparandâ partes fuerunt, cuique datum videtur ut afflictæ Galliæ tranquillitatem et ordinem restitueret, Catholicæ Religionis, *Constantino illi magno simillimus,* præsidium effectus, gloriosissimam in Ecclesiasticis Galliarum monumentis istorum temporum recordationem est relicturus. Excipite igitur lætæ, gratæque mentis officio Apostolicas Litteras quas nuntiavimus Vobis, quasque hìc subjicinus.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesia Christi, quam ut civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo vidit Joannes, indè potissimùm suam repetit firmitatem, cæteraque ornamenta quibus prædita consurgit, quod nedùm sancta, catholica et apostolica, sed et una sit, super unius soliditate petræ fundata, ex firmâ et constanti membrorum ecclesiæ omnium unione in eâdem fide, in iisdem sacramentis, in iisdem vinculis charitatis, in subjectione atque obsequio omnium legitimo capiti, tota vis illa ac pulchritudo est, quâ hujus mysticum corpus nobilitatur ac præstat. Quod decus ejus præcipuum ac singulare, Redemptor noster, cùm et ejus proprium esse et conservari usque ad consummationem sæculi maximè voluerit in eâdem ecclesiâ, quam acquisivit sanguine suo, antequàm ad patrem ascenderet, memorandis illis verbis sic pro eâ oravit: " Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut " sint unum, sicut et nos.. ut omnes unum sint, sicut tu, pa-" ter, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint."

Hæc Nos animo cogitantes simul ac inscrutabili divinæ Providentiæ consilio, ad supremum apostolatûs apicem, licet indigni, vocati fuimus, statim convertimus oculos nostros ad populum acquisitionis, solliciti servare unitatem in vinculo pacis, Galliasque potissimùm intuentes, magnitudine regionum, populorum frequentiâ, ac religionis gloriâ multis jam sæculis commendatissimas, maximo dolore affecti sumus, cùm animadverterimus regiones ipsas quæ tandiù ecclesiæ decus ac deliciæ extitissent, postremis hisce temporibus, intestinis perturbationibus adeò exagitatas fuisse, ut maximum religio detrimentum exindè acceperit, cujus causâ, recolendæ memoriæ Pius VI decessor noster tot, tantasque curas impendit.

Nolumus Nos hìc commemoratione malorum ea vulnera refricare, quæ, divina Providentia nunc sanare properat. Quibus Nos divinâ ope adjuti, cùm opportuna remedia adhibere maximè cuperemus, illud jampridem apostolicis nostris litteris, die decimâ quintâ maii superioris anni ad universos episcopos datis, professi sumus, nihil optatius contingere nobis posse quàm vitam pro filiis nostris, qui sunt Galliæ populi, profundere, si eorum salus posset interitu nostro repræsentari. Ad ea à patre misericordiarum impetranda, cùm indesinenter preces nostræ, lacrymæque in maximâ animi ægritudine profunderentur, Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, recordatus misericordiæ suæ, respicere dignatus est dolorem nostrum, ac admirando providentiæ suæ consilio, nec opinantibus nobis, aditum aperuit, quo nos, et tantis malis occurrere, et ecclesiæ unitatem et charitatem, quam antiquus humani generis hostis superseminans zizania super mysticum ecclesiæ agrum dissolvere atque extinguere conatus erat, constabilire iterùm ac revocare possemus. Si quidem ille Dominus, qui dives est in misericordiâ, cogitat consilia pacis et non afflictionis, illustrem virum penès quem nunc

nunc gallicanæ Reipublicæ est administratio, eâdem cupiditate finem tot malis imponendi inflammavit, ut ejus ope in abundantiâ pacis religione restitutâ, *bellicosissima illa Natio* ad unicum fidei centrum revocaretur.

Vix carissimus in Christo filius noster Neapoleon Bonaparte Consul primus Reipublicæ gallicanæ sibi gratum fore testificatus est, ut tractatio iniretur, vi cujus religionis cultus in Galliâ, Deo adjuvante, feliciter restitueretur, gratias egimus Deo, cujus unius misericordiæ hoc nos beneficium acceptum referebamus. Itaque ne nostro muneri, ac studiis ejusdem primi consulis deessemus, statím venerabilem fratrem archiepiscopum Corlnthi, ad ineundam tanti hujus negotii tractationem misimus. Qui, cùm Parisios venisset, multis hinc indè discussis atque animadversis, tandem misit ad nos articulos quosdam sibi propositos, ad quos diligenter expendendos nos omni studio animum adjicientes, sententiam etiam audire voluimus congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, qui ad mentem suam de totâ hâc causâ nobis aperiendam sœpè coram nobis congregati, et voce et scripto quid sentirent nobis significaverunt. Cùm autem in re tanti momenti, illud præcipuè, ut decebat, curandam existimaverimus, ut *vestigia pontificum prædecessorum nostrorum sequeremur*, propterea repetentes memoriâ ea, quæ ab iisdem facta fuerant in extraordinariis temporum difficillimorum casibus, cum gravissimæ populorum perturbationes exortæ intestinis motibus maximas nationes agitârunt, plura, gravia et luctuosa accidisse comperimus, quæ ante oculos nostros posita, quâ agendi ratione uti possemus nobis aliquo modo indicarent. Igitur antedictæ congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium sententiâ cognitâ, post sedulam considerationem, propositæ conventioni, quâ ratione potuimus, duximus annuendum, atque apostolicam potestatem ad ea omnia proferre quæ *extraordinariæ*

temporum

temporum rationes atque bonum pacis et unitatis ecclesiæ à nobis postulaverunt. Quin imò, adeò ingenti exarsimus desiderio Galliæ ad unitatem sanctæ sedis feliciter revocandæ, ut cùm allatum ad nos esset, nonnullas formas propositæ conventionis quam ad venerabilem fratrem archiepiscopum Corinthi remisimus, eâ interpretatione explicari ut gallicæ Reipublicæ circumstantiis non aptæ viderentur atque exoptatæ unioni moram aliquam possent inferre, molestissimè animo nostro id ferentes, Lutetias mittere statuimus dilectum in Christo filium nostrum Herculem sanctæ Agathæ ad suburram diaconum cardinalem Consalvi, atque à secretis nostri statûs, qui, utpote unus ex eorum numero, quos ad hanc rem congregatos in consilium adhibuimus, quique lateri nostro continuè in suo munere adhærens optimè omnium et expositarum rerum intelligentiam, et veros animi nostri sensus poterat explicare, eam etiam illi facultatem impertientes, ubi necessitas postularet, in anteà dictis formis eas mutationes inducere quæ definitarum à nobis rerum substantiam integram retinentes, illarum executionem, quàm celerrimam redderent, et faciliorem viam sternerent conventioni, quæ, cùm à nobis commissa feliciter, Deo favente, sint peracta, indèque ab eo, unà cum venerabili fratre nostro archiepiscopo Corinthi, ac dilecto filio fratre nostro Carolo Caselli ordinis Servorum Mariæ exgenerali, ex nostrâ parte; et dilectis in Christo filiis Josepho Bonaparte et Emmanuele Cretet consiliariis status, necnon dilecto in Christo filio præsbytero Stephano Bernier, parocho sancti Laudi Andegavensis, ex parte gallicani regiminis, conventio inter nos ipsumque Galliarum regimen Parisiis signata sit, hæc à nobis, adhibitis in consilium venerabilibus fratribus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, perscrutata diligenter atque examini supposita, cùm talis reperta sit ut nostrâ approbatione confirmari possit; nos, nullâ amplius morâ interpositâ, per apostolicas has litteras nota facimus ea omnia

quæ

quæ à nobis constituta concessaque sunt ad religionis bonum internæ Galliarum tranquillitatis conservationem consequendam, atque properandam illam tandiù optatam pacem ac unitatem, quâ ecclesia sancta in Domino gaudeat atque lætetur.

Atque illa in primis à Gallicano regimine solemnis facta est declaratio; nimirùm recognocere se religionem cathólicam, apostolicam, romanam eam esse religionem quam longè maxima Gallorum civium pars profitetur. Neque verò aut dissimili modo nos ipsi recognovimus ex catholico cultu in Galliâ constituto, necnon ex particulari ejus professione quam faciunt reipublicæ consules, eamdem religionem maximam utilitatem, maximumque decus percepisse et hoc quoque tempore præstolari. Quibus itâ se habentibus, illud præ omnibus constitutum est, ut religio catholica, apostolica, romana, liberè in Galliâ exerceatur. Illud etiam sancitum est, ut publicus sit illius cultus *habitâ tamen ratione ordinationum, quoad politiam*, quas regimen, pro publicâ tranquillitate, necessarias existimabit.

Deinde, cùm illud maximè necessarium esse compertum sit, ut de episcopalibus sedibus ratio haberetur, hinc, cùm Gallicanum regimen *novam fieri Gallicanarum diœcesium circumscriptionem se cupere nobis significaverit*, collatis cum eo consiliis, nova à nobis Gallicanarum diœcesium circumscriptio fiet, quæ mutuâ voluntatis conjunctione ità perficietur ut spiritualibus catholicorum necessitatibus consultum sit. Et quoniam, tùm propter novam hanc ipsam diœcesium circumscriptionem, tùm propter alias gravissimas causas, omnia impedimenta removenda sunt, quæ tanto operi perficiendo adversari possunt; propterea nos justæ persuasioni innixi gallicanarum ecclesiarum titulares episcopos ità animo esse comparatos ut eidem religioni omnia sacrificia, ac vel ipsarum suarum sedium resignationem litare non sint detrectaturi (quod jamdiù quamplurimi inter ipsos, numquam

quam satis commendandis litteris, ad recolendæ memoriæ prædecessorem nostrum, datis die tertiâ maii anni millesimi septingentesimi nonagesimi primi ultrò obtulerunt) prædictos titulares per nostras apostolicas litteras sollicitudinis plenas adhortabimur ut ecclesiæ paci atque unitati consulant, significabimusque nos ab eorum quâ in religionem flagrant charitate, firma fiduciâ, ea quæ superiùs dicta sunt sacrificia expectare, ne ipsâ quidem sedium resignatione exceptâ, quam ecclesiæ bonum imperat. Quâ hortatione præmissâ, eorumque cognitâ responsione, quam nostris conformem votis futuram esse haud dubitamus, opportuna media adhibebimus, quibus religionis bono consulatur, atque ut, novâ circumscriptione peractâ, Gallicani gubernii vota impleantur, operam impendemus. Archiepiscopos autem et Episcopos novæ circumscriptionis diæcesibus præficiendos, Consul primus Gallicanæ Reipublicæ nominabit, nominationesque exhibebit intrà tres menses qui promulgationem apostolicæ constitutionis consequentur. Nos verò iisdem nominatis institutionem canonicam dabimus juxta formas relatè ad Gallias ante regiminis commutationem statutas. Eadem ratio servabitur, tam in nominationibus, quàm in canonicâ institutione eorum qui in posterum vacantibus sedibus substituentur.

Ut verò ne minimum quidem dubitari possit de sensibus ac mente Episcoporum (quanquam etiam sine ullius obligatione juramenti, juxtà evangelii præscripta, quid supremis præpositis debeant optimè noverint, atque implere teneantur) quo certiores sint de eorum fide atque obedientià Reipublicæ Rectores, *consensimus* ut Episcopi, antequàm Episcopale munus gerendum suscipiant, coram primo Consule juramentum fidelitatis emittant quod erat in more positum ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum. " Ego " juro et promitto ad sancta Dei Evangelia, obedientiam " et fidelitatem Gubernio per constitutionem gallicanæ

" Reipublicæ

" Reipublicæ statuto. Item promitto me nullam com-
" municationem habiturum, nulli consilio interfuturum,
" nullamque suspectam unionem neque intrà neque
" extrà conservaturum, quæ tranquillitati publicæ no-
" ceat, et si, tam in diœcesi meâ quàm alibi, noverim
" aliquid in statûs damnum tractari, Gubernio mani-
" festabo."

Eisdemque de causis consensimus Ecclesiasticos secundi ordinis in eadem verba jurare coram auctoritatibus civilibus quæ à Rectoribus Reipublicæ designabuntur.

Cùm inscrutabili consilio divinæ providentiæ, quæ largitate donorum ubique diffunditur, cuncta regantur in Mundo, pietati congruum, et publicæ quam optamus felicitati necessarium judicavimus, ut ad utilitatem salutemque Galliarum publicis precibus divinum auxilium imploretur. Idcircò in omnibus templis catholicorum quæ sunt in Galliâ, post divina officia his verbis orabitur:

" Domine, salvam fac Rempublicam.
" Domine, salvos fac Consules."

Constitutis diœcesibus, cùm omninò necesse sit limites etiam parœciarum constitui, earum circumscriptionem ab episcopis fieri volumus, quæ tamen circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquàm gubernii consensus accesserit.

Jus nominandi parochos ad episcopos pertinebit, qui tamen personas non seligent, nisi iis dotibus instructas, quas ecclesiæ canones requirunt, atque, ut tranquillitas eò magis in tuto sit Gubernio acceptas.

Cùm verò, tùm clericorum institutioni, tùm episcoporum consilio, suæque ecclesiæ administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem episcopi unum habeant in cathedrali ecclesiâ Capitulum, unumque Seminarium in suâ quisque Diœcesi, quamvis gubernium ad dotationis obligationem non se adstringat.

 Quamvis

Quamvis maximè desideraretur à nobis ut templa omnia iterùm sacris ministeriis exercendis catholicis redderentur, cùm tamen id perfici non posse videamus, satis habuimus quòd omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, aliaque non alienata, cultui necessaria episcoporum tradantur dispositioni.

Constantes in proposito ad omnia sacrificia pro bono unitatis descendendi, ad quæ salvâ religione descendi potest, ut etiam pro viribus nostris tranquillitati Galliarum cooperemur, quæ denuò totæ turbarentur, si bona ecclesiastica alienata iterùm essent repetenda, et ut, quòd potissimum est, felix catholicæ religionis restitutio fiat, prædecessorum nostrorum exempla sectantes, declaramus eos qui bona ecclesiastica alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque à nobis, neque à romanis pontificibus successoribus nostris; ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhærentia, immutabilia penès ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes.

Sed quoniam Galliarum Ecclesiis veteri suo Patrimonio privatis invenienda ratio aliqua est, quâ suppleri Episcoporum, ac Parochorum sustentationi, ac decentiæ possit, Galliarum Gubernium in se recipit tùm Episcoporum, tùm Parochorum, quorum Diœceses, atque Parochias nova circumscriptio complectitur, *sustentationem, quæ cujusque statum deceat.*

Simili modo statutum est, Gallicanæ Reipublicæ Gubernium curaturum, ut Catholicis in Galliâ liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundationibus.

Demùm declaravimus recognoscere Nos in Primo Consule Gallicanæ Reipublicæ eadem jura, ac privilegia, quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum Regimen. Quod si fortè eveniat, ut aliquis ex successoribus hodierni Primi Consulis Catholicam Religionem non profiteretur, eo casu super juribus, et privilegiis superiùs memoratis,

memoratis, necnon super nominatione ad Archiepiscopatus, et Episcopatus, respectu ipsius, nova conventio fiet.

Cùm itaque omnia et singula superiùs recensita, ex parte quidem nostrâ, ac nostro et sedis apostolicæ nomine, à dilecto in christo filio nostro Hercule sanctæ Agathæ ad Suburram Diacono Cardinali Consalvi à secretis nostri statûs, necnon venerabili fratre Josepho Archiepiscopo Corinthi, atque dilecto filio Carolo Caselli, ex parte verò et nomine Gallicani gubernii, à dilectis in Christo filiis Josepho Bonaparte et Emmanuele Cretet consiliariis statûs, necnon dilecto in Christo filio præsbytero Stephano Bernier, Parocho santi Laudi Andegavensis, ejusdem gubernii Plenipotentiariis, Lutetiæ Parisiorum subscripta sint; cùmque post hujusmodi conventiones, pacta et concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis et conditionibus à præfatis subscripta, pro firmiori eorum subsistentiâ, robur apostolicæ firmitatis adjicere, et autoritatem solemniorem et decretum interponere necessarium sit, nos, eâ spe freti fore ut Deus, qui dives et in misericordiâ et à quo omne datum optimum et omne donum perfectum, studia nostra in sanctissimo hoc opere absolvendo benigno favore prosequi dignetur, ac ut, omnibus amotis impedimentis atque dissidiis, vera pietas et religio majora suscipiant, incrementa, sublatisque ex agro dominico dissentionum seminibus, abundantior in dies bonorum operum seges ad ipsius Dei laudem et gloriam, æternamque animarum salutem succrescat, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio et assensu, ac certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, suprà dictas concessiones, conventiones, capitula, pacta et concordata tenore præsentium cohærenter ad peculiare chirographum super ipsis articulis appositum, approbamus, ratificamus et acceptamus, illis apostolici muniminis, et firmitatis

 robur

robur et efficaciam adjungimus, omniaque in eos contenta ac promissa sincerè et inviolabiliter ex nostrâ ejusdemque Sedis parte adimpletum et servatum iri, tam nostro quàm nostrorum Successorum nomine promittimus ac spondemus.

Nolumus paternæ nostræ charitatis non esse participes, *eos ecclesiasticos viros, qui in sacris constituti, matrimonia attentarunt*, sive qui à proprio instituto publicè desciverunt; ideòque eorum respectu, ipsius etiam regiminis officiis obsecundantes, vestigia sequemur recolendæ memoriæ prædecessoris nostri Julii PP. tertii, quemadmodum in nostris litteris in formâ Brevis, hâc eâdem die, datis pro eorum spirituali salute providetur.

Monemus et hortamur in Domino omnes et singulos archiepiscopos, episcopos et locorum ordinarios juxtà novam Gallicanarum diæcesium circumscriptionem canonicè instituendos, eorumque successores, itemque parochos, aliosque sacerdotes in vineâ Domini operarios, ut zelo secundùm scientiam, *non in destr ctionem, sed in ædificationem* utentes, ac præ oculis habentes se ministros esse Christi, qui à prophetâ Princeps pacis cognominatus est, quique transiturus de hoc mundo ad patrem, pacem tanquam propriam hæreditatem apostolis et discipulis suis reliquit, ut omnes idem sentiant, collatisque in unum studiis, ea quæ pacis sunt, ament atque sectentur, et quæcumque, ut præfertur, concessa, statuta et concordata fuerunt, accuratè et diligenter servent atque custodiant. Decernentes easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostræ, aut alio quocumque, quamvis magno et inexcogitato defectu, notari aut impugnari posse; sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari debere, non obstantibus synodalibus et provincialibus, *generalibusque conciliis*, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis,

apostolicis, *ac Nostris* et cancellariæ apostolicæ regulis, *præsertim de jure quæsito non tollendo*, necnon quarumcumque ecclesiarum, capitulorum, monasteriorum, aliorumque locorum piorum fundationibus, etiam confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter duntaxat et expressè derogamus.

Præthereà, quia difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus de eis fides facienda fuérit, loca deferri, eâdem apostolicâ auctoritate decernimus et mandamus ut, earum transumptis etiam impressis, manu tamen publici notam subscriptis et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ munitis, plena ubique fides adhibeatur; perindè ac si dictæ præsentes litteræ forent exhibitæ vel ostensæ; et insuper irritum quoque et inane decernimus, si secus super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, approbationis, ratificationis, acceptionis, derogationis, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contrà ire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipote tis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud sanctam Mariam majorem, anno incarnationis dominicæ 1801, octavo Kalendas septembris, pontificatûs nostri anno secundo.

Sign. A. Card. Pro-dat.
R. Card. Braschius de honestis.
Visa de Curiâ R. Manassei.
Loco † plumbi. F. Lavizzarius.

Reliquum nunc illud est, ut vos Deo Optimo Maximo, tanti beneficii auctori, debitas grates rependentes, et singulari studio illis devincti per quos est illud in vos profectum, *unitati spiritûs in vinculo pacis,* publicæque tranquillitati servandæ sollicitam operam collocetis.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ, hâc die 9 Aprilis 1802.

Jo.-Baptista Cardinalis CAPRARA, Legatus.

J. A. SALA, Apostolicæ Legationis Secretarius.

DECRETUM ET BULLA.

Novæ circumscriptionis Diœcesium.

Nos Joannes Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis CAPRARA, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ VII, Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, à Latere Legatus.

Universis Galliarum Populis, Salutem in Domino.

CUM Sanctissimus Dominus Noster Pius Divinâ Providentiâ PP. VII ad restituendum in Galliis publicum Catholicæ Religionis cultum et Ecclesiæ unitatem servandam, Conventionem à Plenipotentiariis Sanctitatis Suæ et Gubernii Gallicanæ Reipublicæ Parisiis initam, per Apostolicas sub Plumbo Litteras incipientes *Ecclesia Christi,* sub Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1801, 8°. calendas septembris, anno Pontificatûs ejus secundo, solemniter confirmaverit, in iisque Apostolicis Litteris inter cætera illud quoque Decretum sit, novam esse faciendam circumscriptionem Gallicanarum Diœcesium, hinc Sanctitas Sua ad camdem circumscriptionem peragendam devenit per Apostolicas sub Plumbo Litteras tenoris sequentis videlicet:

" PIUS

"Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Qui Christi Domini vices in terris gerere, atque Ecclesiam Dei regere constitutus est, omnes occasiones arripere, omnique opportunitate, quæ ei offeratur, uti debet, quâ possit et fideles ad Ecclesiæ sinum adducere, et omnia quæcumque timentur pericula evitare, ne occasione amissâ, spes amittatur etiam ea bona amplius assequendi, quibus Catholica Religio juvari possit.

Hæ fuerunt causæ, quæ nos superioribus mensibus ad Conventionem inter hanc Apostolicam Sedem, et Primum Consulem Reipublicæ gallicanæ ineundam impulerunt, et eædem cogunt nunc ad cætera illa progredi, quæ si differrentur, et gravissimis damnis Catholicam Religionem affectam videre, et dilapsam spem illam omnem, in quam haud temerè ingressi sumus, catholicam unitatem in Galliâ retinendi dolere deberemus.

In tanto hoc bono Ecclesiæ comparando cùm statuissemus, et novam circumscriptionem diœcesium in Galliâ faciendam, et in totis quam latè eæ patent, regionibus, quæ nunc temporali dominationi Reipublicæ Gallicanæ subjacent decem Ecclesias Metrapolitanas, et quinquaginta Episcopales esse erigendas, quarum singulis possent à Primo ejusdem Reipublicæ Consule tribus mensibus, qui proximi promulgationem litterarum nostrarum consequerentur, idonei viri ecclesiastici nominari ac digni quos consuetis, ut antea, formis, nos canonicè Archiepiscopos, sive Episcopos earum Ecclesiarum institueremus, minimè putabamus futurum, ut nos cogi deberemus derogare assensibus legitimorum pastorum, qui pridem Ecclesias illas ac diœceses obtinebant, *quæ nunc omnes juxtà novam circumscriptionem immutatæ*, novis pastoribus à nobis donandæ sunt. Quin imò sperabamus, veteres omnes legitimos Antistites, tanto præsertim à nobis studio atque amore ad vetera ipsorum merita magna, atque præclara novo hoc sacrificio augenda

excitatos

excitatos litteris amantissimis nostris, quod maximè flagitabamus, statim responsuros, et spontè ac liberè Ecclesias suas in manibus nostris resignaturos.

Sed quoniam nunc magnâ cum animi nostri ægritudine in eo sumus, ut ex unâ parte etsi liberæ dimissiones multorum ad nos venerint, multorum tamen aut nondum allatæ sint episcoporum aut litteræ allatæ quæ rationes quærunt quibus differri hoc sacrificium possit; ex aliâ verò cùm maximum periculum sit, ne, si tanta res longiùs differatur, spoliata diutiùs suis pastoribus Gallia, non solùm religionis restitutio differatur, sed omnia, quod maximè timendum est, in deteriùs convertantur, atque spes omnes nostræ ad nihilum recidant.

· Postulat apostolici ministerii nostri ratio, ut nos, in tanto rei christianæ discrimine, *cæteris rationibus, omnibus quamvis gravibus,* unitatis, ac religionis causâ, quæ omnium potissima est judicanda, *postpositis, ad ea deveniamus, quæ ad opus tam laudabile, tamque Ecclesiæ salutare conficiendum omninò necessaria sunt.*

Nos itaque, audito concilio plurium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, derogamus expressè cuicumque assensui legitimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Capitulorum respectivarum ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet ordinariorum, et perpetuò interdicimus iisdem quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus, ita ut eæ Ecclesiæ, et respectivæ earum diæceses, sive integræ, sive ex parte, juxtà novam peragendam circumscriptionem, et haberi debeant, et sint reverà prorsus liberæ, ut de iis nos constituere ac disponere eâ formâ possimus, quæ infrà à nobis indicabitur.

Habentes igitur prorsùs pro expressis et integrè insertis omnia et singula quæ præsentibus litteris necessariò exprimenda et inserenda forent, supprimimus, annullamus et perpetuò extinguimus titulum, denominationem, totumque

totumque statum præsentem infrà scriptarum Ecclesiarum Archiepiscopalium et Episcopalium, unà cum respectivis earum Capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis, nimirùm :

Archiepiscopalis Parisiensis cum suis Episcopalibus suffraganeis Carnotensi, Meldensi, Aurelianensi, Blesensi.

Item, Archiepiscopalis Remensis, et ejus suffraganearum Suessionensis, Catalaunensis, Silvanectensis, Bellòvacensis, Laudunensis, Ambianensis, Noviomensis, Boloniensis.

Item, Archiepiscopalis Bituricensis, et ejus suffraganearum, Claromontensis, Lemovicensis, Aniciensis, Tutelensis, et Sancti Flori.

Item, Archiepiscopalis Lugdunensis et ejus suffraganearum Eduensis, Lingonensis, Matisconensis, Cabillonensis, Divionensis et Sancti Claudii.

Item, Archiepiscopalis Rothomagensis, et ejus suffraganearum Bajocensis, Abrincensis, Ebroicensis, Sagiensis, Lexoviensis et Constantiensis Provinciæ Rothomagensis.

Item, Archiepiscopalis Senonensis et ejus suffraganearum Trecensis, Autissiodorensis, Bethlemitanæ et Nivernensis.

Item, Archiepiscopalis Turonensis et ejus suffraganearum Cenomanensis, Andegavensis, Rhedonensis, Nannetensis, Corisopitensis, Venetensis, Leonensis, Trecorensis, Briocensis, Macloviensis, et Dolensis.

Item, Archiepiscopalis Albiensis et ejus suffraganearum Ruthenensis, Castrensis Provinciæ Albiensis, Cadurcensis, Vabrensis, et Mimatensis.

Item, Archiepiscopalis Burdegalensis et ejus suffraganearum Agennensis, Engolismensis, Xantonensis, Pictaviensis, Petragoricensis, Condomiensis, Sarlatensis, Rupellensis, et Lucionensis.

Item, Archiepiscopalis Auxitanensis, et ejus suffraganearum Aquensis Provinciæ Auxitanæ, Lectorensis, Convenarum, Conseranensis, Adurensis, Vazatensis, Tarbiensis, Olorensis, Lascurrensis et Bayonensis.

Item, Archiepiscopalis Narbonensis et ejus suffraganearum Biterrensis, Agathensis, Nemausensis, Carcassonensis, Montispessulani, Lodovensis, Uticensis, Sancti-Pontii Thomeriarum, Electensis, Alesiensis, et Elnensis.

Item, Archiepiscopalis Tolosanæ, et ejus suffraganearum Montisalbani, Mirapicensis, Vaurensis, Rivensis, Lumbariensis, Sancti-Papuli, et Appamiarum.

Item, Archiepiscopalis Arelatensis, et ejus suffraganearum Massiliensis, Sancti-Pauli Tricastriensis, Tolonensis et Aurajacensis.

Item, Archiepiscopalis Aquensis in provinciâ Provinciæ, et ejus suffraganearum Aptensis, Regensis, Forojuliensis, Vapincensis, et Sistaricensis.

Item, Archiepiscopalis Viennensis in Delphinatu, et ejus suffraganearum Gratianapolitanæ, Vivarensis, Valentinensis, Diensis, Maurianensis, et Gebennensis.

Item, Archiepiscopalis Ebredunensis et ejus suffraganearum Dignensis, Grassensis, Venciensis, Glandatensis, Senecensis, et Niciensis.

Item, Archiepiscopalis Cameracensis et ejus suffraganearum Atrebatensis, Audomarensis, Tornacensis, et Namurcensis.

Item, Archiepiscopalis Bisuntinæ, et ejus suffraganeæ Bellicensis.

Item, Archiepiscopalis Trevirensis, et ejus suffraganearum, Metensis, Tullensis, Virdunensis, Nanceiensis, et Sancti-Deodati.

Item, Archiepiscopalis Moguntinæ.

Item, Archiepiscopalis Avenionensis, et ejus suffraganearum Carpentoractensis, Vasionensis, et Cavallicensis.

Item, Archiepiscopalis Mechliniensis et Episcopalium Argentinensis, Leodiensis, Iprensis, Gandavensis, Antuerpiensis, Ruremundensis, et Brugensis.

Item, Archiepiscopalis Tarantasiensis et Episcopalium Camberiensis, Marianensis et Acciensis, Adjacensis, Sagonensis, Nebbiensis, et Alcriensis.

Ità

Ità ut (deleto etiam omni jure Metropolitico cujuscumque Metropolitani ubicumquè existentis) omnes supradicti Archiepiscopatus et Episcopatus cum Abbatiis etiamsi eæ verè essent nullius cum separato territorio, et jurisdictione, haberi debeant in posterùm, tanquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimodè extincti, aut in novam formam erigendi.

Derogamus item cuicumque assensui illorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum ac quorumcumque ordinariorum, quorum Ecclesiæ ac Diœceses, cum contineantur ex parte in supradicta extensione dominii Gallicani, ex hoc tempore haberi debebunt perpetuò exemptæ ac separatæ à quâcumque jurisdictione, jure ac prerogativâ prædictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, aliorumque ordinariorum, ad hoc ut respectivæ earum partes applicari, uniri, atque corporari possint cum ecclesiis ac diœcesibus nova circumscriptione (ut infra) erigendis: firmis tamen remanentibus juribus, privilegiis, ac jurisdictione ipsorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, et ordinariorum in eâ parte territoriorum quæ dominationi Gallicanæ non subjacet (quod idem decernimus relatè ad eas Metrapolitanas et Cathedrales Ecclesias, quas suprà nominatim suppressimus, et extinximus, si eæ fortè partem aliquam suarum diœcesium habent extrà fines actualis territorii Gallicanæ Reipublicæ) reservatâ nobis curâ prospiciendi in posterùm tum partibus illarum diœcesium, quæ pridem ab Episcopis Gallicanis regebantur, atque in aliorum principum ditione nunc constitutæ sunt; Tum etiam Cathedralibus Ecclesiis quæ extrà limites dicti Gallicani territorii existentes antea suffraganeæ essent antiquorum Galliæ Archiepiscoporum, quæque in novo hoc rerum ordine suo Metropolitano carere inveniantur.

Volentes nunc necessariam constitutionem ecclesiastici regiminis catholicorum subditorum Reipublicæ Gallica-

næ exequi, prout etiam nobis Primus Consul ejusdem Gallicanæ Reipublicæ *se desiderare significavit*, apostolicis hisce nostris litteris de novo constituimus et erigimus decem Ecclesias Metropolitanas, itemque quinquaginta Ecclesias Episcopales pro todidem Archiepiscopis et Episcopis, nimirùm :

Ecclesiam Archiepiscopalem Parisiensem, et Ecclesias Episcopales *Versalliensem*, Meldensem, Ambianensem, Atrebatensem, Cameracensem, Suessionensem, Trecensem et Aurelianensem, quas ei in suffraganeas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Bituricensem cum Ecclesiis Episcopalibus Lemovicensi, Claromontensi et Sancti-Flori, quas ei in suffraganeas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Lugdunensem et Ecclesias Episcopales Mimatensem, Gratianopolitanam, Valentinensem et Camberiensem, quas ei in suffraganeas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Rothomagensem, cum Ecclesiis Episcopalibus Ebroicensi, Sagiensi, Bajocensi et Constantiensi Provinciæ Rothomagensis, quas ei in suffraganeas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Turonensem et Episcopales Cenomanensem, Andegavensem, Rhedonensem, Nannetensem, Corisopitensem, Venetensem, et Briocensem, quas ei in suffraganeas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Burdegalensem, cum Episcopalibus Engolismensi, Pictaviensi et Rupellensi, quas ei in suffraganeas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Tolosonam et Episcopales Cadurcensem, Agennensem, Carcassonensem, Montispessulani et Bayonensem, quas ei in suffragancas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Aquensem cum Episcopalibus Avenionensi, Dignensi, Niciensi et Adiacensi, quas ei in suffragancas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Bisuntinam et Episcopales Augustodunensem, Argentinensem, Divionensem, Nanceiensem

Nanceiensem et Metensem, quas ei in suffraganeas assignamus.

Ecclesiam Archiepiscopalem Mechliniensem cum Episcopalibus Tornacensi, Gandavensi, Namurcensi, Leodicnsi, Aquisgranensi, Trevirensi et Moguntinâ, quas ei in suffraganeas assignamus.

Mandamus igitur dilecto filio nostro Joanni Baptistæ S. R. E. presbytero cardinali Caprara ad carissimum in Christo filium nostrum Napoleonem Bonaparte Primum Galliarum Reipublicæ Consulem Gallicanamque nationem, nostro et Apostolicæ Sedis de latere Legato, ut is juxtâ has nostras prædictarum Ecclesiarum tam Archiepiscopalium quam Episcopalium erectiones procedens ad eas constituendas cum congruâ unicuique Archiepiscopo et Episcopo præstanda assignatione decernat tum sanctos titulares patronos, sub quorum invocatione in unâquâque Ecclesiâ Metropolitanâ ac Cathedrali templum majus erit appellandum, tum dignitates et canonicos cujuscumque Capituli juxtâ præscriptum sacrorum conciliorum efformandi, tum singularum diœcesium circuitum, novosque fines, clarè, atque distinctè omnia explicans atque constituens singulis decretis quæ ab eo emitti debebunt in actis omnibus conficiendis quæ ad singulas, quas diximus Ecclesias, tam decem Archiepiscopales, quam quinquaginta Episcopales peculiariter pertinebunt.

Ad quod præstandum amplissimas quasque ei facultates, etiam subdelegandas impertimur; necessarias atque opportunas ad probanda statuta respectivorum Capitulorum, ad concedendum iisdem choralia insignia, quæ iis convenire arbitrabitur; ad veteres paræcias sive supprimendas, sive arctioribus limitibus circumscribendas, sive latioribus amplificandas, et ad novas novis finibus erigendas, itemque ad omnes controversias dijudicandas quæ suboriri unquam possent in exequendis iis quæ per has litteras nostras apostolicas declarata sunt, ac generatim ad ea omnia efficienda quæ per nos ipsos effici possint,

sint,

sint, ut per erectionem prædictarum Ecclesiarum Archiepiscopalium atque Episcopalium, itemque per erectionem, ut primùm commodè fieri poterit, seminariorum, ac per constitutionem necessariarum paræciarum cum assignatione congruæ cuilibet parocho, spiritualibus necessitatibus omnium illorum catholicorum quam citiùs atque opportuniùs provideatur. Ut verò in potestate faciendâ præfatò Joanni Baptistæ Cardinali-Legato procedendi per se ad omnia quæ ad constitutionem prædictarum Ecclesiarum Archiepiscopalium atque Episcopalium necessaria erunt, quin priùs ea definita, ut moris est, à Sede Apostolicâ constituantur; nihil aliud optamus, nisi ut tànti momenti res *eâ celeritate* quæ maximè necessaria est, omnino conficiatur, ita eidem Cardinali mandamus ut mittere ad nos curet exemplaria singula authentica actorum omnium hujus constitutionis, quæ ab eo deindè conficientur.

Confidimus autem pro eâ doctrinæ, prudentiæ, consilii laude, quâ præstat, supradictum Joannem Baptistam Cardinalem-legatum, rectissimis nostris studiis obsecuturum, omnemque operam adhibiturum ut meliori quâ fieri ratione possit, re totâ ad exitum quem optamus perductâ, hoc tantum bonum quod nos Catholicæ religioni parare omni studio contendimus, auxiliante Deo, tandem aliquandò consequi possimus, præsentes autem litteras, et in eis contenta et statuta quæcumque etiam ex eo quod quidlibet in præmissis, seu in eorum aliquo jus, aut interesse habentes, vel habere prætendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, præeminentiæ, et ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis sint, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad præmissa minimè vocati, vel etiam nullimodè aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint, aut ex aliâ quâlibet, etiam læsionis, vel aliâs juridicâ, et privilegiatâ, ac privilegiatissimâ causâ, colore, prætextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis,

reptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quamtumvis magno inexcogitato, substantiali, et substantialissimo, sive etiam ex eo quod in præmissis solemnitates et quæcumque alia, forsan servanda et adimplenda, minimè servata et adimpleta, seu causæ propter quas præsentes emanaverint, non satis adductæ, verificatæ, et justificatæ fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis vel prætextibus notari, impugnari, aut aliàs infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutiones in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris vel facti aut justitiæ remedium impetrari, easque omninò sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus vel specialibus, etiam motu, scientiæ et potestatis plenitudine paribus quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et tanquam ex Pontificiæ providentia officio et motu proprio, certâ scientiâ, deque apostolicæ potestatis plenitudine nostris factas, et emanatas omnimodâ firmitate perpetuò validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum *perpetuò et inviolabiliter observari*, ac earumdem Ecclesiarum, sic ut præfertur, noviter erectarum Episcopis, Capitulis et Canonicis, aliisque quorum favorem præsentes nostræ litteræ concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissimè suffragari debere, eosdemque super præmissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quâvis autoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse, neque ad probationem seu verificationem quorumcumque in eisdem præsentibus nostris litteris narratorum nullatenùs unquam teneri, nec in judicio, vel extrà cogi seu compelli posse, et si secus super his à quoquam quâ-

vis

vis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse, et fore, pari auctoritate volumus, atque decernimus non obstantibus de jure quæsito non tollendo de suppressionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque nostris et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non dictarum Ecclesiarum per nos, ut præfertur, suppressarum, et extinctarum, etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, et donationibus eisdem ecclesiis, ut præfertur, suppressis et extinctis, aut quibuscumque personis quacumque Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgentibus, quantumvis specificâ et individuâ mentione dignis, etiam Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter in contrarium præmissorum concessis et emanatis et longissimi ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi exercitis, atque præscriptis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, et individua mentio, seu quævis alia expressio habenda aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, et formâ in illis tradita observata incerti forent, præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum omnium et singulorum effectum latissimè et plenissimè, ac specialiter et expressè, ex certâ scientiâ motuque et potestatis plenitudine paribus derogamus et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque, volumus etiam ut ipsarum præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, constitutionis, impertitionis faculcatum, subjectionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Mariam majorem, anno Incarnationis dominicæ millesimo octingentesimo primo, tertio kalendas decembris, pontificatûs nostri anno secundo.

Sign. A. Card. Prod.; R. Card. Braschius de honestis.

Visa De Curiâ R. Manassei.

Loco † Plumbi F. Lavizzarius.

Hinc est quod Nos obtemperantes mandatis Sanctissimi Domini Nostri, ac utentes facultatibus à Sanctitate Suâ Nobis specialiter delegatis, præviâ suppressione, extinctione, et respectivè dismembratione à Sanctitate Suâ, ut suprà, factis, et salvis omnibus, et singulis dispositionibus, et ordinationibus in præfatis Litteris Apostolicis contentis, præsertim quod ad eas Metropolitanas, et Cathedrales Ecclesias, quarum Diœcesium partes extra fines actualis Territorii Gallicanæ Reipublicæ existunt, necnon earum Ecclesiarum, suorumque Capitulorum Jura, Privilegia, et Jurisdictionem, itemque quod ad Episcopos, qui extra ejusdem territorii limites reperiuntur, quique anteà veteribus Gallicanis Archiepiscopis tamquam eorum Suffraganei subdebantur, de quibus omnibus deinde Sanctitas Sua Apostolicâ Auctoritate statuet, atque decernet quidquid magis opportunum judicabit, præsentis Decreti Nostri tenore ad ea omnia procedimus, quæ à Sanctitate Suâ in iisdem Apostolicis Litteris supplenda, perficiendaque Nobis committuntur, ut nova decem Archiepiscopalium, et quinquaginta Episcopalium Ecclesiarum in

Regionibus, quæ nunc temporali Dominationi Reipublicæ Gallicanæ subjacent, erectio à Sanctitate Suâ, ut suprà facta numeris omnibus absolvatur, justis Gubernii votis, cum quo collatis consiliis omnia, quæ ad restituendam in Galliis Catholicam Religionem pertinent, acta sunt, respondeatur, Conventio denique inter eamdem Sanctitatem Suam, Guberniumque ipsum inita suum sortiatur effectum.

Ac primùm, quoniam à Sanctitate Suâ omne onus in Nos transfusum est, circuitum, novosque fines singularum Diœcesium decernendi et clarè atque distinctè ea omnia quæ ad eosdem pertinent, explicandi, illud juxta receptam et constantissimè servatam ab Apostolicâ Sede praxim et consuetudinem in hanc rem esset à Nobis præstandum, ut singulorum Locorum ac Paræciarum ex quibus unaquæque coalescere debet Diœcesis, diligens hoc loco enumeratio perficeretur, ne ullo unquam tempore de ipsis limitibus, et super exercitio spiritualis Jurisdictionis à singulis Antistitibus exercendæ, exoriri dubium possit, utque propterea omnis inter conterminos Episcopos controversiæ præcidatur occasio; nunc tamen neque Paræciarum mentio fieri potest, cum nova earum erectio, et divisio peragi debeat ab Archiepiscopis, et Episcopis in suâ respectivè Diœcesi, postquàm canonicè fuerint instituti, juxta facultatem à Sanctissimo Domino Nostro iisdem tributam in supradictis Apostolicis Litteris incipientibus *Ecclesia Christi*, neque temporis angustiæ patiuntur ut loca singillatim enumeremus omnia, ex quibus singularum Diœcesium territorium constare debebit. Ne igitur tantis Gallicanarum Ecclesiarum necessitatibus diutiùs opem et auxilium differamus, utque celeriùs et ejusdem Sanctitatis Suæ votis, et repetitis Gallicani Gubernii postulationibus, et Catholicorum omnium precibus, ac desideriis satisfaciamus, eam, tot utilitatibus propositis, inire cogimur rationem, quâ rem omnem explicare, retentis aliquo pacto Sedis Apostolicæ Regulis, et Consuetudinibus expeditissimè possimus.

Ratio

Ratio autem, quam in circuitu, novisque Diœcesium finibus decernendis sequimur, hæc est: Quoniam scilicet singularum Diœcesium novæ circumscriptionis territorium complecti debebit unam, aut plures ex Provinciis, sive Regionibus Gallicanis, idcircò earum Provinciarum, seu Regionum appellationem intereà sequemur in designandis Locorum spatiis intrà quæ cujuslibet Metropolitanæ et Cathedralis Ecclesiæ, eorumque Antistitum Jurisdictio sese continere debebit. Hunc verò actum novorum Antistitum auxilio et adjunctâ Paræciarum omnium et locorum in unâquâque Diœcesi contentorum descriptione tunc pleniùs exactiùsque perficiemus, cùm ii, secundùm ea quæ ab iisdem diligenter postulabimus, quidquid ad idem opus numeris omnibus absolvendum necessarium erit, Nobis suppeditabunt.

Ut autem unà et brevitati, et perspicuitati inserviamus, singulis Metropolitanis et Cathedralibus, ut suprà, erectis, propriam Metropolitanam, et Cathedralem respectivè Ecclesiam, Titulosque Sanctorum Patronorum, sub quorum invocatione appellandæ erunt præfigemus, nominaque Provinciarum, seu Regionum adjungemus, quarum integram extensionem, præter ipsam Civitatem, in quâ Metropolitana, vel Cathedralis erecta est, pro Diœcesi singulis supradictis Ecclesiis intendimus assignare.

Itaque ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, Beatissimæ Virginis Mariæ, quam inclyta Gallicana Natio ut Patronam præcipuè veneratur, sanctorumque, quos Diœceses in Patronos pariter habebunt, honorem, itemque ad Catholicæ Religionis conservationem, et incrementum, utentes facultatibus Nobis, ut suprà, tributis, Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum Titulos, novarumque Gallicanarum Diœcesium limites in subjecto Elencho describimus atque assignamus, eumdem tenentes ordinem, quem Sanctitas Sua in designandis novis Metropolitanis cum suis Suffraganeis Ecclesiis secuta est; *(Vide Elenchum adjunctum)*.

ELENCHUS

Ecclesiarum Metropolitanarum Cathedralium, cum nominibus Sanctorum Titularium Patronorum, sub quorum invocatione in unaquâque Ecclesiâ Metropolitanâ et Cathedrali Templum majus erit appellandum; itemque nomina Provinciarum seu Regionum quarum extensionem et circuitum unaquæque Diœcesis pro suo territorio, ejusque limitibus habebit.

METROPOLITANÆ ET CATHEDRALES.	INVOCATIONES SANCTORUM TITULARIUM PATRONORUM.		LIMITES DIŒCESIUM.
METROPOLITANA PARISIENSIS.	Beatæ Mariæ Virginis in cœlum Assumptæ	1	*Provincia seu Regio Sequanæ.*
Suffraganeæ.... *Versalliensis*............	Sti. Ludovici Franciæ Regis............	2	*Sequanæ et Œsiæ, Eburiæ et Liderici.*
Meldensis............	Sti. Stephani Protomartyris............	2	*Sequanæ et Matronæ, itemque Matron.*
Ambianensis............	Beatæ Mariæ Virginis............	2	*Suminæ, Œsiæ.*
Atrebatensis............	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Freti Gallici.*
Cameracensis............	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Septentrionis.*
Suessionensis............	Sanctorum Gervasii et Protasii Mar........	1	*Axonæ.*
Aurelianensis............	SSmæ Crucis D. N J. C............	2	*Amnis Lidericini, Liderici et Cari.*
Trecensis............	Sanctorum Petri et Pauli, Apostolor.......	2	*Albæ, Icaunæ.*
METROPOLITANA BITURICENSIS.	Sti. Stephani Protomartyris............	2	*Amnis Cari, Ingeris.*
Suffraganeæ.... *Lemovicensis*............	Sti. Stephani Protomartyris............	3	*Crosæ, amnis Corresii, et Vigennæ Superioris.*
Claromontensis............	Beatæ Mariæ Virginis............	2	*Elaveri, Montis Dumæ.*
Sancti Flori............	Sti. Flori, Episcopi et Confessoris.........	2	*Ligeris Superioris, Montis Cantalini.*
METROPOLITANA LUGDUNENSIS.	SS. Joannis Baptistæ et Stephani, prot	3	*Rhodani, Ligeris, Idani.*
Suffraganeæ.... *Mimatensis*............	Beatæ Mar. Virginis et Sti. Privati, ep et C.	2	*Ardeschæ, Lozerani Montis.*
Gratianopolitana.........	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Isaræ.*
Valentinensis............	Sti. Apollinaris, episcopi et martyris........	1	*Drumæ.*
Camberiensis............	Sti. Francisci Salesii Ep. et Confess.......	2	*Montis Albi, Lemani Lacûs.*
METROPOLITANA ROTHOMAGENSIS.	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Sequanæ Inferioris.*
Suffraganeæ.... *Ebroicensis*............	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Eburæ.*
Sagiensis............	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Olinæ.*
Bajocensis............	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Rupis Calvados nuncupatæ.*
Constantiensis Provinciæ Rhotomagensis............	Beatæ Mariæ Virginis............	1	*Oceani Britannici.*

Metropolitana Turonensis.			
Suffraganeæ.... *Cenomanensis*	Sti. Gatiani, Episcopi et Confessoris	1	*Ingeris et Ligeris.*
Andegavensis	Sti. Juliani, Episcopi	2	*Sartæ et Meduanæ.*
Rhedonensis	Sanctorum Mauritii et Sociorum, MM	1	*Meduanæ et Ligeris.*
Nannetensis	Sti. Petri Apostoli	1	*Isolæ et Vilanæ.*
Corisopitentis	Sti. Petri Apostoli	1	*Ligeris Inferioris.*
Venetensis	Sti. Corentini, Episcopi et Confessor	1	*Finisterræ.*
Briocensis	Sti. Petri Apostoli	1	*Sinus Morbihani.*
	Sti. Stephani Protomartyris	1	*Orarum Septentrionalium.*
Metropolitana Burdegalensis.	Sti. Andreæ, Apostoli	1	*Girunnæ.*
Suffraganeæ.... *Engolismensis*	Sti. Petri. Apostoli	2	*Carentoni, et Dordoniæ.*
Pictaviensis	Sti. Petri Apostoli	2	*Utriusque Separis, et Vigennæ.*
Rupellensis	Sti. Ludovici Regis et Confessoris	2	*Inferioris Carentoni, et Amnis Vendeani.*
Metropolitana Tolosana.	Sti. Stephani Protomartyris	2	*Garumnæ Superioris, Aurigeræ.*
Suffraganeæ.... *Cadurcensis*	Sti. Stephani Protomartyris	2	*Oldi, aliàs Loti, et Aveyronis.*
Agennensis	Sti. Stephani Protomartyris	2	*Loti et Garumnæ, Amnis Gersi.*
Carcassonensis	Sanctorum Nazarii et Celsi Mart.	2	*Ataxis, et Partis Pyrenæorum Orient.*
Montis-Pessulani	Sti. Petri Apostoli	2	*Arauræ, Tarnis.*
Bajonensis	Beatæ Mariæ Virginis	3	*Agri Syrtici, Pyrenæorum Inferiorum, et Superiorum.*
Metropolitana Aquensis.	Sanctissimi Salvatoris	2	*Ostiorum Rhodani, et Vari.*
Suffraganeæ.... *Avenionensis*	Beatæ Mariæ Virginis Donorum	2	*Amnis Gardi, Fontis Vauclusi.*
Dignensis	Beatæ Mariæ Virginis	2	*Superiorum, et Inferiorum Alpium.*
Nicensis	Sanctæ Reparatæ Virginis	2	*Alpium Maritimarum.*
Adjacensis	Sti. Euphrasii, Episcopi et Conf.	2	*Golonis, et Liamonis.*
Metropolitana Bisuntina.	SS. Joannis Ap. et Ev. ac Steph. Prot.	3	*Dubis, Jurassi, et Araris Superioris.*
Suffraganeæ.... *Augustodunensis*	Sti. Lazari à Chisto suscitati	2	*Araris et Ligeris, et Amnis Niverni.*
Argentinensis	Beatæ Mariæ Virginis	2	*Rheni Superioris, et Rheni Inferioris.*
Divionensis	Sti. Stephani Protomartyris	2	*Matronæ Superioris, et Collis Aurei.*
Nanceiensis	Beatæ Mariæ Virginis	3	*Mosæ, Mortæ, et Vosagi Saltûs.*
Metensis	Sti. Stephani Protomartyris	3	*Arduennæ Sylvæ, Sylvarum, et Mosellæ.*
Metropolitana Mechliniensis.	Sti. Romuldi Episcopi et Conf.	2	*Utriusque Nethæ, Dylæ.*
Suffraganeæ.... *Tornacensis*	Beatæ Mariæ Virginis	1	*Gemmapii.*
Gandavensis	Sti. Bavonis, Episcopi et Conf.	2	*Scaldis, et Legiæ.*
Namureencis	Sti. Albani Martyris	1	*Sabis, et Mosæ.*
Leodiensis	Sti. Lamberti Episcopi et Mart.	2	*Mosæ Inferioris, et Urthæ.*
Aquisgranensis	Beatæ Mariæ Virginis	2	*Roëris, Rheni et Mosellæ.*
Trevirensis	Sti. Petri Apostoli	1	*Saravi.*
Moguntina	Sti. Martini Episcopi et Conf.	1	*Montis Tonitrui.*

Optabat quidem Sanctitas Sua, ut Archiepiscopalis, seu Episcopalis Cathedræ honor conservaretur pluribus aliis Ecclesiis, quæ cùm propter antiquitatem originis, quam à primis Christianæ Religionis exordiis repetunt, venerabiles, tum propter earum prærogativas, suorumque Antistitum gloriam celeberrimæ, optimèque de Catholicâ Religione sunt meritæ. Quoniam verò temporum difficultates et circumstantiæ locorum id minimè passæ sunt, maximè expediens videtur, ut aliquarum saltem ex illustrioribus, quod Catholicorum desideriis respondet, memoria retineatur, quæ novis Antistitibus ipsa per se ad omnem virtutem præbeat incitamenta. Propterea Nos de præfatâ Apostolicâ Auctoritate, tum generatim in præinsertis Apostolicis sub plumbo Litteris, tum in specialibus sub Annulo Piscatoris, die 29 novembris anni 1801 à S. S. datis, Nobis tributa, aliquibus Ecclesiis noviter erectis, intrà quarum Diœcesium (si de Cathedralibus, si verò de Metropolitanis agitur intrà quarum Metropoleon), fines antiquæ supradictarum insignium Ecclesiarum quæ, ut præfertur, suppressæ et extinctæ sunt, Diœceses, vel earum pars aliqua consistit, denominationem, et titulum earumdem antiquarum Ecclesiarum adjungimus, et applicamus, juxta hanc Nostram quam hîc addimus enumerationem.

Elenchus Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium novæ erectionis, quibus Denominationes et Tituli suppressarum Ecclesiarum sive Archiepiscopalium, sive Episcopalium, applicati sunt.

Metropolitanæ novæ erectionis.	*Tituli Archiepiscopalium suppresarum.*
Parisiensis	Rhemensis, et Senonensis.
Lugdunensis......................	Viennensis, et Ebredunensis.
Tolosana	Auxilanensis, Albiensis, et Narbonensis.
Aquensis......................	Arelatensis.
Cathedrales novæ erectionis.	*Tituli Episcopalium suppressarum.*
Ambianensis	Bellovacensis, et Noviomensis.
Suessionensis	Lugdunensis.
Trecensis......................	Catalaunensis, et Autissiodorensis.
Divionensis......................	Lingonensis.
Camberiensis......................	Gebennensis.

Archiepiscopis

Archiepiscopis ergo et Episcopis canonicè instituendis quorum Ecclesiarum nomina in superiori Elencho descripta sunt, Apostolicâ nobis delegatâ Auctoritate mandamus, et respectivè potestatem facimus, ut eorum quilibet titulo Ecclesiæ, ad quam promoti fuerint, alios quoque suppressarum Ecclesiarum titulos adjungant, quos Nos in supradicto Elencho adnotavimus; ita tamen ut ex hâc titulorum unione et applicatione, propter Ecclesiarum quarumdam insignium memoriam et honorem unicè factâ, nullo unquam tempore deduci possit, aut easdem Ecclesias adhuc superesse, nec realiter fuisse suppressas, aut Antistitibus, quibus suarum Ecclesiarum titulo eorumdem titulorum adjungendorum potestatem fecimus, ullam aliam, præter eam, quam singulis hujus Decreti Nostri tenore expressè tribuimus, jurisdictionem adscriptam fuisse.

Assignatis Sanctis Titularibus Patronis, sub quorum invocatione in unaquâque ex sexaginta erectis Metropolitanis, et Cathedralibus respectivè Ecclesiis Templum majus erit appellandum, præfinitisque singularum Diœcesium limitibus, postulat rerum ordo ut ad reliqua procedentes, ab earumdem Ecclesiarum Capitulis ducamus exordium. Inter cætera enim quæ Nobis à Sanctissimo Domino Nostro, in sæpe laudatis Litteris Apostolicis mandata sunt, alterum illud est, ut suppressis jam à Sanctitate Suâ antiquis omnibus Gallicani Territorii Capitulis, nova in singulis Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis, quâ ratione fieri poterit, constituantur. Quod cùm ita Nobis commissum sit, ut facultas quoque has partes subdelegandi per memoratas Litteras Apostolicas Nobis ipsis tributa fuerit; ideò hujus facultatis vigore Archiepiscopis, et Episcopis Galliarum primò futuris facultatem concedimus, ut postea quam canonicè instituti Ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in Metropolitanis et Cathedralibus respectivè Ecclesiis suis erigere ipsi possint juxtà formam

à Sacris

à Sacris Canonibus, Conciliisque præscriptam, et ab Ecclesiâ huc usque servatam, cum eo Dignitatum, et Canonicorum numero, quem ad earumdem Metropolitanarum et Cathedralium Ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt.

Eosdem autem Archiepiscopos et Episcopos enixè adhortamur ut quantò citiùs fieri poterit, supradictâ facultate, ad suarum Diœcesium utilitatem, Ecclesiarum tam Metropolitanarum quàm Cathedralium honorem, Religionis decus, ac administrationis suæ levamen utantur, memores eorum quæ ab Ecclesia circà Capitulorum erectionem et utilitatem sancita sunt; quod quidem eò faciliùs ab ipsis peragi posse confidimus, quod in ipsâmet suprà memoratâ Conventione inter Sanctitatem Suam et Gallicanum Gubernium Parisiis feliciter initâ statutum sit, singulos Archiepiscopos, et Episcopos Gallicani Territorii unum in Ecclesiâ Metropolitanâ, et Cathedrali Capitulum habere posse.

Ut verò in iisdem Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis in iis, quæ ad Capitula, ut suprà, erigenda expectant, Ecclesiastica Disciplina servetur, iisdem Archiepiscopis, et Episcopis primò futuris curæ erit, ut quæ pertinent ad eorumdem Capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum Officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem Ecclesiis, earumque Choro servandos, ac alias quælibet per eorumdem Capitulorum Dignitates, et Canonicos obeunda munia, pro eorumdem Archiepiscoporum, et Episcoporum arbitrio, et prudentiâ definiantur et constituantur, relictâ tamen eorum Successoribus statutorum illorum immutandorum facultate, requisito priùs Capitulorum respectivorum consilio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et opportunum judicaverint: in ipsis autem statutis vel condendis, vel immutandis religiosa Sacrorum Canonum observantia retineatur, usuumque, ac consuetudinum laudabilium anteà

anteà vigentium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur. Quam quidem Capitulorum erectionem, cæteraque omnia ad ipsa Capitula pertinentia, singuli Archiepiscopi, et Episcopi cùm primùm perfecerint, erectionis hujusmodi, omniumque hanc in rem constitutorum acta authenticâ formâ exarata Nobis reddenda curent, ut ad perfectam Apostolicarum Litterarum executionem huic Nostro Decreto inserere possimus.

Porrò Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis sic constitutis, illud superesset, ut juxta receptam Apostolicæ Sedis consuetudinem de earumdem donatione, et redditibus statueremus. Sed cùm hanc ipsam dotationem Gallicanum Gubernium, memoratæ Conventionis vigore, in se susceperit, ut quantùm in Nobis est, præfatæ consuetudini satisfaciamus, declaramus, earumdem Ecclesiarum dotationem ex iis redditibus conflatam fore, qui ab ipso Gubernio juxtà præfatæ Conventionis tenorem, singulis Archiepiscopis, et Episcopis quamprimùm assignandi erunt, quosque sufficientes fore justè confidimus, ut iidem Archiepiscopi et Episcopi dignitatis suæ decenter onera ferre, et munia dignè valeant implere.

Et quoniam, ut in sæpe memoratâ Conventione Parisiis peractâ, atque à Sanctitate Suâ per Apostolicas supracitatas Litteras adprobata constitutum est, nova à futuris Archiepiscopis, et Episcopis Parœciarum circumscriptio in singulorum Diœcesibus facienda est, quam minimè dubitamus talem futuram, quæ Fidelium in unâquâque Diœcesi existentium tum copiæ, tum necessitati respondeat, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutem assequendam adjumenta possint deesse, ut impedimenta omnia quæ expeditam, ac plenam ipsius Conventionis, hâc in parte, executionem à singulis Antistitibus peragendam retardare possent, pénitùs removeantur, necessarium propterea ducimus, ut eo modo, quo de Diœcesibus factum est,

hujusmodi novæ Parœciarum circumscriptioni viam sternamus. Hinc ergo est, quod Nos de præfatâ Apostolicâ Auctoritate Nobiscum, ut suprà, omnes et singulas Parochiales Ecclesias, quæ in territoriis Diœcesium novæ circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque Presbyterum exercetur, qui Parochi, Rectoris, Vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo, et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum curâ, et jurisdictione quâcumque, *nunc pro tunc*, suppressas perpetuò fore declaramus; ita ut, cum singulis Ecclesiis in unaquâque Diœcesi in Parochiales erectis singuli Parochi, seu Rectores novorum Antistitum auctoritate præfecti fuerint, omnis antiquorum Parochorum jurisdictio in territorio novis Parœciis assignato cessare prorsùs debeat, neque ullus, præter novos Parochos, seu Rectores à novis Antistitibus institutos, illarum Ecclesiarum, aut in eo Territorio Parochus, Rector, aut alio quolibet titulo, et appellatione gaudens, censeri et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere ampliùs possit.

Singulis verò Parochialibus Ecclesiis sic erigendis pro congruâ Rectorum sustentatione eos redditus, qui, ut in supradictâ Conventione statutum est, assignandi erunt, iidem Archiepiscopi et Episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

Hæc omnia cùm singuli Antistites perfecerint, quod, quàm citissimè ut præstetur ab ipsis vehementer cupimus, et hortamur, eorum quilibet Nobis reddendum curet exemplar Decreti authenticâ formâ exaratum erectionis omnium Ecclesiarum Parochialum totius Diœcesis suæ, adjuncto singularum Titulo, Invocatione, extensione, terminatione limitibus congruâ, adnotatisque nominibus Civitatum, Pagorum, et Locorum, in quibus singulas Parœcias erexerint, ut exemplar ipsum, Nostro pariter huic Decreto inserere possimus ad supplendam enumerationem Parœciarum et Locorum, ex quibus

unaquæque

unaqùæque Diœcesis extare debebit, quæ juxta receptam consuetudinem à Nobis peragi debuisset.

Seminarium quoque, ut in suprà memoratâ Conventione similiter firmatum est, ad erudiendam in pietate, litteris omnique Ecclesiasticâ Disciplinâ juventutem, quæ clericalis militiæ est viam ingressura, quibus poterunt modis ac temporalibus adjumentis ad SS. Canonum et Conciliorum Sanctiones Archiepiscopi, et Episcopi omnes Ecclesiis novæ circumscriptionis præficiendi, quàm citissimè fieri poterit, curent instituendum; eique sic erecto, et instituto eas leges præscribant, tum quod ad scientiarum studia, tum quod ad omnem pietatis, et disciplinæ rationem, quæ magis accommodatæ suarum Ecclesiarum utilitatibus, temporumque circumstantiis ipsis in Domino videbuntur.

In id præactereà Archiepiscopi et Episcopi ipsi sedulò incumbant, ut Metropolitanæ, et Cathedrales Ecclesiæ, si quæ vel reparatione aliquâ indigeant, vel sacris suppellectibus, cæterisque, pro decenti Pontificalium usu, Divinique Cultûs exercitio vel omnimò carent, vel non satis instructæ sunt, ad utramque rem ipsis necessaria comparentur.

Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis, ut suprà, erectis, finibus singularum Diœcesium novæ circumscriptionis designatis, cæterisque statutis, quæ Capitulorum, Parœciarum, et Seminariorum erectiones, totamque Gallicanarum Ecclesiarum ordinationem respiciunt, Nos, de speciali, et expressâ Apostolicâ auctoritate, Civitates in Archiepiscopales, et Episcopales, ut præfertur erectas, itemque memoratas, et singulis Ecclesiis pro Diœcesi adscriptas atque attributas Provincias, seu Regiones, et in iis contentos utriusque sexûs habitatores et incolas tam Laïcos, quàm Clericos et Presbyteros novis prædictis Ecclesiis, illarumque futuris Præsulibus, pro suis Civitate, Territorio, Diœcesi, Clero, et Populo, perpetuò assignamus et respectivè in spiritualibus et in

ordine ad Religionis officia supponimus atque subjicimus. Quocircà Personis, Archiepiscopalibus et Episcopalibus Ecclesiis sic erectis et institutis, in Archiepiscopos, et Episcopos, tam pro hac primâ vice, quam aliis futuris vacationibus, Apostolicâ Auctoritate præficiendis licebit (quemadmodum iisdem de simili Auctoritate præcipimus, et mandamus) per se ipsos, vel per alios eorum nomine, veram, realem, actualem, ei corporalem possessionem, seu quasi regiminis, administrationis, et omnimodi juris Diœcesani in respectivis prædictis Civitatibus et earum Ecclesiis ac Mensis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus assignatis, vel assignandis, vigore Litterarum Apostolicarum provisionis de eorum personis liberè apprehendere, apprehensamque perpetuò retinere.

Propterea que statim ac novi Archiepiscopi et Episcopi canonicè, ut suprà, instituendi suarum Ecclesiarum regimen actu consecuti erunt, omnis antiquorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Capitulorum, Administratorum, ac sub alio quocumque titulo Ordinariorum jurisdictio cessare prorsùs debebit, facultatesque omnes ipsorum Ordinariorum nullius ampliùs erunt roboris vel momenti.

Demùm, quoniam Primi Galliarum Reipublicæ Consulis vota et postulata in id etiam intenderint, ut in magnis illis Insulis, amplisque Indiarum Occidentalium Regionibus, quæ præsenti Gallicanæ Reipublicæ Dominationi subjacent, res Ecclesiasticæ componantur, et necessitati Fidelium, qui magno numero eas incolunt Regiones consulatur, cùmque Sanctissimo Domino Nostrò per suas Apostolicas sub plumbo Litteras, sub datum Romæ, Apud Sanctam Mariam Majorem, Incarnationis Dominicæ 1801, 3º, cal. Decembris, quarum initium, *Apostolicum universæ*, hujusmodi negotio provisum sit; huic propterea operi manum jam apposuimus ut ipsæ Apostolicæ Litteræ debitæ executioni mandentur.

Putamus

Putamus tandem per Apostolicas hìc præinsertas Litteras, Nostrumque Decretum ita provisum cuicumque rei, quæ ad Gallicanarum Ecclesiarum statum in omne reliquum tempus componendum conducat, ut omnibus dubiis, quæstionibus aditus sit occlusus. Quod si fortè acciderit, ut aliquæ excitentur controversiæ, aut super intelligentia, sensu, executione tum prædictarum Litterarum, tum Decreti Nostri dubium aliquod exoriatur, quoniam Sanctissimo Domino Nostro visum est in iisdem Litteris ad controversias hujusmodi dijudicandas, et ad ea generatim perficienda omnia, per se ipsam S. S. efficere posset, amplissimis Nos facultatibus instruere, declaramus ea dubia, quæstionesque, nullis excitatis contentionibus, quæ Ecclesiæ non minùs, quàm Reipublicæ tranquillitatem perturbare possent, confestim ad Nos deferri debere, ut eas explicare, dissolvere, componere, et respectivè interpretari, de præfatâ Apostolicâ Auctoritate possimus.

Hæc autem omnia tam in præfatis Apostolicis Litteris, quàm in præsenti Decreto contenta, ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observari volumus: non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus etiam speciali et individuâ mentione dignis, cæterisque quæ Sanctitas Sua in dictis Litteris voluit non obstare.

In quorum fidem præsentes manu Nostrâ signatas, Secretarii Nostræ Legationis Apostolicæ subscriptione, Nostroque Sigillo muniri mandavimus.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ, die 9 Aprilis 1802.

J. B. Cardinalis CAPRARA, Legatus.

Loco † Sigilli.

Josephus Antonius SALA, Legationis Apostolicæ Secretarius.

LITTERÆ

LITTERÆ APOSTOLICÆ,

SUB PLUMBO,

Quibus Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Caprara, Legatus à Latere constituitur.

Pius, Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto Filio Nostro Joanni-Baptistæ, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Caprara nuncupato, Archiepiscopo, Episcopo Æsino, ad carissimum in Christo Filium Nostrum Napoleonem Bonaparte, Primum Galliarum Reipublicæ Consulem Gallicanamque Nationem, Nostro et Apostolico Sedis Legato de Latere, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dextera Altissimi, quæ semper in ostensione virtutis magnificata est, renovavit etiam temporibus hisce nostris magnalia sua. Illud siquidem est operata, ut tot inter impetus, ac procellarum jactationes, quibus universa Gallia tamdiù est et agitata, longè maxima Nationis illius pars Religionis quam à majoribus acceperat, et ab incunabulis hauserat, retinentissima fuerit, in eâque conservandâ avorum suorum gloriam, à quibus tot bona accepit Ecclesia, ad memoriam sæculorum omnium sit æmulata. Propterea nec desivimus, nec desituri unquam erimus in omni spiritûs Nostri humilitate gratias agere Misericordiarum Deo, qui tot inter angustias quibus undique premimur, tantasque curarum moles quas, cùm semper, tùm iis potissimùm temporibus necessariò habere debet sarcina supremi Episcopatûs quæ infirmitati Nostræ, inscrutabili Dei judicio est imposita, ad consolandos Nos Divinitatis suæ lumine, rationem Nobis suppeditare est dignatus, quâ Catholica Religio ad *liberum* ministeriorum suorum exercitium in Regionibus illis revocata, ad pristinam Cultûs sui puritatem, sanctitatemque possit reflorescere. Paterna charitas quâ nos Gallicanam Nationem

Nationem semper complexi fuimus, et ardentia illa studia quibus urgemur ut opus tam benè susceptum, auxiliante Deo, ad majorem ejus gloriam per imbecillitatem Nostram feliciter conficiatur, Nos vehementer sollicitos habet, rationesque omnes excogitare cogit, quæ ad hoc tantum bonum constituendum conferant, cum quo salus tam multarum animarum quas Christus Dominus sanguine suo redemit, est omninò conjuncta. Proptereà cùm ad id consequendum illud maximè tum Nobis tum Gubernio ipsi Gallicano prodesse posse videatur, si Nostrum atque Apostolicæ Sedis Legatum constituamus qui in Galliam se conferens et spiritualibus Fidelium illorum necessitatibus præstò sit, et ea bona properet quæ ex Conventione inter Nos et Gubernium Reipublicæ Gallicanæ initâ expectari debent, auditis Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus quos, quemadmodùm deliberatio tantæ rei postulabat omnes convocandos censuimus, unanimi eorumdem consilio et assensu, Te Dilecte Fili Noster, delegimus, cujus fidei, religioni, ac exploratæ prudentiæ tantum ac tam grave hoc munus committeremus, illud persuasi, Te pro eâ virtute ac singulari sapientiâ quâ præstas, ac præsertim pro eo amore, ac studio quod semper in cæteris muneribus quæ tibi à Sede Apostolicâ concredita sunt administrandis erga Catholicam Ecclesiam ostendisti, desiderio atque expectationi Nostræ esse cumulatissimè responsurum. Te igitur in Nostrum, et Apostolicæ Sedis Legatum ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, vigore præsentium, eligimus, constituimus, et deputamus, circumspectioni Tuæ mandantes, ut munus hujusmodi pro Tuâ in Deum pietate, in Nos et hanc Sanctam Sedem reverentiâ, in Christianam Rempublicam studio, alacri animo suscipiens, ac sedulò diligenterque, Deo juvante, exequaris, donec id pro necessitate temporum opportunum judicabitur.

Datum

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo octingentesimo primo, nono calendas septembris, Pontificatûs Nostri anno secundo.

A. Card. Pro Datarius.

R. Card. Braschius de Honestis.

Visa de Curia. J. Manassei.

Loco † Plumbi.

F. Lavizzarius.

Dilecto Filio Nostro Joanni Baptistæ, Tituli S. Honuphrii, S. R. E. Presbytero Cardinali Caprara nuncupato, Archiepiscopo, Episcopo Æsino, ad carissimum in Christo Filium Nostrum Napoleonem Bonaparte, Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, Nostro et Apostolicæ Sedis de *Latere Legato*.

PIUS P.P. VII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Cùm pro tuâ Religione, doctrinâ, ac exploratâ Nobis in rebus gerendis prudentiâ, Te Legatum Nostrum à Latere in Galliam mittere decreverimus ad Ecclesiasticas res componendas juxta ea, quæ peracta Conventionis inter Nos, et Rempublicam Gallicanam initæ, constituta sunt; quo faciliùs tantam rem cum Ecclesiæ gloriâ, Galliarumque tranquillitate explicare, conficere, expedire valeas Auctoritate Nostrâ Apostolicâ omnes, et singulas facultates Tibi concedimus, quibus de jure, usu, stylo, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet Apostolicæ Sedis à Latere Legati frui consueverunt; signanter absolvendi, dispensandi, commutandi, condonandi, relaxandi, juxta locorum, temporum, ac personarum circumstantias, pro tuo arbitrio et prudentiâ, atque tuâ oneratâ conscientiâ, et cum eâ salubri moderatione, quam

quam in Domino noveris expedire. Insuper potestatem facimus Tibi alios qui Tibi magis in Domino idonei videbuntur, subdelegandi, ut iisdem facultatibus uti possint, quando id utile ac necessarium ad Ecclesiæ atque animarum bonum judicaveris; quæ quidem potestatis amplitudine ita Te ad Ecclesiæ bonum, atque Animarum salutem usurum speramus, ut in rebus dubiis illud continuò memoriâ teneas, quod S. Innocentius I. Prædecessor Noster ad Felicem Episcopum Nucerium scribebat:(1) "Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi "instituta majorum, omniaque quæ possunt aliquam "recipere dubitationem ad Nos quasi ad caput, atque "ad apicem Episcopatûs referre, ut consulta videlicet "Sedes Apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquid "faciendumque pronuntiat." Siquidem solemne semper in Ecclesiâ fuit, quod idem Pontifex in Epistolâ ad Concilium Milevitanum memorat, Apostolicam Sedem consulere(2) "super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia" ac Tibi Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 4 Septembris, Pontificatûs Nostri anno secundo.

LITTERÆ CREDENTIALES

EMINENTISSIMI CARDINALIS LEGATI,

Carissimo in Christo Filio Nostro Napoleoni BONAPARTE, Primo Consuli Reipublicæ Gallicanæ.

PIUS PP. VII.

CARISSIME in Christo Fili Noster Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Deferet

(1) Litt. 36. t. 1, Ep. Rom Pont. edit. Coust. col. 910.
(2) Litt. 30, apud Coust. Loc. cit.

Deferet Tibi has Litteras Dilectus Filius Noster Joannes-Baptista, Tituli S. Honuphrii, S. R. E. Presbyter Cardinalis Caprara nuncupatus, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, quem Nos libentissimo animo Nostro, et hujus Apostolicæ Sedis Legatum à Latere ad Te mittimus. Hæ, ut testes erunt amplissimi muneris quod Nos in gerendum demandavimus, ità etiam probabunt Tibi magis magisque Paternam eam Caritatem, quâ Te complectimur, eaque studia quibus properamus ampliori, ac testatiori quo possumus modo omnia componere, et conficere quæ peracta Conventionis Nostræ ad Catholicæ Religionis bonum, internæque tranquillitatis conservationem in Galliâ, inter Nos sunt constituta. Eum Nos virum nihil est quod commendemus amori tuo; cum enim is pro suâ integritate, fide ac prudentiâ *sit præcipuè expetitus à Te*, eamque ob causam, eò libentiùs mittatur à Nobis, scimus eum opinione virtutis suæ satis carum, ac commendatum isthuc accedere. Ei igitur Tecum agenti eam fidem habebis, quam Nobismetipsis haberes si Nos Tecum coram ageremus. Neque enim dubitamus quin is sit futurus apud Te, qualem et Tu pro ejus religione, fide, in rebusque gerendis dexteritate cognitum judicasti, qualemque Nos etiam propter cætera munera gravissima, quibus est summâ cum laude perfunctus, speramus omninò extiturum. Quod ut bonum, felix, fortunatumque sit tum Nobis, atque Catholicæ Ecclesiæ, tum Reipublicæ isti universæ, D. O. M. obsecramus, et Tibi Apostolicam Benedictionem pignus Paternæ Charitatis Nostræ impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 4 Septembris 1801, Pontificatûs Nostri anno secundo.

Josephus Marotti.

BREVE

Quo datur Cardinali Legato potestas novos Episcopos instituendi.

PIUS PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Quoniam, favente Deo, spes nobis affulget assequendi, ut in omnibus locis dominio Gallicanæ Reipublicæ ad præsens subjectis, Unitas sanctæ matris Ecclesiæ redintegretur, et Catholica Religio reflorescat, iu quem finem per nostras apostolicas sub plumbo hac ipsâ die datas litteras de novo ereximus atque statuimus decem Metropolitanas, et quinquaginta Episcopales Ecclesias, videlicet :

Archiepiscopalem Parisiensem cum suffraganeis *Versalliensem*, Meldensem, Ambianensem, Attrebatensem, Cameracensem, Suessionensem, Trecensem et Aurelianensem.

Archiepiscopalem Bituricensem cum suffraganeis Lemovicensem, Claramontensem et Sancti-Flori.

Archiepiscopalem Lugdunensem cum suffraganeis Mimatensem, Gratianopolitanensem, Valentinensem, et Camberiensem.

Archiepiscopalem Rothomagensem cum suffraganeis Ebroicensem, Sagiensem, Bajocensem et Constantiensem provinciæ Rothomagensis.

Archiepiscopalem Turonensem cum suffraganeis Cenomanensem, Andegavensem, Rhedonensem, Nannetensem, Corisopitensem, Venetensem, et Briocensem.

Archiepiscopalem Burdegalensem cum suffraganeis Engolismensem, Pictaviensem et Rupellensem.

Archiepiscopalem Tolosanensem, cum suffraganeis Cadurcensem, Agennensem, Carcassonensem, Montispessulanensem, et Bayonensem.

 Archie-

Archiepiscopalem Aquensem cum suffraganeis Avenionensem, Dignensem, Niciensem, et Adjacensem.

Archiepiscopalem Bisuntinensem cum suffraganeis, Augustodunensem, Argentinensem, Divionensem, Nancejensem, et Metenensem.

Archiepiscopalem Mechliniensem cum suffraganeis Tornacensem, Gandavensem, Namurcensem, Leodinensem, Aquisgranensem, Trevirensem, et Moguntinensem.

Ad quas digni, et idonei ecclesiastici viri erunt à primo ipsius Reipublicæ Consule nominandi, et à nobis, ac pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris approbandi, et, servatis formis jampridem constitutis, canonicè instituendi juxta conventionem per similes apostolicas sub plumbo litteras nuper confirmatam; et quoniam temporis, ac circumstantiarum ratio omnino postulat, ut supradictæ omnes Ecclesiæ tam Metropolitanæ, quam Episcopales de utili, atque idoneo pastore absque ullâ vel minimâ morâ respectivè provideantur, et idcircò spatium minimè suppetit nec habendi notitiam de nominationibus à dicto Primo Consule faciendis, nec alia hîc in urbe gerendi, quæ in similibus peragi solent: nos, attentis gravissimis causis animum nostrum dignè moventibus, ut omnia arceantur pericula, et impedimenta tollantur, quæ conceptam tanti boni spem irritam fortasse, et fructu prorsùs vacuam redderent, salvâ tamen in posterùm, remanente debitâ præfatæ conventionis observantiâ, motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque maturâ deliberatione, ac apostolicæ Potestatis plenitudine dilecto filio nostro Joanni Baptistæ S. R. E. presbytero cardinali Caprara ad carissimum in Christo filium nostrum Napoleonem Bonaparte, Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, Gallicanamque nationem, nostro, et Apostolicæ Sedis de latere-Legato potestatem, et auctoritatem in hoc tantummodo peculiari casu impertimur, ut ipse nominationis ad præfatas Archiepiscopales, et Episcopales Ecclesias à pri-

mœvâ

mœvâ earum erectione nunc vacantes à supradicto Primo Consule faciendas excipere, et, constito sibi prius per diligens examen, et per assuetum eâ summariâ formâ, quâ fieri possit informativum processum de fidei, doctrinæ, et morum integritate, de religionis zelo, de judiciis Apostolicæ Sedis subjectione, deque verâ idoneitate juxta nostram instructionem cujuslibet ecclesiastici viri sic nominati, unumquemque eorum etiamsi doctoratûs gradu non insignitum, memoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus Ecclesiis nostro nomine respectivè præficere, et ad illas instituere possit, ac valeat. Plurimum autem in ipsius Joannis Baptistæ cardinalis-Legati prudentiâ, doctrinâ, et integritate confisi pro certo habemus, *neminem ad Archiepiscopalem, vel Episcopalem dignitatem ullo unquam modo ipsum fore admissurum, qui requisitis ad id necessariis juxta canonicas leges non sit apprimè suffultus.*

Eidem insuper cardinali Legato omnem facultatem, et auctoritatem tribuimus, ut per se, vel per quemcumque alium antistitem ab eo specialiter deputandum, et gratiam ac communionem Sedis Apostolicæ habentem, accitis et ad hoc adsistentibus vel aliis duobus Episcopis, vel duobus Abbatibus, seu Dignitatibus, aut Canonicis, sive in horum defectu etiam duobus simplicibus presbyteris, cuicumque ex Archiepiscopis et Episcopis sic ut præfertur canonice instituendis, emissis priùs à quolibet fidei professione, et fidelitatis debitæ juramento, consecrationis munus impendere liberè, ac licitè possit, et valeat.

Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque omnibus, et singulis, etiam expressâ, et individuâ mentione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, sub Annullo Piscatoris die XXIX. Novembris MDCCCI. Pontificatûs nostri anno secundo.

PUBLICATIO

PUBLICATIO
INDULGENTIÆ PLENARIÆ
IN FORMA JUBILÆI.

Nos Joannes-Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Caprara, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Pii Papæ VII, et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem, à Latere Legatus.

Sublatâ tandem calamitate bellorum, quibus diù tam magna orbis pars miserandum in modum jactata fuit, miseratione et clementiâ Dei, Primique Reipublicæ vestræ Consulis sapientiâ, ea pax Galliis nuper est reddita, quæ incensis omnium desideriis et votis jamdudùm expetebatur. Ea, patriæ cives, liberos parentibus, uxoribus viros, agris cultores, opifices artibus, Reipublicæ denique universæ, pristinam restituit tranquillitatem. Exultant propterea Gallorum animi, cùm ex omni civium ordine nemo ferè sit, quin sibi quoque communem esse sentiat tantam hanc Reipublicæ utilitatem. Sed quanquàm bonum hoc magnum sit atque insigne, illud tamen longè majus debet videri vobis, quod, remotis difficultatibus, quas tantæ perturbationes rerum ac temporum instruxerunt, compositisque omnibus animorum discordiis, Catholicæ Religionis Cultus antiquæ libertati restituitur, omnesque *ad unum ovile et eorumdem Pastorum regimen revocantur*. Explicare profecto satis non possumus quantam paternus Sanctissimi Domini Nostri animus indè capiat consolationem, qui, cùm vix ad Apostolatûs officium evectus, sollicitudinem suam in vos converterit, nullisque aut laboribus, aut curis pepercerit, ut florentissimæ Nationi vestræ cumulum hunc felicitatis imponeret, carum tandem fructum uberrimum se percepisse lætanter cognoscit.

Itaque

Itaque Deo primùm, qui misericordiæ suæ recordatus, in vos benignus respexit, cum omni humilitate gratias agentes, in tantâ hujus diei lætitiâ gratulamur inclyto vestræ Reipublicæ Primo Consuli, cujus potissimùm operâ usus est Deus, ad tantum bonum vobis comparandum; gratulamur vobis omnibus, qui boni hujus possessores facti estis; nobismetipsis denique gratulamur, qui, in his regionibus, Deo disponente, constituti, cùm utilitatis vestræ adjutores, tum participes quoque gaudiorum vestrorum effecti sumus.

Hoc autem *datum* verè *optimum et donum perfectum* quod in vos à Deo collatum est, omni ratione postulat, ut divinæ bonitati atque clementiæ, quàm diligentissimè respondeatis, ne indè districtiùs judicemini, unde majora ad æternam salutem præsidia capere debuissetis. Ad has autem explendas partes, sic existimare debetis, satis minimè esse, quæ pertinent ad splendorem, cultumque Templorum, Cæremoniarum apparatum, Festorum celebrationem, aliaque hujus generis, quæ cùm sanctissimè sint ad honorandum Deum instituta, sunt illa quidem studiosè ac ferventer colenda, ut sublatus Deo, diuturnâ intermissione, honor aliquâ ex parte reparetur. At si externis hisce Religionis significationibus contenti, nullas esse reliquas partes vestras ducatis, ne vos inanem ac vacuam Christianæ Professionis umbram ac nomen tenebitis. Quid enim restitutam vobis patrum vestrorum Religionem esse profuturam arbitramini, si in eâ tantum parte quæ se prodit in lucem et conspectum hominum ipsam retineatis, neglectâ illâ quæ in solidâ erga Deum pietate, atque interno cultu consistit? *In spiritu* enim *et veritate*, est Deus potissimùm adorandus, in quo primùm illud est, ut caritatem, sine quâ nec oblationes, nec holocausta, nec ritus ulli apud Deum accepti esse possunt, animis nostris foveamus.

Sed cùm nihil sit quod caritati tam adversetur, quàm ea noxarum inquinamenta, quibus nos promissæ Christo fidelitatis

fidelitatis immemores, Deum turpiter deserentes, in diaboli transimus servitutem, ab eo exordium est sumendum, ut virtute pœnitentiæ, crimina nostra abstergentes, in Dei amiticiam et gratiam revertamur. Eia igitur, Galliarum Populi, quoniam dies propitiationis advenit; secundam illam post naufragium tabulam, quam divina vobis benignitas offert, quæque *peccatorum fluctibus mersos prolevare et in portum divinæ clementiæ valeat deducere,*(1) sollicito animo amplectamini. Ad hanc vos Pastorum Princeps, cui dictum in personâ Petri fuit: *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta in cœlis,* quàm maximo potest studio exhortatur, et impellit. Non aliam à vobis Ille, tot curis laboribusque, quos pro inclytâ Natione vestrâ pertulit, grati animi postulat sanctificationem, nisi ut *in jejunio, in fletu, in planctu, in toto* denique *corde vestro ad Deum convertamini.* Thesauros Ille Ecclesiæ omnes, quorum custos et distributor à Deo datus est, vobis omnibus pandit, ut non modò, nullum sit flagitii, aut iniquitatis genus, quod deletum esse non velit, sed à temporalibus etiam pœnis, quas propter eas contraxistis, quoad per Ecclesiæ indulgentiam fieri potest, levati ac liberati sitis.

Itaque indulgentiam in formâ Jubilæi, Apostolicâ ejus auctoritate et mandato solemniter promulgamus, quam Sanctitas Sua communem esse vult incolis omnibus universi, quà latè patet, Gallicanæ Reipublicæ Territorii; cujus ut utilitas, in tantâ populorum frequentiâ, commodiùs capi possit ab omnibus, à die quâ præsentes Nostræ Litteræ in singulis locis à novis Archiepiscopis et Episcopis mox canonicè instituendis publicabuntur, spatio dierum trigenta perdurabit. His autem diebus, idem Sanctissimus Dominus Noster Pius, Divinâ Providentiâ Papa Septimus, de Omnipotentis Dei ac Redemptoris Nostri

(1) Tertull.

Nostri Misericordiâ, et Beatorum Apostolorum ejus Petri et Pauli precibus et auctoritate confisus, omnibus et singulis Christi fidelibus qui, humili corde ad D. N. J. C. conversi, sacramentaliter confessi, et S. Communione refecti, Ecclesiam, à singulis Archiepiscopis et Episcopis, vel eorum Vicariis, aut aliis ab iisdem ad hoc deputatis, designatam devotè visitantes, in eà, pro tam magno beneficio, Deo Omnipotenti gratias egerint, et pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, pro felici statu Sanctitatis Suæ, pro Reipublicæ hujus et Magistratuum suorum omnium felicitate, pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam et Remissionem, sicut anno Jubilæi concedi solet, in Domino misericorditer elargitur. Fidelibus verò omnibus utriusque sexûs, et cujuscumque statûs et conditionis liberum erit quemcumque ex Confessariis ad hunc effectum deputandis ab Archiepiscopis et Episcopis Diœcesium, in quibus domicilium eis habere contingat, Sacerdotem eligere cui peccata sua sacramentaliter confiteantur: quibus omnibus Sacerdotibus extraordinarias amplissimasque, de præfatâ apostolicâ auctoritate, per singulos locorum Ordinarios concessimus facultates, ut necessitatibus omnium in pœnitentiali foro valeant providere. Senes vero, infirmi, vel alio rationabili impedimento detenti, qui injunctis precibus vacare in Ecclesiis non poterunt, ut in propriis oratoriis, vel domibus, de Parochi consensû et Confessarii ab se electi judicio, eas perficere, et cæteris adimpletis, similes Indulgentias consequi possint, eâdem auctoritate apostolicâ indulgemus.

Denique, ut speciali quodam modo gratiæ Deo, pro his collatis beneficiis reddantur à Clero, mandamus, ut, per integrum triginta dierum spatium quos hujusmodi Indulgentiæ, in jubilæi formâ lucrandæ, præscripsimus, in Missis omnibus per totam Reipublicæ ditionem, addatur Collecta pro *Gratiarum actione*, juxta Rubricas.

U Ut

Ut autem præsentes Litteræ ad omnium, qui in Gallicanæ Reipublicæ territorio degunt notitiam deducantur, omnes et singulos præfatos Archiepiscopos et Episcopos in Domino monemus iisque injungimus, ut, cùm primùm, Præsentibus Nostris acceptis, opportunum judicaverint, iis omnibus constitutis quæ eorum arbitrio commissa sunt, eorum exemplar ubique per eorum Diœceses et Ecclesias faciant promulgare.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ hâc die 9 aprilis 1802.

J. B. Cardinalis CAPRARA, Legatus.

J. A. Sala, Apostolicæ Legationis Secretarius.

INDULTUM

PRO

REDUCTIONE FESTORUM.

Nos Joannes-Baptista, Tituli Sancti Honuphrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Caprara, Archiepiscopus, Episcopus Æsinus, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ VII, et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Primum Galliarum Reipublicæ Consulem à Latere Legatus.

Apostolicæ Sedis, cui Ecclesiarum omnium sollicitudo à Dominò Nostro Jesu-Christo imposita fuit, officium est, servandæ Ecclesiasticæ Disciplinæ rationem ità moderari, ut locorum ac temporum circumstantiis opportune ac suaviter provideatur. Id præ oculis habens Sanctissimus Dominus Noster Pius Divinâ Providentiâ Papa VII, ad cæteras animi sui curas, quas pro Gallicanis Ecclesiis suscepit, eam quoque adjecit, ut, quid in novo hoc rerum ordine, quod ad Festos dies constituere opporteret, deliberandum sibi proponeret. Notum siquidem Sanctitati Suæ in primis erat, in tantâ regionum latitudine quæ Gallicanæ

Gallicanæ Reipublicæ Territorium constituunt, non unam hâc in re, eamdemque consuetudinem viguisse, sed alios in aliis Diœcesibus Festos dies custoditos fuisse. Animadvertebat prætereà, populis qui ejusdem Reipublicæ Gubernio subjacent, magnam esse, post tantos bellorum eventus, earum rerum reparandarum necessitatem, quæ ad commercium pertinent, ac vitæ usus; quibus quidem reparandis, propter interdictum diebus Festis manuum laborem, eorumdemque dierum numerum, non ita facilis via pateret. Denique et illud, non sine magno animi dolore expendebat, non eâdem ubique pietate hisce in Regionibus Festos huc usque dies observatos fuisse; ut propterea ob neglectam pluribus in locis Festorum dierum religionem, non parvum in bonos, piosque fideles scandalum dimanaret.

His ergo omnibus perpensis, et maturè libratis, factum est, ut è re tum Christianâ, tum Publicâ futurum judicaverit, si status quidam Festorum dierum numerus, (isque quo contractior fieri posset) in toto Reipublicæ Territorio retinendus constitueretur, ut et omnes qui iisdem legibus continentur, æqualitate firmatâ, eamdem Disciplinam tenerent, et eorum dierum imminutione cùm levari multorum necessitas, tum facilior eorum qui reliqui fierent, observatio redderetur. *Quare cùm ad hæc Primi etiam Reipublicæ Consulis desideria, et postulata accesserint,* Nobis uti ejusdem Sanctitatis Suæ à Latere Legato injunxit, ut de Apostolicæ potestatis plenitudine, Festorum dierum, qui iidem Dominici non sint, numerum ad eos tantùm in universo Galliarum Reipublicæ Territorio contractos esse declararemus, quos ad calcem Indulti hujus enumerabimus, ita ut posthac in reliquis Festis diebus omnes ejusdem Incolæ non solùm à præcepto audiendi Missam vacandique ab operibus servilibus, sed à Jejunii etiam obligatione in diebus qui Festa hujusmodi proximè præcedunt, prorsùs absoluti censeantur et sint. Eam tamen legem adjectam esse voluit,

 ut

ut in Festis diebus Vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto Divinorum Officiorum Sacrarumque Cærémoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia eâ prorsùs ratione peragantur, quâ hactenùs consueverunt, exceptis tamen Festis Epiphaniæ Domini, Sanctissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctorum Patronorum cujuslibet Diœcesis et Parœciæ, quæ in Dominicâ proximè occurrente in omnibus Ecclesiis celebrabuntur.

Ad honorem autem SS. Apostolorum, et Martyrum Sanctitas Sua præcipit, ut tum in publicâ, tum in privatâ Horarum Canonicarum recitatione omnes qui ad illas tenentur in Solemnitate SS. Apostolorum Petri et Pauli Sanctorum omnium Apostolorum, in Festivitate verò S. Stephani Protomartyris omnium Sanctorum Martyrum commemorationem faciant, quod idem in Missis omnibus iisdem diebus celebrandis agendum erit. Eadem pariter Sanctitas Sua mandat, ut Anniversarium Dedicationis Templorum quæ in ejusdem Gallicanæ Reipublicæ Territorio erecta sunt in Dominicâ quæ Octavam Festivitatis omnium Sanctorum proximè sequetur, in cunctis Gallicanis Ecclesiis celebretur.

Quamvis verò æquum esset, ut in diebus Festis sic abrogatis præceptum saltem audiendi Missam retineretur, ut tamen Galliarum Populi verè paternam Sanctitatis Suæ in omnes caritatem magis agnoscant, hortatur solum atque eos præsertim qui victum parare sibi labore manuum minimè coguntur, ut iis diebus Sacrosancto Missæ Sacrificio haud negligant interesse.

Illud denique Sanctitas Sua à religione, ac pietate Gallorum sibi pollicetur, ut quò minor in posterùm futurus erit tum dierum Festorum, tum Jejuniorum numerus, eò majori studio, fervore, ac diligentiâ paucos illos qui supererunt observaturi sint, illud sedulo animo reputantes, Christiano nomine indignum esse, quisquis Christi

Christi et Ecclesiæ ejus mandata, quâ par est curâ non custodit. Ut enim præclarè scriptum est ab Apostolo Joanne : *Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.*

Dies Festi præter Dominicos in Gallis observandi.

Nativitas D. N. J. C.

Ascensio.

Assumptio B. M. V.

Festum Sanctorum omnium.

Datum Parisiis, ex Ædibus Nostræ Residentiæ, hâc die 9 Aprilis 1802.

J. B. Card. CAPRARA. Legatus.

J. A. SALA, Apostolicæ Legationis Secretarius.

CANONICÆ ET REVERENTISSIMÆ EXPOSTULATIONES

APUD

SS. DD. NN. PIUM,

DIVINÂ PROVIDENTIÂ

PAPAM VII,

DE

VARIIS ACTIS AD ECCLESIAM GALLICANAM SPECTANTIBUS.



LONDINI:
EX OFFICINÂ COX ET BAYLIS,
No. 75, GREAT QUEEN STREET, LINCOLN'S INN FIELDS.

DÉC. 1803.

CANONICÆ ET REVERENTISSIMÆ EXPOSTULATIONES

APUD

SS. DD. NN. PIUM,

DIVINÂ PROVIDENTIÂ

PAPAM VII,

DE VARIIS ACTIS, AD ECCLESIAM GALLICANAM SPECTANTIBUS.

BEATISSIME PATER,

SANCTITATEM Vestram, cum summo, ut filios decet, venerationis pietatisque sensu, enixè rogamus, atque obtestamur, ut, pro suâ æquitate, nobis animum accommodare dignetur, causam acturis, quâ nulla forsan gravior excogitari potest, majorisque momenti.

Hanc verò luctuosam, non minùs quàm gravem causam, apud Sanctitatem Vestram agere aggredientes, idem possumus initium dicendi facere, ac faciebat olim Sanctus Bernardus, cùm et ipse de nonnullis judiciis quæ, in detrimentum Disciplinæ Ecclesiasticæ, ac legitimæ Episcoporum auctoritatis, è Curiâ Romanâ exierant, ad Innocentium II, Summum Pontificem, querimonias deferens, scriberet: *Fidenter loquor, quia fideliter amo.*(1)

Neque

(1) *Amantissimo Patri et Domino,* INNOCENTIO, *Summo Pontifici, suus Bernardus.*

" Fidenter loquor, quia fideliter amo.... Querimonia.... est.... com-
" munis multorum, eorumque præcipuè qui sinceriori affectu vos diligunt;
" vox

Neque profectò Sanctitati Vestræ suspecta esse potest ista devotionis significatio, cùm ab Episcopis fiat in exilio, diuturnâque tribulatione senescentibus, eâ nominatìm de causâ, quòd invictâ semper animi fortitudine tenuerint, propugnaverint, ac tuiti sint primatum honoris et jurisdictionis, Romano Pontifici, in universâ Ecclesiâ, divino jure competentem; ità ut nullâ unquàm criminatione, aut insectatione obscurari queant, vel obnubilari, hæc nostra fides, hæc nostra in Sedem Apostolicam, Vestramque Sanctitatem filialis pietas, quas tot itinera, pericula, exilia, labores, ærumnæ à duodecim annis, in universo mundo annuntiaverunt, et etiam nunc annuntiant.

Gloriamur itaque singuli, ex totis præcordiis, et intimo mentis affectu, egregiam illam Beati Hieronymi confessionem usurpantes: "*Ego nullum primum nisi Chris-*" *tum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri,* " *communione consocior, super illam Petram ædificatam* " *Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Agnum* " *comederit, profanus est....Quicumque tecum non col-* " *ligit, spargit.*"(1)

Et quis unquàm sanus rerum æstimator arbitretur à canonicâ obedientiâ, à juratâ fide, à rationabili obsequio, à debito venerationis ac veræ submissionis sensu defecisse, aut deficere Episcopos; *propterеà quòd, ma-* " *jorum*

" vox una omnium qui fideli apud nos curâ populis præsunt; justitiam in " Ecclesiâ deperire, annullari Ecclesiæ claves, Episcopalem omnind vilescere " auctoritatem....causam referunt in vos....Prô! pudor....amici confun- " duntur; fidelibus insultatur; Episcopi ubique in opprobrium veniunt et con- " temptum; quorum dùm recta judicia contemnuntur, vestræ quoque plurimùm deorgatur auctoritati. Ipsi sunt enim qui honorem vestrum zelant, " qui vestrâ pro pace et exaltatione laborant fideliter....Quid vobis vires " minuitis? Quid robur vestrum deprimitis? Quousquè retunditis arma " fidelia militantia vobis?" *Sanctus Bernardus, Epist.* 178, *n.* 1 *et* 2, *tom. I., col.* 174, *edit. Mabill. ann.* 1690.

(1) S. Hieronymus, Epist. 14, aliàs 57, ad Damasum Papam, tom. IV., part II., col. 19 et 20. edit. D. Martianay, Benedictini; Parisiis, 1706.

jorum exempla secuti (1), ad avertenda rei Catholicæ mala, veramque sanctissimæ Religionis utilitatem promovendam, *rationes suas* (ut Benedicti XIV verbis utamur) Sanctitati Vestræ et repræsentaverunt jam, et, gravioribus adhuc exigentibus causis, iterùm repræsentant?

Canonicas nempè et Reverentissimas hasce Expostulationes apud Sanctitatem Vestram habere nos cogunt

1°. Apostolicæ sub plumbo Litteræ, incipientes: *Qui Christi Domini vices*, datæ Romæ apud S^tam^ Mariam-Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1801, tertio Cal. Decembris, per quas Sanctitas Vestra devenit ad peragendam novam Gallicanarum Diœcesium circumscriptionem, juxta Conventionem à Plenipotentiariis Sanctitatis Vestræ et Gubernii Gallicani, Parisiis initam, die 15ª. mensis Julii, ejusdem anni 1801;

2°. Ipsamet

(1) "Victor, qui tùm Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias, " cum aliis finitimis.... à communi unitate Ecclesiæ amputare conatur.... " Verùm ista cæteris omnibus parùm placebant Episcopis. Illum igitur " contrà magnoperè hortabantur, ut pacis, concordiæ, et charitatis erga " proximos, diligentem curam haberet.... Inter quos Irenæus, quanquam " per litteras, scriptas ex personâ Fratrum in Galliâ, quibus præerat, tradit " Mysterium Resurrectionis Domini solâ die Dominicâ recolendum quidem " esse: Victorem tamen de hoc, videlicet ne tàm multas Ecclesias omninò, " propter Traditionis ex antiquâ consuetudine inter illas usurpatæ observa- " tionem, à corpore universæ Christi Ecclesiæ penitùs amputet.... admo- " nel." *Euseb. Hist. Eccl. lib. V.*, *cap.* 24, *apud Baron. ad an.* 198, *No.* 10 *et* 11. *tom. II.*, *pag.* 269, *Antuerp.* 1617.

Pius ipse VI ea commemoravit quæ scripsit olim Ivo Carnotensis ad Paschalem II, ut hunc deterreret à mutando in Galliis Ecclesiarum Episcopalium statu. " Quæ item rei novitas, inquit venerandus Pontifex, tanti " habita est ab Ivone Carnotensi, ut, ad illam avertendam, necessarium " sibi esse duxerit ad Paschalem II confugere, eumque his verbis compel- " lare: *Ut statum Ecclesiarum, qui quadringentis fermè annis duravit,* " *inconcussum manere concedatis; ne, hâc occasione, Schisma, quod est in* " *Germanico Regno adversus Sedem Apostolicam, in Galliarum Regno* " *suscitetis.*" Litter. Apostol. 10 Mart. 1791, tom. I, pag. 162. edit. Paris. an. 1798.

2°. Ipsamet illa Conventio, à Sanctitate Vestrâ confirmata per Apostolicas sub plumbo Litteras, incipientes: *Ecclesia Christi*, datas Romæ, apud Sanctam Mariam-Majorem, eodem similiter anno Incarnationis Dominicæ 1801, decimo-octavo Cal. Septembris;

3°. Illa quæ deinceps peracta sunt, ut præfatæ Litteræ Apostolicæ suum sortirentur effectum;

4°. Ea deniquè miserrima quæ ex his gestis omnibus, *in destructionem potiùs, quàm in ædificationem*, consecuta sunt.

Fatemur, Beatissime Pater, hæsisse nos attonitos, et vix ac ne vix quidem oculis nostris credidisse, cùm, ab ipso fermè exordio dictarum Apostolicarum sub plumbo Litterarum, incipientium: *Qui Christi Domini vices*, ea legimus quæ Sanctitas Vestra scripsit, videlicet: "Minimè putabamus futurum, ut Nos cogi deberemus derogare assensibus legitimorum Pastorum, qui pridèm "Ecclesias illas ac Diœceses (in Galliâ) obtinebant: "quæ nunc omnes, juxta novam circumscriptionem immutatæ, novis Pastoribus à Nobis donandæ sunt. "Quinimò sperabamus veteres omnes legitimos Antistites, tanto præsertìm à Nobis studio et amore, ad "vetera ipsorum merita magna atque præclara novo hoc "sacrificio augenda, excititatos, Litteris amantissimis "Nostris, quod maximè flagitabamus, statìm responsuros, et spontè ac liberè Ecclesias suas in manibus "Nostris resignaturos. Sed quoniàm nunc, magnâ cum "animi Nostri ægritudine, in eo sumus, ut....etsi liberæ "dimissiones multorum Episcoporum ad Nos venerint; "multorum tamen, aut nondùm allatæ sint, aut Litteræ allatæ quæ rationes quærunt quibus differri hoc "sacrificium possit....derogamus expressè cuicumque "assensui legitimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Capitulorum respectivarum Ecclesiarum, et "aliorum quorumlibet Ordinariorum, et perpetuò interdicimus iisdem quodcumque exercitium cujusvis

"Ecclesiasticæ

" Ecclesiasticæ Jurisdictionis; nullius roboris decla-
" rantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus; ità
" ut eæ Ecclesiæ, et respectivæ earum Diœceses, sive
" integræ, sive ex parte, juxta novam peragendam cir-
" cumscriptionem, et haberi debeant, et sint reverà
" prorsùs liberæ, ut de iis Nos constituere ac disponere
" eâ formâ possimus quæ infrâ à Nobis indicabitur."(1)
Cæterùm ex his verbis planè compertum atque exploratum nobis fit, quid consilii initum habuerit Sanctitas Vestra, dùm, in datis ad nos Litteris Apostolicis, die 15a. Augusti, 1801, quibus Sedium nostrarum resignationem, intra decem dies, sublatâ etiam cujuslibet responsi dilatorii facultate, in manibus Suis fieri postulabat, hæc adjecit: " Pro certo habemus vos, prompto libentique ani-
" mo, monitis Nostris obsecuturos, quibus, ad Eccle-
" siæ bonum constituendum, tantâ animi contentione
" urgere cogimur virtutem vestram: præsertìm cùm
" vos, quâ estis sapientiâ, cognoscere debeatis, renuen-
" tibus vobis obsequi postulationibus Nostris, ne unitati
" conservandæ Catholicæ Religionis, Ecclesiæque tran-
" quillitati restituendæ obstacula ulla per Nos in Galliâ
" opponantur, (dolenter dicimus, sed tamen, tanto im-
" pendente Rei Christianæ periculo, à Nobis omninò
" est dicendum) ad ea necessariò à Nobis veniendum fore
" quibus, et omnia impedimenta tolli, et id tantùm boni
" consequi omninò Religio possit."(1)

Tunc nimirùm postulans Sanctitas Vestra in manibus Suis, intra decem dies, à nobis fieri liberam Sedium nostrarum resignationem, fore significabat, ut si, in tanti momenti negotio, ubi singularum Diœcesium nostrarum, totius Ecclesiæ Gallicanæ, imò universi Catholici Episcopatûs res agebatur, non absolutum statìm, atque intra tàm

(1) Bulla: *Qui Christi Domini vices, pag.* 50 *et* 52.

(2) Litter. Apostol. *Tàm multa, ac tàm præclara,* diei 15 Aug. 1801.

tàm breve temporis spatium, sed priùs quidem dilatorium responsum daremus, Ecclesiæ nostræ liberæ haberentur, nobis licèt viventibus, et ab illarum resignatione abstinentibus; nos ipsi perpetuò interdiceremur quolibet exercitio cujusvis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, atque nullius roboris declararentur, si quos deinceps Ecclesiasticæ Jurisdictionis actus exerceremus.

Nunc verò Sanctitas Vestra ulteriùs progressa, quod primùm tectis verbis indicaverat, id palàm præstitit; atque in facie totius Ecclesiæ Decretum tulit, quo, si fieri posset, eos omnes ex nobis quorum liberæ dimissiones ad ipsam non pervenerant tertio Calendas Decembris, anni 1801, Episcopis depositionis pœnâ mulctatis redderet simillimos.

Dùm autem tale Rescriptum edidit Sanctitas Vestra, ergòne hanc mentem, voluntatemque suscepisset, ut in tot Præsules, quasi reos dilatæ perperàm abdicationis Sedium suarum, sententiâ condemnationis animadverteret? Absit profectò à nobis, ut vel levissimè suspicemur à Sanctitate Vestrâ initum fuisse hujusmodi consilium, ab omnibus æquitatis legibus tantoperè dissentaneum.

Apostolicæ sub plumbo Litteræ, incipientes; *Qui Christi Domini vices*, in quibus legitur tot legitimis Antistitibus perpetuò interdici quodcumque exercitium cujusvis Ecclesiasticæ Jurisdictionis, nec non Ecclesias eorum haberi debere, et esse reverà prorsùs liberas, datæ fuerunt tertio Calendas Decembris (die 29[a] Novembris) anni 1801.

Suut autem ex illis Præsulibus nonnulli quibus Apostolicæ Litteræ, incipientes: *Tàm multa, ac tàm præclara*, datæ Romæ, apud Sanctam Mariam-Majorem, die 15[a]. Augusti, ejusdem anni, ad postulandam Sedium Episcopalium resignationem, nomine Sanctitatis Vestræ non traditæ sunt, nisi inchoato jam ac decurrente mense Decembri, post absolutam penitùs mensem Novembrem;

atque

atque his certè, tertio Calendas Decembris, culpabilis moræ crimen irrogari minimè poterat; siquidem, eo ipso die, Litterarum Sanctitatis Vestræ, ad abdicationes spectantium, authenticum exemplar nondùm acceperant. Horum tamen Ecclesiæ liberæ dictæ fuerunt; pronunciatum tamen fuit his perpetuò interdici quodcumque exercitium cujusvis Ecclesiasticæ Jurisdictionis.

Sunt etiam ex eisdem Præsulibus alii quibus præfatæ Litteræ Apostolicæ, incipientes: *Tàm multa, ac tàm præclara*, datæ 15a. Augusti, 1801, licèt paulò maturiùs, ità tamen Sanctitatis Vestræ nomine traditæ sunt, ut responsum illorum, etsi absque ullâ cunctatione datum, ad Vestram tamen Sanctitatem pervenire nullatenùs potuerit, nisi post elapsum tertium Calendas Decembris; et profectò, his quoque tertio Calendas Decembris, culpabilis moræ crimen irrogari neutiquàm potuit; siquidem isto die, scitu prorsùs impossibile fuit, utrùm illi Sedium suarum resignationem fecissent, nec ne. Horum tamen Ecclesiæ liberæ pariter dictæ fuerunt; pronunciatum tamen pariter fuit his perpetuò interdici quodcumque exercitium cujusvis Ecclesiasticæ Jurisdictionis.

Deindè, quo unquàm pacto crimini verti possent Episcopis responsa dilatoria, quæ non rationes quærebant quibus differri posset Sedium abdicatio, sed *causas* palàm proferebant, propter quas ea esset necessariò differenda; responsa in quibus Episcopi, cum summâ, sicuti par erat, observantiâ, cum omnimodâ filialis obsequii significatione, Sanctitati Vestræ exposuerunt, quid privatis suis Diœcesibus, quid Ecclesiæ suæ Nationali, quid universo Ordini Episcopali, quid toti Ecclesiæ Catholicæ, quid ipsimet Apostolicæ Sedi timerent, si ea perficerentur quæ videbantur inchoata; atque Sanctitatem Vestram enixè rogaverunt et obtestati sunt, ut, si quæ essent, in tàm inauditis rerum adjunctis, timoris discutiendi, spei-

que

que admittendæ rationes, has cum ipsis benignè vellet communicare?

Sanè hâc viâ incedentes Episcopos in antecessum non absolvit modò, sed necessario prorsùs officio fungi docuit gloriosæ memoriæ Decessor vester Benedictus XIV, cùm scriberet: " *Episcopus, intelligens Apostolicæ Sedis legem* " *in Diœcesi suâ noxium aliquem effectum producere posse* " *non modò suas Romano Pontifici rationes repræsentare* " *non prohibetur, quin potiùs ad id omninò tenetur.*" (1)

Sanè etiam Gallicanos Episcopos, super eo quod agebatur gravissimo negotio, ad ipsorum Ecclesiam pertinente, sensa sua Sanctitati Vestræ reverenter exponentes, extra omnem culpam in antecessum posuit, gloriosæ pariter memoriæ proximus Decessor vester, Pius VI, qui hoc ipsum sibi ab eis præstari adeò impensè exoptabat, exposcebat, atque obsecrabat, ad illos scribens, in Litteris Romæ datis apud S. Petrum, die 10. Martii, 1791: " Dùm Rex ipse postulat à Nobis inter cætera, ut horta- " tione nostrâ, Metropolitanos et Episcopos inducamus " ad consentiendum Ecclesiarum Metropolitanarum et " Episcopalium divisioni et suppressioni,...ex hâc pro- " fectò Regis delatâ postulatione facilè perspicitur, ab " eo ipso nimirùm agnosci exquirendos esse in hujus- " modi casibus Episcoporum sensus; æquumque planè " esse ne nos quidquam, nisi ipsis auditis, statuamus. " Vestra igitur consilia, vestras singulariter expositas " consiliorum rationes à vobis, vel universis, vel pleris- " que, suscriptas exoptamus atque exposcimus; quo, " tanquàm gravissimo momento innixi, consultationes " Nostras regere, moderarique possimus; ità ut vobis, " Regnoque Christianissimo, salutare ac congruum à " Nobis judicium proferatur...à vobis petimus, vosque " obsecramus

(1) Bened. XIV, *de Synod. Diœces. lib. IX. cap.* 8. no. 3. *tom. II. pag.* 373. *edit. Lovan. anni* 1763.

" obsecramus, ut Nobis exponere ac declarare velitis " quidnam esse judicetis, quod nunc præstandum à Nobis sit, ad assequendam animorum conciliationem. " Quod Nos certè in tantâ locorum distantiâ agnoscere " non possumus; vobis verò, qui in re præsenti estis, " occurrere fortassè poterit aliquid à Catholico Dogmate, " Disciplinâque universali minimè dissentaneum, quod " Nobis proponatis, in Nostram deliberationem atque " examen adducendum."

Nec prætermittendum est Pio VI, ut eâ ratione cum Episcopis Gallicanis ageret, auctores fuisse congregatos S. R. E. Cardinales, quemadmodùm venerandus ipse Pontifex testatur in Litteris commonitoriis, Romæ datis apud S. Petrum, die 13ª. Aprilis ejusdem anni, his usus verbis : " Rex Christianissimus...Nos etiam atque etiam " rogabat, primò, ut quinque, deindè ut septem, saltem " per modum provisionis, probaremus articulos qui, parùm inter se dissimiles, totam novæ Constitutionis " veluti epitomen complectebantur. Illicò sanè perspeximus neutros articulos posse à Nobis probari, aut " tolerari, utpotè qui Regulis canonicis adversarentur....tamen Regi declaravimus....articulos hujusmodi Nos sedulò expensuros, et in consilium vocaturos S. R. E. Cardinales qui, simul congregati, omnia " ad trutinam revocarent. Hi porrò, cùm simul bis " convenissent...., habito rerum omnium diligentissimo " examine, unanimi consensione putârunt sententias " Gallicanorum Episcoporum, super propositis articulis, " esse exquirendas."

Propterea nemo, tantisper ad rem attentus, unquàm crediderit horumce Episcoporum qui, tot et tantis permoti rationibus, Sedium suarum dimissionem distulerunt, agendi normam Ecclesiæ, simul et civilis gubernii, legibus esse adversam;(1) cùm, ex unâ parte, certò certiùs sit

(1) Antiqui Episcopi non abdicantes, quorum agendi norma civilis gubernii,

sit nullas, eâ de re, à civili gubernio leges ferri posse; nec minùs, ex alterâ, compertum exploratumque habeatur, nullam exstare ecclesiasticam legem quæ imperet Episcopis, ut, statìm et incognitâ causâ, Episcopatu se abdicent, si id ab ipsis fieri, coactus *temporum necessitate, in ipsum vim suam exercente,* postulaverit Summus Pontifex; atque etiam indubitatum sit Episcopos qui, ex inaudito quod agitur consilio, detrimentum Religioni nasciturum præviderunt, officio suo gravissimum in modum defuturos fuisse, nisi priusquàm hujusmodi postulatis acquiescerent, suas rationes visibili Ecclesiæ Capiti repræsentavissent.

Deniquè, cùm nullum contra præfatos Præsules crimen nec allatum, nec auditum sit, nulla eis aut facta lis, aut illata actio fuerit; ne judicialis adversùs eos sententia ferri potuerit, ineluctabiliter obstant omni jure sanctissimæ, et nunquàm violabiles istæ Regulæ: "*Nos in* "*quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut con-* "*victum, aut spontè confessum.*(1) *Sine judicio quemquam* "*nolumus condemnari.*"(2) Quas quidem Regulas Imperatori Constantio, in causâ S. Athanasii, opponebat Summus Pontifex Liberius, his verbis: "Judicia quidem "ecclesiastica, ô Imperator, summâ cum æquitate fieri "debent: quapropter, si tuæ Clementiæ ità visum sit, "judicium haberi jubeto; et si Athanasius videatur "damnationem commeruisse, tùm sententia, proùt ordi- "nis ecclesiastici formula postulat, contra eum pronun- "ciabitur:

---

nil, simul et Ecclesiæ, leges violat. *Epistola Consiliarii Statûs, negotiis omnibus ad Cultus religiosos spectontibus Præfecti, ad Archiepiscopos* novæ circumscriptionis. *Parisiis*, 19 *Prairial, anni X.* (8 *Junii* 1802.)

(1) Can. I. *Nos in quemquam* Decret. part. II. caus. 2. quæst. I. ex S Aug. homil. 50 *de utilitate pœnitentiæ.*

(2) Can. 3. *Sicut sine*, eâdem quæst. I. ex S. Gregor. Magno, lib. X, (aliàs VIII), epist. 50 ad Domitianum, Episc. Metropolitanum, tom. II. col. 1078. D. edit. Maurin. an. 1705.

"ciabitur: NAM FIERI NON POTEST, UT QUEMQUAM CON-
"DEMNEMUS DE QUO NON FACTUM SIT JUDICIUM."(1)

Non igitur hæc à Vestrâ Sanctitate mens voluntasque suscepta fuit, ut in tot Præsules, quasi reos dilatæ perperàm Sedium suarum abdicationis, sententiâ condemnationis animadverteret. Verùm, in gerendo universo hoc negotio, administratoriâ viâ procedens Sanctitas Vestra, in se unam, insciis atque inconsultis legitimis Episcopis, suscepit onus decernendi de sorte totius Ecclesiæ Gallicanæ, nonnullarumque vicinarum Ecclesiarum, nec non de earumdem bonis omnibus, ac juribus disponendi; in se unam, insciis atque inconsultis legitimis Episcopis, suscepit onus supprimendi, annullandi, et perpetuò extinguendi, totum, qualis erat, statum universæ Ecclesiæ Gallicanæ, aliarumque nonnullarum vicinarum Ecclesiarum, non solùm quoad Sedes Archiepiscopales et Episcopales, sed etiam quoad Parœcias; ità ut universum regimen, cùm Ecclesiæ Gallicanæ, quæ ab Apostolicis propemodùm temporibus repetit originem, tùm aliarum vicinarum Ecclesiarum, penitùs interiret; novaque, per longè latèque patentes regiones, crearetur Ecclesiastici regiminis Constitutio.

Quocircà, post initam, eâ nominatìm de re, Conventionem cum Gubernio Gallicano, Sanctitas Vestra ab omnibus legitimis Archiepiscopis et Episcopis Galliarum postulavit, et à pluribus quidem impetravit Sedium suarum resignationem. Horum verò Præsulum qui, in re tanti momenti, prævia quædam documenta à Sanctitate Vestrâ quærere et efflagitare omninò necessarium duxerant, Ecclesias ac Diœceses, *tanquàm ex Pontificiæ Providentiæ officio et proprio motu*, indictâ causâ, absque ullâ judicii solemnitate, liberas haberi voluit et esse; hisque Præsulibus quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ

(1) Apud Baron. ann. 355. n°. 49, tom. III. pag. 704. Antuerp. 1624.

clesiasticæ Jurisdictionis perpetuò interdixit. Posteà, de omnibus Ecclesiis quæ prioribus temporibus erectæ ac creatæ fuerant, cùm in Galliâ, tùm in totis, quàm latè eæ patent, regionibus, quæ nunc dominationi Gallicanæ subjacent, constituit ac disposuit eâ formâ quam se cupere significavit Gubernium Gallicanum; Ecclesiæque ac Diœceses, juxta novam circumscriptionem erectæ, novis donatæ sunt Pastoribus, inter quos non pauci numerantur, notoriè jurati, intrusi, invasores, in præstito sacrilego jurejurando, in intrusione, in invasione diù pertinaces; ideòque, Judice Pio VI, suspensi et irregulares, quorum nova ad Archiepiscopalem et Episcopalem, dignitatem promotio Sanctitatis Vestræ nomine facta est; dùm tamen, nedùm de omnium illorum resipiscentiâ et pœnitentiâ satis hactenùs liqueat; nonnulli inter illos eousquè proruperunt, ut in erroribus et inobedientiâ palàm obfirmarentur; atque *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* nomine penitùs abutentes, larvatum harumce Libertatum studium impœnitentiæ suæ, non scandalosè minùs quàm fraudulenter, obtenderent; quasi verò illorum agendi rationi, nefariæ novitatis vitio infectæ, summoperè non contradicant Ecclesiæ nostræ Libertates, quæ totæ spirant religiosam antiquitatis observantiam, et immotam veteribus *Regulis, moribus, institutis* adhæsionem, *ut inconcussi maneant Patrum termini*.(1) Cæterùm nihil sanè horum, de quibus à nobis querelæ instituuntur, actum videremus, si vel levissima Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ ratio habita fuisset: nec quisquam satis mirari poterit idem Gubernium quod tàm multa præstari coegit, quibus dictæ Libertates omninò proculcantur; eo ipso die quo tot nova vulgârit, inter casus abusûs recensuisse violationem Libertatum, Immunitatum et Consuetudinum Ecclesiæ Gallicanæ.(2)

Ut

(1) Declar. Cleri Gallic. an. 1682, art. 3.

(2) Casus abusûs sunt....violatio Libertatum, Immunitatum et Consuetudinum Ecclesiæ Gallicanæ. *Art. Organ. Convent.* 15 *Julii*, 1801. *art.* 6.

Ut ut est, liquet ad horum omnium, quæ adeò nova sunt, dictuque incredibilia, executionem decernendam, necesse fuisse canonicas negligere Sanctiones, universalemque transcendere Disciplinam, nec non Conciliorum Generalium Decreta, ac Regulam ipsam *de jure quæsito non tollendo;* quod reipsâ commissum fuisse palàm testantur vel ipsæmet, de quibus queri cogimur, Apostolicæ sub plumbo Litteræ. In prioribus enim incipientibus; *Ecclesia Christi,* legitur: " Decernentes easdem præ-" sentes Litteras nullo unquàm tempore de subreptionis " et obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis Nos-" træ, aut alio quocumque, quamvìs magno aut inex-" cogitato, defectu notari aut impugnari posse; sed " semper firmas, validas et efficaces existere et fore, " suosque plenarios et integros effectus sortiri et obti-" nere, et inviolabiliter observari debere, non obstantibus " Synodalibus et Provincialibus, Generalibusque Conci-" liis, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus " Apostolicis, ac Nostris et Apostolicæ Cancellariæ Re-" gulis, præsertìm *de jure quæsito non tollendo*...... " cæterisque contrariis quibuscumque; quibus omnibus " et singulis,......(illis aliàs in suo robore permansuris) " ad præmissorum effectum duntaxat, specialiter et ex-" pressè derogamus."

Et in posterioribus, incipientibus: *Qui Christi Domini vices;* fusiùs adhuc scriptum habetur, primùm quidem: " Nos itaque, audito consilio plurium Venerabilium " Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, derogamus " expressè cuicumque assensui legitimorum Archiepis-" coporum, Episcoporum, et Capitulorum respectiva-" rum Ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet Ordinario-" rum, etc." Deindè verò: " Præsentes autem Litteras, " et in eis contenta et statuta quæcumque, etiam ex eo " quòd quilibet in præmissis, seu in eorum aliquo jus " aut interesse habentes, vel habere prætendentes, etiam " quomodolibet in futurum, cujusvis statûs, ordinis,

" præeminentiæ,

" præeminentiæ, et Ecclesiasticæ vel mundanæ Digni-
" tatis sint, etiam specificâ et individuâ mentione et ex-
" pressione digni, illis non consenserint; seu quòd aliqui
" ex ipsis ad præmissa minimè vocati, vel etiam nulli-
" modè, aut non satis vel sufficienter auditi fuerint; aut
" ex aliâ quâlibet, etiam læsionis, vel aliàs juridicâ et
" privilegiatâ ac privilegiatissimâ causâ,...nullo unquàm
" tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullita-
" tis vitio, vel intentionis Nostræ, aut interesse haben-
" tium consensûs, aliove quolibet defectu, quantumvìs
" magno, inexcogitato, substantiali et substantialissimo;
" sive etiam ex eo quòd in præmissis solemnitates, et
" quæcumque alia, forsan servanda et adimplenda, mi-
" nimè servata et adimpleta; seu causæ propter quas
" præsentes emanaverint, non satis adductæ, verificatæ
" et justificatæ fuerint; aut ex quibuslibet aliis causis
" vel prætextibus....impugnari, aut aliàs infringi, sus-
" pendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari,
" seu adversùs eas...quodcumque juris vel facti, aut
" justitiæ remedium impetrari, easque...tanquàm ex
" Pontificiæ Providentiæ officio, et motu proprio, certâ
" scientiâ, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine Nos-
" tris factas et emanantes, omnimodâ firmitate perpetuò
" validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios
" et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus
" ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum,
" perpetuò et inviolabiliter observari...debere...volu-
" mus, atque decernimus;...non obstantibus *de jure*
" *quæsito non tollendo*, de suppressionibus committendis
" ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris et
" Cancellariæ Apostolicæ Regulis,...quibus omnibus et
" singulis,...ad præmissorum omnium et singulorum
" effectum, latissimè et plenissimè, ac specialiter et ex-
" pressè, ex certâ scientiâ, motuque, et potestatis pleni-
" tudine paribus derogamus, et derogatum esse volumus,
" cæterisque contrariis quibuscumque."

Aliam

Aliam tamen Canonicarum Sanctionum universalisque Disciplinæ rationem ducendam esse, concordi sententiâ, docuerunt Romani Pontifices, quorum alii *veterem Canonum paternorum servari formam* studiosè jubent; et id Ecclesiæ Romanæ veluti proprium decus vindicant, quòd *semper Sanctorum Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus actibus suis sequatur:* alii verò absque ullâ ambiguitate fatentur, *ne ipsam quidem primæ Sedis auctoritatem posse aliquid contra Patrum Statuta condere*, palàmque declarare minimè dubitant, *infirmum atque irritum* fore quidquid primæ Sedi contra venerandos Canones obreptum fuerit, utì manifestè colligitur ex sequentibus plurium Summorum Pontificum, super hoc gravissimo argumento, placitis omni acceptione dignis.

" Dominentur nobis Regulæ, non Regulis dominemur: simus subjecti Canonibus."(1)

" Canonum Paternorum vetus forma servetur."(2)

" Romana Ecclesia semper SS. Patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur."(3)

" Nos...omnia secundùm Canonem egimus."(4)

" Confidimus quòd nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm Primam."(5)

" Canones

---

(1) S. Cœlestinus I, Epist. 3ª. ad Episcopos Illyrici, tom. I Epistolarum Romanorum Pontificum, col. 1064. B. edit. Petri Constantii, Parisiis, 1721.

(2) S. Gelasius I, epist. 5, ad Episcopos Lucaniæ (9ª. *apud Labbeum, tom. IV.*) cap. 3, tom. II, collectionis Harduini, col. 899. C.

(3) S. Nicolaus I, epist. 5ª. ad Michaëlem Imperatorem, de S. Ignatio, Patriarchâ C. P., deposito, et Photio contra Canones substituto, tom V collect. Harduini, col. 129. B.

(4) S. Julius I, epist. I ad Eusebianos (seu Orientales) no. 5, citato tom. I epistolarum RR. PP. col. 363. B.

(5) S. Gelasius I, epist. 7 ad Episcopos Dardaniæ (13ª. *apud Labbeum, tom. IV.*) tom. II, collectionis Harduini, col. 906. E. et 907. A.

" Canones Ecclesiasticos solvere non possumus, qui " defensores et custodes Canonum sumus, non trans- " gressores."(1)

" Non potuimus....præfixos Patrum terminos im- " mutare."(2)

" Contra Statuta Patrum....concedere aliqud vel mu- " tare, ne hujus Romanæ quidem Sedis potest auctoritas : " apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, " cui Decreta Patrum sanxêre reverentiam."(3)

" Infirmum atque irritum erit quidquid à prædicto- " rum Patrum Canonibus discrepârit."(4)

" Nihil adversùm venerandos Canones, nihil contra, " Sanctæ memoriæ, Decessoris mei judicium valeat, " quidquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus " namque....Ecclesiarum privilegia, quæ semper sunt " servanda, confundi....quia per hoc non minùs in " sanctarum Traditionum delinquitur Sanctiones, quàm " in injuriam ipsius Domini prosilitur."(5)

Nec minùs impositam sibi nihil contrarium Sanctis Patribus in exemplum et auctoritatem posteris relinquendi legem agnoscebat Gregorius VII, cùm ad Aragoniæ Regem scriberet : " Quod nos de causâ Aragonensis Episcopatûs et consuluisti, et te quodammodò " velle

(1) S. Martinus I, epist. 9 ad Pantaleonem (*tom. VI, apud Labbeum*), tom. III collectionis Harduini, col. 654. C.

(2) S. Leo IV. Fragment. epistolæ ad Lotharium Imperatorem, tom. VIII editionis Labbeanæ, col. 35. A. (*col. 33, mendo Typographico*).

(3) S. Zozimus Papa, epist. 54. (*apud Labbeum 74. tom. II.*) ad Episcopos Provinciæ Viennensis et Narbonensis secundæ, tom. I Epistolarum RR. PP. col. 959. C. D.

(4) S. Leo Magnus, epist. 114 (*aliàs 87*) ad Episcopos Concilii Chalcedonensis, cap. 2, tom. I, col. 1197, edit. Petri et Hieronymi Ballerini fratrum ; Venetiis, 1753.

(5) S. Hilarus Papa, epist. 8 (*apud Labbeum 4*) ad quosdam Episcopos Galliæ (Leontium, Veranum et Victurum) tom I Conciliorum Galliæ, col. 615 et 616, edit. Maurinorum ; Paris. 1789.

" velle significasti....incongruum fore pervidimus quo-
" niàm in eo Canonica Decreta nobis obviare cognovi-
" mus...quia venerandi Canones ad Sacerdotii gradum
" tales provehi contradicunt; probare eos non satis
" cautum fore putavimus, ne quidquam à nobis contra-
" rium Sanctis Patribus in exemplum et auctoritatem
" posteris relinquatur; solet enim Sancta et Apostolica
" Sedes pleraque, consideratâ ratione, tolerare; sed
" nunquàm in suis Decretis et Constitutionibus à con-
" cordiâ canonicæ Traditionis recedere."(1)

Et, ultimis hisce temporibus, cùm jam sanctissimam Religionem calamitatibus gravissimis in Galliâ conflictari cerneret Pius VI; iis tamen non obstantibus, Disciplinæ leges sedulò observandas inculcabat; quoniàm *Disciplina cohæret Dogmati, et ad ejus puritatis conservationem influit:* quâ de re, in Litteris Apostolicis, datis apud Sanctum Petrum, die 10a. Martii 1791, suam, his verbis, mentem aperiebat: " Certum omninò est Dis-
" ciplinam non posse temerè et pro arbitrio variari.....,
" præmittendum ducimus quantùm sæpè Disciplina co-
" hæreat Dogmati, et ad ejus puritatis conservationem
" influat....ac profectò sacra Concilia, pluribus in casi-
" bus, Disciplinæ violatores ab Ecclesiæ communione
" per anathema separârunt....ab indictione anathematis
" contra adversantes pluribus capitibus Disciplinæ, planè
" assequimur illam ab Ecclesiâ habitam fuisse tanquàm
" Dogmati connexam."

Propastereàque, licèt Ecclesiam Gallicanam periculosissimâ tempestate jactari magnoperè doleret, nullam tamen aliam componendorum fluctuum rationem admittere volebat, quàm quæ esset, sicut à Catholico Dogmate, ità et à Disciplinâ universali minimè dissentanea: quod,

(1) Gregorius VII, lib. II, epist. 50 ad Sancium Regem Aragoniæ; tom. VI. part I. collect. Harduini, col. 1298. E. et 1299. A.

quod, in Litteris commonitoriis, datis apud S. Petrum, die 13 Aprilis, 1791, manifestè declaravit, in hunc modum scribens : " Quemadmodùm autem, salvo Dogmate " et salvâ universali [Ecclesiæ] Disciplinâ, ità animo " comparati sumus, ut inclytæ Galliarum nationi, quoa- " dusquè licet, obsecundemus ; sic Cardinalium, hâc de " causâ advocatorum, consilium secuti, et ea repeten- " tes quæ Christianissimo Regi per Nostras Litteras " jam significaveramus, hortati sumus Episcopos, ut ii, " quorum oculis res ipsæ obversantur, Nobis desuper " agendi rationem quamdam exhiberent, si inveniri for- " tassè poterit, à Catholico Dogmate, Disciplinâque " universali minimè dissentaneam, in Nostram delibera- " tionem, atque examen adducendam."

Nec mirum profectò sic ratum, fixum, deliberatumque venerando Pontifici fuisse. Eadem quippè mens fuit S. Zozimo Papæ, qui ipsi quodammodò fidei injuriam irrogari putabit, cùm adversùs Patrum Statuta veniebatur. " Cùm adversùs Statuta Patrum venitur, non tantùm " illorum prudentiæ atque sententiæ qui in ævum vic- " tura sanxerunt, sed ipsi quodammodò Fidei et Catho- " licæ Disciplinæ irrogatur injuria. Quid enim tàm " sanctum atque venerabile est, quàm penitùs non ex- " orbitare ab itinere majorum, quorum canonica Insti- " tuta veluti quædam fundamenta sunt ferendis fidei " jacta ponderibus?"(1) Eadem mens fuit Hadriano Papæ II, qui alteram Ecclesiæ salutem esse docuit à constitutis Dei et Patrum nullatenùs deviare. " *Prima " salus est rectæ fidei regulam custodire ; deindè à consti- " tutis Dei et Patrum nullatenùs deviare.*"(2) Eadem quoque

(1) S. Zozimus Papa, epist. 4 (*apud Labb.* 6), ad Aurelium et universos Episcopos Africæ, Galliæ et Hispaniæ, n°. 1, tom. 1, epistolarum RR. PP. col. 956. A.

(2) Hadrianus Papa II, in Libello suæ fidei professionis, misso ad Synod. Œcumen. VIII (C.P. IV. an. 869), act. I, tom. V, collect. Harduini, col. 773. E.

quoque mens fuit S. Leoni magno, cùm ad Marcianum Imperatorem scriberet: " Privilegia Ecclesiarum, Sanc-" torum Patrum Canonibus instituta, et venerabilis Ni-" cænæ Synodi fixa Decretis, nullâ possunt...novitate " mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter " exequendo, necesse est me perseverantem exhibere " famulatum; quoniàm dispensatio mihi credita est, et " ad meum tendit reatum, si paternarum Regulæ sanc-" tionum..., me (quod absit), connivente, violentur."(1)

Deniquè animis nostris indesinenter obversatur ea sententiarum verborumque vis, quâ ipsamet Sanctitas Vestra, initio sui Pontificatûs omnes Catholicos Episcopos alloquens, eosdem hortata est ad custodiendum et tuendum, magnâ animi firmitudine et constantiâ, depositum sanctissimarum Ecclesiæ Legum, quibus Disciplinam suam ipsa constituit. " Atqui est aliud præte-" reà,"(a) scribebat Sanctitas Vestra, in Litteris suis ... Encyclicis

---

(1) S. Leo Magnus, epist. 104 (*aliàs 78.—Apud Labbeum* 6, *tom. IV*, *col.* 847.), ad Marcianum Augustum, cap. 3, tom I, col. 1149, edit. fratrum Bailerini; Venetiis, 1753.

(a) *Prætereà.* Hæc vox suppletur ex Brevium Pii VI editione Belgicà, an. 1801; ad cujus calcem apposita sunt Brevia quædam Pii VII. Editio hæc Belgica, quæ repræsentat editionem Romanam, et multa exhibet quæ desiderantur in edit. Paris., ann. 1798, rarissima est, eo quod exemplaria omnia (sic jubente gubernio) rapta sint apud Bibliopolam, 14 vel 15 circiter abhinc annis. Asserunt idonei testes eadem Pii VI Brevia fuisse, vel Romæ, an. 1801, perquisita diligenter ut supprimerentur. Quam quidem suppressionem attentavisse constat Joannem-Petrum Saurine, olim episcopum constitutionalem Aquensem, dein *Episcopum concordatistam* Argentoratensem. Hæc enim ferunt illiûs *Mandata et Monita ad parochos, administratores aliosque sacerdotes Diœcesis Argentoratensis*, novæ intrusionis initio data, articulo secundo. " Cum in Galliâ nec Bulla, nec aliud rescrip-" tum Apostolicum publicari aut executioni mandari possit, nisi obtentâ " priùs *autorisatione legitimâ* hinc mandamus ut omnia talia rescripta, " quocumque nomine venerint, aut cujuscumque sint tenoris, quæ nondùm " debitè visa sunt et approbata, intrà duos menses proximè sequentes ad " nos

Encyclicis ad omnes Catholicos Episcopos datis, Venetiis, ex monasterio S. Georgii-Majoris, die 15a. Maii, anni 1800), " Depositum custodiendum Nobis, Venerabiles " Fratres, magnâque animi firmitudine et constantiâ " tuendum, sanctissimarum scilicet Ecclesiæ Legum, " quibus Disciplinam suam ipsa, penès quam nimirùm " unam ejusmodi sit potestas, constituit; quibus pro- " fectò pietas, virtusque floret, quibus Sponsa Christi " *terribilis est ut castrorum acies ordinata*, quarum ple- " ræque etiam, *veluti quædam fundamenta sunt ferendis* " *fidei jacta ponderibus*, ut S. Zozimi Prædecesso- " ris nostri verbis utamur. Nihil est quod civitatum " Principibus, ac Regibus, majori fructui, gloriæque " esse possit, quàm *si*, (ut sapientissimus fortissimusque " alter Prædecessor noster, S. Felix Zenoni Imperatori " perscribebat) *Ecclesiam Catholicam...sinant uti Le-* " *gibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant obsis-* " *tere........ certum est enim hoc rebus suis esse salutare,* " *ut, cùm de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutum,* " *Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant sub-* " *dere, non præferre.*"

Atque ista quàm verè, quàm præclarè scripta fuerint luculenter ostendunt ea, in quibus nunc versamur, nunquàm deflenda satis adjuncta rerum; hæc enim invicto nimis argumento probant quantùm Rei Catholicæ noceant canonicarum Sanctionum neglectus, universalisque Disciplinæ variatio; quandoquidem ex eo quòd derelictæ fuerint semitæ antiquæ, Patrum tritæ vestigiis, indè contingeret (haud dubiè præter voluntatem Vestræ Sanctitatis)

" nos transmittantur." Puduit illum nominare omni veneratione digna " Brevia Pii VI, quæ nemo non tectis illis verbis expressa intelligeret.

(Hæc Nota invenire est in 2a. *Editione Londin. Expostulationum, pag.* 29, *Typis Schulze et Dean,* 13, *Poland Street,* 1819; *sed prima pars deprompta fuerat ex accuratissimâ Editione Parisiensi,* 1818.)

Sanctitatis) ut, nisi velox medicina pararetur ne mala per moras invalescerent, damnum ingens pateretur Religio, dùm sacra pessundarentur Ordinis Episcopalis jura; labefactaretur Ecclesiæ Constitutio, totusque Religionis status fluctuans, incertus, et cuilibet civili Gubernio, etiam in iis quæ maximè supernaturalia sunt, obnoxius evaderet.

Primò enim quis acerbissimo cordis mœrore non afficiatur, cùm audiat *supprimi, annullari, et perpetuò extingui titulum, denominationem, totumque statum præsentem* centum-quinquaginta-sex *Ecclesiarum Archiepiscopalium, et Episcopalium, unà cum respectivis earum Capitulis, Juribus, Privilegiis et Prærogativis cujuscumque generis*;(1) atque, intrà fines actualis territorii Gallicanæ Reipublicæ, de novo constitui, et erigi, duntaxat *decem Ecclesias Metropolitanas, itemque quinquaginta Ecclesias Episcopales, pro totidem Archiepiscopis et Episcopis*;(2) ità ut Ecclesia Catholica, sic decernente ipsomet Christi in terris Vicario, nonaginta-sex omninò Ecclesiarum, cùm Archiepiscopalium, tùm Episcopalium, derepentè faciat detrimentum.

Hujus sanè rei nullum, in elapsis jam tot æræ Christianæ sæculis, exstat exemplum; nullum occurrit vestigium. Nihil unquàm, ex quo Christus Dominus *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, simile memoraverunt sacri Religionis Annales; ità ut huic nostræ calamitati aptissimè conveniant quæ scribebat olim S. Athanasius *ad Orthodoxos*, de iis querens quæ contra ipsum et Ecclesiam Alexandrinam commissa fuerant: " Ne igitur ea quæ hactenùs usque ad nostra sæcula in " Ecclesiis observata sunt, his temporibus pereant; et " quæ nobis concredita sunt, à nobis requirantur,...ego " ...mihi

(1) Litter. Apostol. *Qui Christi Domini vices*, pag. 52.

(2) *Ibid.* pag. 60.

" ...mihi imperare non potui, quin paucis ea quoque " delinearem; quò planè vobis constaret nullo unquàm " tempore talia in Ecclesiam perpetrata esse, ex quo " Salvator noster in Cœlum subvectus, Discipulis præ- " cepit: *Ite et docete omnes gentes*...fama istius negotii " tunc, ut in re novâ, et nunc quoque, post rem " peractam, perturbavit omnes."(1)

Et, hâc ipsâ nostrâ ætate, longè minus Ecclesiæ Catholicæ damnum intulisset nova illa, quam Conventus Nationalis decreverat, sed cujus approbatio à Pio VI. incassùm postulata fuit, Diœcesium Gallicanarum circumscriptio. Decretum enim Conventûs Nationalis ad novam illam Diœcesium circumscriptionem spectans, octoginta tres Sedes Episcopales, intra fines veteris territorii Regni Galliarum conservabat;(2) dùm, juxta Apostolicas sub plumbo Litteras, incipientes: *Qui Christi Domini vices,* intra eosdem fines, quadraginta-novem duntaxat hujusmodi Sedes superessent.

Creditu porrò quàm difficile est, factam hanc, ad nutum Gallicani regiminis, novam Diœcesium, quarum singula territoria tàm longè latèque porrecta sunt, circumscriptionem *ità perfectam esse, ut spiritualibus Catholicorum necessitatibus consultum sit*;(3) cùm præsertìm tot adjumenta perierint quibus, antè hos nefastos dies, fruebantur Episcopi, quæque, ad sublevandam illorum in Diœcesium administratione sollicitudinem, non utilia duntaxat erant, sed verè necessaria.

Eòque

(1) S. Athanas. epist. encyclicâ ad Episcopos, apud Baron. *ad ann.* 342, *nos.* 5 *et* 6, *tom. III, pag.* 557 *et* 558.

(2) *Unusquisque districtus unicam Diœcesim constituet; iidemque erunt singularum Diœcesium ac singulorum Districtuum termini.*

Sedes Episcopales octoginta-trium Districtuum Regni sitæ erunt, etc. Constit. Civ. Cler. I. part. tit. 1, art. 1 et 2.

(3) Litter. Apost. *Ecclesia Christi;* 18°. Cal. Septemb. an. 1801, pag. 26 et 28.

Eòque minùs sperare fas est, in novâ hâc Constitutione Ecclesiastici regiminis, *spiritualibus Catholicorum necessitatibus* satis *consultum fuisse,* quòd, ex unâ parte, Apostolicæ sub plumbo Litteræ, incipientes: *Ecclesia Christi,* jubeant novam *Parœciarum......circumscriptionem ab Episcopis fieri;...quæ tamen circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquàm Gubernii consensus accesserit:* et, ex alterâ, compertum habeatur velle Gubernium Parœcias ad exiguum valdè numerum adduci; ac proindè certo certius sit futurum, ut novæ huic Parœciarum circumscriptioni nimis eheu! accuratè conveniant ea quæ, de simili Parœciarum distributione, à Conventu Nationali decretâ, scripsit Pius VI. "Facere "non possumus, quin hìc adjungamus, quòd.......in "maximam nos etiam adduxit admirationem innume-"rabilis earum *(Parœciarum)* suppressio; cùm jam "Nationalis decreverit Conventus, ut in urbibus, aut "oppidis, in quibus sex capitum millia tantummodò "censeantur, non nisi una constitueretur Parœcia. Et "quo unquàm modo unus Parochus sufficere tanto cu-"rando populo poterit?...Quis non fateatur talem etiam "numerum longè, longèque, unius Parochi vires ex-"cedere; ac consequi propterea debere, ut multi ex "Parochianis necessariò priventur spiritualibus sub-"sidiis, pro quibus ad Regulares, qui jam suppressi "sunt, confugere non valebunt?" (1)

Aliam deindè, nec minùs acerbè, mœrendi causam affert illa ipsa, quæ adhibita fuit, tàm stupendi operis conficiendi norma. Ad hanc enim, hactenùs inauditam, tot Ecclesiarum suppressionem et extinctionem ventum est, omissis omnibus canonicis solemnitatibus, non interrogatis populis, non interrogatis Capitulis; inprimis verò

(1) Litter. Apostol. diei 10 Martii, 1791, tom. I. Brevium Pii VI., pag. 192 et 194.

verò, non interrogatis Episcopis, de quorum jure agebatur, nullâque eis factâ rationes suas repræsentandi facultate.

Re quidem verâ, inter illas Archiepiscopales et Episcopales Ecclesias, de quibus in Apostolicis sub plumbo Litteris, incipientibus : *Qui Christi Domini vices*, scriptum legitur, appellatarum Ecclesiarum *titulum, denominationem, totumque statum præsentem supprimi, annullari et perpetuò extingui*, plures vacabant, sive per obitum legitimorum Antistitum, sive per factam à legitimis pariter Antistitibus, eam quæ ab ipsis postulata fuerat, liberam Sedium suarum resignationem. (Tamen exstabant adhuc vacuarum harumce Ecclesiarum respectiva Capitula Cathedralia, in hujusmodi negotio, vacantibus præsertim Sedibus Episcopalibus, omninò audienda.) Sed ex præfatis Ecclesiis aliæ, nec paucæ numero, adhuc plenæ erant ; et quamvis harumce Ecclesiarum Archiepiscopi et Episcopi qui eas, in tanto Rei Catholicæ discrimine, consultò non dimiserant, audiri se postulaverint de tot ac tàm gravibus negotiis, quæque tanti illorum intererant, repulsam tamen passi sunt ; non sunt interrogati, non sunt auditi.

At certè longè aliâ ratione, atque viâ, simile prorsùs negotium à visibili Ecclesiæ Capite tractandum fuisse censuerat, Beatissimus Sanctitatis Vestræ Decessor, Pius VI.

Noverat ille quàm afflictæ essent res Religionis in Galliâ, quo tempore ab ipso postulari dicebatur, ut decretam à Conventu Nationali (penès quem tunc summa rerum erat) novam Diœcesium Gallicanarum divisionem approbaret : quemadmodùm hodiernum *Gallicanum Regimen novum fieri Gallicanarum Diœcesium circumscriptionem se cupere Sanctitati Vestræ significavit.*(1) De

(1) Litter. Apost. *Ecclesia Christi* ; pag. 26.

De eâ verò, quæ sibi oblata ferebatur petitione, sic mentem suam aperuit Pius VI. " Verùm, inquiunt, " à Nobis postulatur, ut decretam Diœcesium divi- " sionem approbemus; at maturè expendendum est, " nùm à Nobis id fieri debeat......animadvertendum " est, non agi hìc de unâ aut alterâ Diœcesi immutandâ, " sed de omnibus ferè amplissimi Regni Diœcesibus " subvertendis, deque tot, tàmque illustribus, Ecclesiis " è suo loco movendis, cùm plures ex illis, quæ Ar- " chiepiscopali honore fulgebant, ad Episcopalem gra- " dum dejiciantur: in quam novitatem acriter est Inno- " centius III. invectus, ubi Patriarcham Antiochenum " his verbis reprehendendum esse putavit, *quòd,...novo* " *quodam mutationis genere, parvificasti majorem, et* " *magnum quodammodò minorasti, Episcopare Archiepis-* " *copum, imò potiùs dearchiepiscopare præsumens*...Eò- " dem accedit, ut, priusquàm ad id deveniendum esset, " interrogare Episcopos de quorum agitur jure de- " beamus, ne justitiæ violasse leges contra ipsos ar- " guamur...Postremò certiores antè fieri deberemus " quid ipsi sentiant populi qui eo privantur bono suum " Pastorem citiùs commodiùsque adeundi."(1)

Atque abs re non est observare, in hâc novâ Gallicanarum Diœcesium circumscriptione, quam fieri se cupere Sanctitati Vestræ significavit Gallicanum regimen, eadem prorsùs deprehensa fuisse impedimenta quæ modò, in citatis Pii VI verbis, memorata sunt; quæque venerando illi Pontifici nec levia visa fuère, nec facilè superanda: in hâc videlicet novâ circumscriptione non actum esse de unâ aut alterâ Diœcesi immutandâ, sed de omnibus amplissimarum regionum Diœcesibus subvertendis, deque multis et valdè illustribus Ecclesiis è suo

(1) Litter. Apost. 10 Mart. 1791, tom. I Brev. Pii VI., pag. 160, 162, 164.

è suo loco movendis, quarum plures, quæ Archiepiscopali Dignitate fulgebant, ad Episcopalem gradum dejectæ sunt.

Id autem penitùs omitti nequit (quod rei caput est) nimirùm Pium VI palàm, et in luce totius Ecclesiæ, cui Petri loco præsidebat, professum fuisse se, priusquàm ad approbandam novam Diœcesium divisionem deveniendum esset, interrogare Episcopos, de quorum ageretur jure, debuisse, ne justitiæ violasse leges contra ipsos argueretur.

Cùm autem venerandus Pontifex istud Episcopis à primâ Sede persolvendum ex justitiâ debitum adeò solemniter agnosceret, non is profectò erat qui arbitraretur, id quod deinceps dictitatum fuit, nempè facultatem agendi eo modo à quo sibi, tàm gravi de causâ, abstinendum judicabat, esse, non quidem in consuetis, sed in procellosis rerum adjunctis, Primatûs appendicem. Ipse enim tunc, non in consuetis, sed in procellosissimis rerum adjunctis versabatur; et, suâ agendi ratione, manifestè ostendit nequaquàm putare se justitiæ leges ad mobilitatem eventuum mutari; aut ullâ unquàm (quantacumque esset) temporum difficultate effici posse, ut justitiæ leges adversùs quemlibet violandi facultas evaderet appendix Primatûs illius, qui è purissimo totius æquitatis ac justitiæ fonte unicè derivatur.

Cæterùm eò magis cavendum fuit ne ista justitiæ legum violatio contra Episcopos admitteretur, quòd sacra Episcoporum jura in hujusmodi causâ lædi non potuerint, proùt læsa sunt, quin simul ipsamet Ecclesiæ Constitutio labefactaretur.

Dùm enim tanti momenti causa, absque ullo legitimorum quorum interest Episcoporum respectu, dirimitur; dùm inter gravissimos periculosissimosque casus, qui idcircò maximè requirerent ut, vel ad avertenda, vel ad præcavenda mala, plurium simul opera conferretur, pluriumque in hunc scopum colligerentur auxilia (sicuti

cuti totiès fieri postulaverunt Romani Pontifices, è sublimi Primæ Sedis fastigio, necessariam Fratrum suorum Episcoporum opem enixè(1) precati); dùm, inquimus, inter gravissimos ac periculosissimos hujusmodi casus, de sorte, statu, bonis omnibus, juribus quibuscumque tot Ecclesiarum ità decernitur, ut non solùm non interrogentur Episcopi de quorum agitur jure, sed illi etiam Episcopi, qui pro jure suo audiri se postulant, repulsam patiantur, et non audiantur; perindè res geruntur, ac si unica duntaxat ad regendam Ecclesiam divinitùs ordinata esset Romani Pontificis potestas. Quid enim aliud majus, ac stupendum magìs, excogitandum superest, quod à Romano Pontifice præstari queat etsi aliam nullam præter ipsius potestatem, ad regendam Ecclesiam, reapsè Deus ordinasset?

Atqui non sic suam esse à Christo constitutam Ecclesiam, magnâ vi æquè ac reverentiâ, Eugenio Papæ III. exponebat S. Bernardus, in hunc modum scribens: " Erras, si ut summam, ità et solam institutam à Deo " Vestram Apostolicam Potestatem existimas. Si hoc " sentis, dissentis ab eo qui ait; *Non est Posestas nisi à* " *Deo.*

(1) " Synodali cognitione peropus est quam dudùm etiam cogendam esse " censuimus. Sola enim illa talium procellarum motus sopire potest." *S. Innocentius I., epist.* 29 *ad Clerum et Populum Constantinop. in causâ S. Joannis-Chrysost. apud Labbeum, tom. II Conciliorum, col.* 1304. *E.*

" Tàm ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quàm ad promul- " ganda quæ saluti Fidelium visa fuerint expedire; de diversis partibus " Personas Ecclesiasticas decrevimus evocandas, quarum præsentiâ et con- " silio quæ fuerint salubria statuantur; et quod bonum, secundùm consue- " tudinem antiquorum Patrum, provideatur et firmetur à multis. Quòd si " particulariter fieret, non facilè posset plenum robur habere." *Alexander III, in Epist. Convocat. Concilii Lateranensis III.*

" Ad tanta discrimina relevanda.... cùm Nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos Nostros ad montem, montem quidem Dei." *Gregor. X, Bulla Convocationis Concil. Generalis Lugdun. II.*

Vide Bullam Indictionis Concil. Trident. Datam à Paulo III., et Bullam celebrationis ejusdem Concil. datam à Pio IV.

" *Deo.* Proindè quod sequitur : *Qui Potestati resistit,*
" *Dei ordinationi resistit :* etsi principaliter pro te facit,
" non tamen singulariter. Deniquè idem ait : *Omnis*
" *anima Potestatibus sublimioribus subdita sit !* non ait ;
" *Sublimiori,* tanquàm in uno : sed ; *Sublimioribus,* tan-
" quàm in multis. Non ergò tua sola Potestas à Domino.
" ...Monstrum facis...si, in Christi Corpore, membra
" aliter locas quàm disposuit ipse ; nisi tu putas alium
" esse, qui posuit in Ecclesià *quosdam quidem Apostolos,*
" *quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios*
" *Doctores et Pastores, ad consummationem Sanctorum,*
" *in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi.*" (1)

Suam Episcopis, in regendâ Ecclesiâ, datam divinitùs partem asserunt Sacri Codices et universa Traditio. Non enim soli Petro et Successoribus ejus, sed Apostolis omnibus et Successoribus eorum, à Domino dictum est : *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, et in terrâ. Euntes ergò, docete omnes Gentes ; baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs-Sancti ; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et eccè ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* (2)

Quâ de causâ, S. Cœlestinus I. ad Synodum Ephesinam scribebat : " Hæc ad omnes in commune Domini Sacer-
" dotes mandatæ prædicationis cura pervenit : hæredi-
" tario namque in hanc sollicitudinem jure constrin-
" gimur, quicumque per diversa terrarum, eorum
" (Apostolorum) vice, nomen Domini prædicamus,
" dùm illis dicitur : *Ite, docete omnes gentes.* Advertit
" vestra fraternitas, quia accepimus generale manda-
" tum ; omnes etiam nos agere voluit, quod illis sic
" omnibus in commune mandavit. Officium necesse est
" nostrorum

(1) S. Bernard. de Consideratione, lib. III, cap. IV, n°. 17. tom. I, col. 433. A. B. Parisiis, 1690.

(2) Matth. XXVIII, 18-20.

" nostrorum sequamur auctorum; subeamus omnes " eorum labores, quibus successimus in honore."(1)

Propterea quoque S. Nicolaus Papa I. haud absimilibus verbis cum Episcopis Galliarum, datis ad eos litteris, agebat. " Quamvis singularum Ecclesiarum, quæ prop- " ter diversitatem terrarum multæ esse dicuntur, (cùm " una sit et unica Sponso suo)...Pastor, et Episcopus, " ac Pontifex, Dominus Noster Jesus-Christus... " existat,...subiturus tamen ad Cœlos, hanc Apostolis " commendavit, ac per eos, tanquàm hæreditario jure, " Successoribus eorum, nobis scilicet quos Pastores, et " Episcopos, ac Pontifices super ipsam constituit, ejus " providentiæ curam indulsit; quatenùs *pro Patribus* " *nati filii*, et pro eis *constituti Principes in omnem terram*, " imitatores eorum essemus, sicut et ipsi Christi."(2)

Deindè, si primùm quidem Petro soli dictum fuit à Domino: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlis;*(3) posteà omnibus Apostolis ab eodem dictum est: *Amen dico vobis: Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cœlo;*(4) atque iterùm: *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos...accipite Spiritum-Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*(5)

Quorum quidem verborum Evangelicorum vi permotus S. Augustinus, plebem suam docens, dicebat: " Do- " minus

(1) S. Cœlest. I, Epist. 18 ad Synod. Ephes. an. 431, tom. 1 Epistol. RR. PP. col. 1155. C. 1158. A. Paris. 1721.

(2) S. Nicolaus I, epist. ad universos Episcopos Galliæ (Labb. et Hard. 42 —Sirmond. 47) tom. V. Concil. Harduini, col. 590. E. 591. A.

(3) Matth. XVI. 19.

(4) Matth. XVIII. 18.

(5) Joann. XX. 21, 22, 23.

" minus Jesus Discipulos suos antè Passionem suam, " sicut nostis, elegit, quos Apostolos appellavit. Inter hos, " penè ubiquè solus Petrus totius Ecclesiæ meruit ges- " tare personam. Propter ipsam personam quam totius " Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit: *Tibi dabo* " *claves Regni Cœlorum;* has enim claves non homo " unus, sed unitas accepit Ecclesiæ.(1)...Nàm, ut no- " veritis Ecclesiam accepisse claves Regni Cœlorum, " audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apos- " tolis suis: *Accipite Spiritum-Sanctum;* et continuò: " *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei; si cujus tenue-* " *ritis, tenebuntur.* Hoc ad claves pertinet."(2)

Quocircà, mirum non est, quòd idem S. Doctor ad Bonifacium Summum Pontificem scripserit: *Communis est omnibus nobis, qui fungimur Episcopatûs officio, quamvis ipse in eâ præemineas celsiore fastigio, specula pastoralis.*(3)

Haud aliter apud S. Cyprianum legimus: *Episcopatus unus est cujus à singulis in solidum pars tenetur.*(4) Scribebat etiam S. Joannes Papa I: *Hujus ergò rei gratiâ vobis* (Episcopis) *et nobis sancta commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboremus, et cunctis opem ferre non negligamus.*(5)

Quotque alii Summi Pontifices quasi certatìm, ex alto ipsomet Cathedræ Petri culmine, illustre de legitimâ Episcoporum potestate testimonium perhibuerunt! Duo nominatìm

(1) Id est unitas primorum Pastorum succedentium Apostolis, ad quos solos directa sunt à Christo Domino verba de quibus agitur.

(2) S. Aug. Serm. 295. (*aliàs,* 108 *de diversis*) no. 2, tom. V, col. 1194. E. F. G. Parisiis, 1683.

(3) S. Aug. contra duas epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium Papam I, lib. I, cap. I, no. 2, tom. X, col. 412. B.

(4) S. Cyprian. Libro de Unitate Ecclesiæ, pag. 195, edit. Baluz. Parisiis, 1726.

(5) Joannes Papa I. epist. ad Zachar. Archiep. tom. II Concil. Harduini, (*Labb. IV.*) col. 1061, E.

nominatim, præter jam appellatos, id præstiterunt, Sancti nimirùm Gregorius et Leo, uterque cognomento Magnus; quorum alter Evangelium explanans, dicebat: *Horum* (Apostolorum) *profectò nunc in Ecclesiâ Episcopi locum tenent; ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.*(1) Alter, in anniversario assumptionis suæ, hæc verba faciebat: " dicitur " beatissimo Petro: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum;* " *et quæcumque ligaveris super terram erunt ligata et in* " *Cœlis; et quæcumque solveris super terram, erunt so-* " *luta et in Cœlis.* Transivit quidem etiam in alios " Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ " Principes decreti hujus constitutio commeavit: sed " non frustrà uni commendatur quod omnibus intima- " tur; Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia " cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponi- " tur."(2)

Deniquè, super hoc Catholicæ doctrinæ capite, verum sacrorum Codicum, Traditionisque summarium paucis complexa, " Sacrosancta (Tridentina) Synodus de- " clarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episco- " pos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc " Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, et *positos,* " sicut idem Apostolus (Paulus) ait *à Spiritu-Sancto re-* " *gere Ecclesiam Dei.*"(3)

Quorsùm autem *positi* essent *Episcopi à Spiritu-Sancto regere Ecclesiam Dei?* Ut quid, teste S. Joanne Papâ I, *illis* quoque *sanctâ Ecclesia commissa fuisset?* Quomodò, proùt scribit Sanctus Augustinus, *communis esset omnibus qui funguntur Episcopali officio specula pastoralis?* Quâ demùm

(1) S. Gregor. Magnus, lib. II. homil. 26 in Evangel. nº. 5, tom. I, col. 1555, C. edit. Maurin. Parisiis, 1705.

(2) S. Leo Magnus, Serm. IV. (*aliàs* 3) in anniversario die assumptionis suæ, cap. 3, tom. I, col. 17 et 18, edit. fratrum Balleriui, Venetiis, 1753.

(3) Concil. Trident. Sess. XXIII, cap. 4.

demùm ratione, ut docet S. Cyprianus, *à singulis* Episcopis *in solidum teneretur pars unius Episcopatûs*, à Christo Domino instituti; si, nullo Episcoporum habito respectu, ipsis non solùm non interrogatis, imò audiri se frustrà postulantibus, ac repulsam passis, decerni posset de sorte, bonis omnibus, juribus quibuscumque multarum Ecclesiarum quæ ipsorum fidei canonicè creditæ sunt, atque dictarum Ecclesiarum *titulus, denominatio, totusque status supprimi posset, annullari et perpetuò extingui?* Si res ità se haberent, nonne potius mutato (quod absit) Sacrorum Codicum, totiusque Traditionis sermone, deinceps foret dicendum: "Visibile Ecclesiæ Caput solum "positum à Spiritu-Sancto regere Ecclesiam Dei; ipsi "soli Sanctam Ecclesiam fuisse commissam; ad ipsum "solum pertinere speculam Pastoralem, cæteris omni-"bus exclusis qui funguntur Episcopali officio; ab ipso "deniquè solo totum Episcopatum teneri, ità ut nulla "supersit pars quæ à singulis Episcopis in solidum te-"neatur?"

Verumtamen, dùm attentè perpenduntur Apostolicæ sub plumbo Litteræ, incipientes: *Qui Christi Domini vices*, manifestè innotescit, ex ipsomet harumce Litterarum tenore, graviter jam læsa fuisse sacra Episcopatûs jura, graviter jam labefactatam fuisse ipsam Ecclesiæ Constitutionem, etiam priusquàm tot *Ecclesiarum titulus denominatio, totusque status præsens*, absque ullo legitimorum Episcoporum respectu, *supprimi, annullari, et perpetuo extingui* ibidem dicerentur.

Quod enim in Ecclesiâ huc usque inauditum erat, pronunciatum ibi fuit legitimos Episcopos è suis Sedibus, canonicè erectis, et canonicè stantibus, indictâ causâ, absque ullâ judicii solemnitate, *tanquam ex Pontificiæ Providentiæ officio, et proprio motu*, deturbari.

Sanè legitimos Episcopos è suis Sedibus, canonicè erectis, et canonicè stantibus, deturbari pronunciatur, ubi hisce Episcopis, in propriis Ecclesiis ac Diœcesibus, *perpetuò*

perpetuò interdicitur quodcumque exercitium cujusvis Ecclesiasticæ jurisdictionis, atque *respectivæ* eorum *Ecclesiæ ac Diœceses prorsùs liberæ* declarantur, dùm tamen singulæ illæ Ecclesiæ ac Diœceses integræ stant, adhuc suum habentes territorium, certis limitibus canonicè circumscriptum ; atque hoc ipsum fuit in dictis Litteris Apostolicis pronunciatum.

1°. Legitimis Episcopis in propriis Ecclesiis, ac Diœcesibus, perpetuò interdictum fuit quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ jurisdictionis. Legitur enim : *Perpetuò interdicimus iisdem* (legitimis Episcopis) *quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus.*

2°. Eorumdem legitimorum Episcoporum Ecclesiæ, ac respectivæ earum Diœceses prorsùs liberæ declaratæ sunt ; legitur enim : *ità ut eæ Ecclesiæ et respectivæ earum Diœceses.........et haberi debeant, et sint reverà prorsùs liberæ.*

3°. Quandò tamen legitimis dictis Episcopis perpetuò interdictum fuit in propriis Ecclesiis, ac Diœcesibus, quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ jurisdictionis ; quandò eorumdem legitimorum Episcoporum Ecclesiæ ac respectivæ earum Diœceses prorsùs liberæ declaratæ sunt ; adhuc integræ stabant Ecclesiæ illæ, ac respectivæ earum Diœceses, suum habentes territorium, certis limitibus canonicè circumscriptum ; siquidem, in præfatis Litteris, conceptis verbis agnoscitur non solùm de illis Ecclesiis ac Diœcesibus novâ tunc formâ nondùm dispositum fuisse, sed etiam disponi non potuisse ; atque easdem prorsùs liberas declarari, ut de eis novâ formâ constitui, ac disponi possit ; legitur enim : *ità ut eæ Ecclesiæ, et respectivæ earum Diœceses,...et haberi debeant, et sint reverà prorsùs liberæ, ut de eis Nos constituere, ac disponere eâ formâ possimus, quæ infrà à Nobis indicabitur.*

 4°. Deniquè

4°. Deniquè indicta fuit causa; nulla extitit judicii solemnitas; et, in Litteris Apostolicis, omnia decreta sunt *tanquàm ex Pontificiæ Providèntiæ officio, et motu proprio.*

Hæc itaque fuit in stupendo opere adhibita, ac necessariò adhibenda procedendi ratio, atque via, quoniàm fixum statutumque erat novam, ad nutum Gubernii civilis, confestìm ac remoto quovis obice, decernere Diœcesium circumscriptionem; hic autem scopus obtineri nequibat, nisi *supprimerentur, annullarentur, ac perpetuò extinguerentur titulus, denominatio, totusque status* plurimarum numero Ecclesiarum, absque ullo respectu legitimorum Episcoporum; quippè qui operis executioni cunctationem injicere, atque impedimentum afferre potuissent. Ad perficiendum istud adeò novum consilium, eòusque ventum est, eòusque necessariò veniendum fuit, ut legitimos Episcopos è Sedibus canonicè erectis, indictâ causâ, absque ullâ judicii solemnitate, *tanquàm ex Pontificiæ Providentiæ officio, et motu proprio,* deturbari pronunciaretur; dùm tamen singulæ illorum Ecclesiæ, ac respectivæ earum Diœceses integræ stabant, adhuc suum habentes territorium, certis limitibus canonicè circumscriptum.

Nec nisi post hæc, manus admotæ sunt ad *supprimendum, annullandum et perpetuò extinguendum titulum, denominationem, totumque statum* harumce Ecclesiarum, aliarumque numero plurimarum; ac deindè ad constituendas de novo, et erigendas, juxta novam circumscriptionem, Ecclesias numero longè pauciores.

Atque ex his colligere pronum est quàm frustraneum sit id quod circumfertur à nonnullis, videlicet Episcopos de quibus agitur, loco motos non esse: sed, cùm illorum Ecclesiæ ac Diœceses, juxta novam circumscriptionem, immutatæ fuerint, nullum ipsis superfuisse locum, quandoquidem in ipsismet Litteris Apostolicis, incipientibus: *Qui Christi Domini vices,* legitur dictos Episcopos, è Sedibus suis reipsà motos esse, et fuisse movendos, pri-

usquàm

usquàm illorum Ecclesiæ ac Diœceses, juxta novam circumscriptionem, et immutatæ fuerint, et potuerint immutari.

Quis porrò Catholicus Antistes securus jam in suâ Cathedrâ sederet? Quo etiam modo Catholicæ plebes in pâternâ Episcoporum, canonicè institutorum, sollicitudine conquiescerent, si fieri posset, etiam sub novæ Diœcesium circumscriptionis obtentu, ut legitimi Episcopi è suis Sedibus canonicè erectis, canonicè stantibus, deturbarentur, indjctâ causâ, absque ullâ judicii solemnitate, *tanquàm ex Pontificiæ Providentiæ officio, et motu proprio;* quasi si stabilis, fixus ac firmus non esset Episcopatus, sed ad unius Romani Pontificis nutum revocabilis?

At verò non eâ lege suam Christus constituit Ecclesiam, ut ex Episcopis constaret revocabilibus ad nutum unius, ne illius quidem quem cæterorum Caput esse dedit, cæterisque Superiorem.

Stabilem, firmum, fixumque esse statum Episcopalem, ità ut canonicè instituti Episcopi, nullius ad nutum, nec nisi per sententiam post instructionem et processum juridicè latam, loco suo dimoveri possint, Ecclesiæ Catholicæ omnes, à tempore immemorabili, unanimi consensu tenent ac profitentur. Quòd si unanimis illius, in tàm gravi capite, omnium Catholicarum Ecclesiarum consensûs origo requiratur, statìm occurret illam à nullius Concilii constitutione repeti posse: nullum quippè exstat Concilium quod eam Episcopatûs stabilitatem, canone vel decreto, creaverit: hanc potiùs se ipsis priorem agnoscunt Concilia etiam antiquissima, dùm in eo sunt unicè, ut illam tueantur; atque idcircò magnâ curâ ordinent observandas judiciorum solemnitates, in causis præsertìm gravioribus quæ depositione dignæ esse possent(1). Quapropter etiamsi aliundè non suppeterent

(1) Concil. Sardic. an. 347.

paterent Sacrorum Codicum loca, ex quibus colligi posset Episcopatûs stabilitas, ea saltem Apostolicæ Traditioni inniteretur, juxta datam à S. Augustino, probatamque omnibus regulam: " Multa *sunt* quæ non inve-" niuntur in Litteris *Apostolorum*, neque in Conciliis " posteriorum, et tamen, quia per universam custo-" diuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, et com-" mendata creduntur."(1)

Haustam hanc è purissimo Traditionis Apostolicæ fonte sententiam Trallensibus instillasse videtur S. Ignatius, Patriarcha Antiochenus, et Martyr, de Episcopo tàm splendidè scribens, quem Patris figuram esse perhibet: " Cuncti....revereantur Episcopum, ut eum qui " est figura Patris."(2)

Simile quid dici potest de S. Symmacho, Summo Pontifice, qui, Episcopatum cum Sanctissimâ Trinitate quodammodò conferens, docet ad instar Trinitatis, cui una est et individua Potestas, unum per diversos Antistites novæ legis esse Sacerdotium; et, in hâc augustâ Episcopatûs cum Sanctissimâ Trinitate convenientiâ, potentissimam deprehendit rationem, quâ Successores à violandis Decessorum Statutis deterreantur. " Dilectionis " tuæ litteras....(scribebat Sanctus Pontifex ad Episco-" pum Arelatensem) suscepimus, quibus constat, inter " Arelatensem et Viennensem Ecclesiam, aliquod de or-" dinandis Episcopis in vicinis civitatibus oriri lucta-" men; illâ re videlicet faciente, quòd Decessor noster, " sanctæ recordationis, Anastasius....aliqua contra ve-" terem consuetudinem jusserit observari, Decessorum " suorum videlicet ordinationem (quod non oportebat) " sub quâlibet necessitate transgrediens; nam, dùm ad " Trinitatis

(1) S. August. de Baptism. contra Donatistas, lib. II, cap. 7, nº. 12, tom. IX, col. 102. F.

(2) S. Ignatius, Episc. Antioch., ep. ad Trallenses, c. 3.

" Trinitatis instar, cujus una est atque individua potestas, " unum sit per diversos Antistites Sacerdotium, quemadmodùm priorum Statuta à consequentibus convenit violari?"(1)

At significantiora eâ de re habet S. Gregorius Magnus: " Si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur " (verba sunt Sancti Pontificis), quid aliud agitur, nisi " ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit " ordo, confundatur?"(2) Ex quibus verbis satis liquet quantùm abfuerit, ut sibi attribueret facultatem legitimis Archiepiscopis et Episcopis *quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticæ jurisdictionis*, in respectivis eorum Diœcesibus, indictâ causâ, absque ullâ judicii solemnitate, *tanquàm ex officio Pontificiæ Providentiæ, motu proprio, perpetuò interdicendi*, eorumdemque Archiepiscoporum et Episcoporum *Ecclesias et respectivas Diœceses*, ab illis nullatenùs dimissas, *prorsùs liberas* efficiendi, ut de illis novâ formâ constituere posset ac disponere.

Contrà verò magno illi Pontifici ità persuasum fuit, firmum fixumque esse statum Episcopalem, ut nunquàm adduci potuerit ad sufficiendum Successorem in locum viventis Episcopi qui, propter corporalem infirmitatem, officii sui muneribus fungi penitùs nequibat; quinimò apertè declaraverit se ideò injustæ huic depositioni operam dare nullatenùs posse, ne animam suam peccato macularet. " Scripsit mihi tua Dilectio (sic ipse magnus " Pontifex rescribebat ad Anatolium, Diaconum Constantinopolitanum) piissimum Domnum nostrum Reverendissimo fratri meo, Joanni primæ Justinianæ Episcopo, pro ægritudine capitis quam patitur præcipere " succedi

(1) S. Symmachus Papa, Epist. 2 ad S. Æonium, Episcop. Arelatensem, (*apud Baron. ad an.* 499, *tom. VI, pag.* 547. *A, B. Antuerp.* 1658.) tom. I. Concil. Galliæ, col. 683, edit. Maurinorum, Parisiis, 1789.

(2) S. Gregor. Magnus, lib. XI, epist. 37, ad Romanum, Siciliæ Defensorem; (*olim lib. IX, epist.* 32.) tom. II, col. 1120. C, D. Parisiis, 1705.

" succedi....Et quidem nusquàm Canones præcipiunt, " ut, pro ægritudine, Episcopo succedatur: et omninò " injustum est, ut, si molestia corporis irruit, honore " suo privetur ægrotus. Atque ideò hoc per nos fieri " nullatenùs potest, ne peccatum in meâ animâ ex ejus " depositione veniat."(1)

Indè est etiam quòd, ubi compertum habuit idem Pontifex Episcopos loco suo motos fuisse, auctoritate, non secundùm Canones; eorum quæ gesta erant contra jus nullam rationem habendam, Episcoposque sic depositos in propriæ dignitatis honorem revocandos, aut causam iterùm, servatis omnibus servandis, diligenter perquirendam esse decreverit. Quæ quidem ità esse probant duæ ejus Epistolæ ad Episcopos Salonitanum et Larissæum: nempè ad priorem scribit: " Dùm cuncta ne" gotia indagandæ sollicitudine veritatis indigeant, tùm " quæ ad dejectionem Sacerdotalium graduum pertinent, " districtiùs sunt trutinanda; in quibus non tàm de hu" milibus constitutis, quàm divinæ quodammodò bene" dictionis refragatione tractatur. Quæ res quoque nos " in Florentii, Epidauritanæ Civitatis Episcopi, personâ " ad exhortationem Vestræ Fraternitatis admonuit. " Nuntiatum siquidem nobis est, à quibusdam fuisse " eum in causis criminalibus accusatum; et, nullis ca" nonicis probationibus exquisitis, nec Sacerdotalis Con" cilii proveniente judicio, eum ab honoris officio, non " jure, sed auctoritate depositum. Quia ergò non po" test quemquam Episcopatûs gradu, nisi justis ex " causis, concors Sacerdotum summovere sententia; " hortamur Fraternitatem Vestram, ut præfatum virum " ex eodem, in quo detrusus est, ejici faciatis exilio, " causamque ejus Episcopali disceptatione perquiri; et,

" si

(1) S. Gregor. Magnus, lib. XI, epist. 47 (*olim lib. IX, epist.* 41.) ad Anatolium, Diaconum Constantinopolitanum, eodem tom. II, col. 1135. D. E.

" si in his in quibus accusatus est canonicâ fuerit pro-" batione convictus, canonicâ procùl dubio est ultione " plectendus."(1) Iisdemque principiis inhærens, scribit ad alterum: " Quia igitur,.... contra jus Canonesque " depositus, honoris sui gradu carere non potuit, in suâ " eum (Hadrianum, Episcopum Thebanæ civitatis) re-" formari Ecclesiâ, atque in propriæ dignitatis ordinem " decrevimus revocari."(2)

Neque minùs notatu digna sunt ea verba quæ, paucos antè annos, ad Galliarum Antistites dirigebat Pius VI; super modo quo dissolvi potest spirituale vinculum quod singulos Episcopos singulis conjungit Ecclesiis, videlicet: " Vos nunc alloquimur, Venerabiles Fratres, qui, " paucis exceptis, vestrorum erga gregem officiorum " munera probè agnovistis, eaque, humanis rationi-" bus sepositis, palàm professi estis; ibique curas ac " labores majores impendi oportere existimastis, ubi ma-" jora pericula ingruebant....Equidem vos intuentes, " non possumus consolatione non affici, vosque, ut in " proposito perstetis, vehementer non hortari. Ad " memoriam itaque vestram revocamus spiritualis illius " conjugii nexum, quo Ecclesiis vestris adstricti estis, " quodque non nisi morte, aut Apostolicâ Nostrâ potest " auctoritate, JUXTA CANONICAM FORMAM, DISSOLVI; iis " ergò adhærescite."(3) (*a*)

Porrò

(1) S. Gregor. Magnus, lib. III, epist. 8 (*olim lib. II, indict. XI, epist.* 8) ad Natalem, Archiep. Salonitanum, tom. II, col. 631. C. D. edit. Bened. Parisiis, 1705.

(2) S. Gregor. Magnus, citato lib. III, epist. 7 (*olim lib. II, indict. XI, epist.* 7) ad Joannem, Episc. Larissæum, eodem tom. II, col. 630. D.

(3) Litter. Commonit. 13 April. 1791, tom. I, Brev. Pii VI, pag. 334 et 336.

(*a*) Pergit Pius VI: *Neque illas unquàm dereiinquite luporum rapacium arbitrio.*—Episcopi legitimi qui, vigente persecutione, abdicant dignitatem suam, gravi scelere se obstringunt: *Bonus* enim *Pastor animam suam dat pro ovibus suis*, inquit Christus, *Joan X*, 11. Vid. can. 47 *Sciscitaris*. Caus. VII, q. I. (*Edit. Paris.*)

Portò duplex duntaxat cognoscitur canonica formâ, juxta quam Apostolica ipsa auctoritas manus efficaciter admovere queat ad dissolvendum spiritualis illius conjugii nexum, quo Ecclesiis suis adstricti sunt Episcopi; quarum una est, si, juxta præsentem disciplinam, Summus Pontifex liberè factam in suis manibus Episcopatûs renuntiationem acceptet; (" Episcopatûs enim renun-" tiatio....irrita....et vana est apud Ecclesiam, prop-" tereà quòd caret consensu atque auctoritate Summi " Pontificis:(1)") altera est, si, post adhibitas omnes judiciorum solemnitates, secundùm regulas, mores, et instituta uniuscujusque Ecclesiæ, juridica sententia pronuncietur.

Nunquàm verò, in totâ retrò antiquitate, auditum fuit *motum proprium* Summi Pontificis canonicam esse formam, juxta quam, indictâ causâ, absque ullâ judicii solemnitate, efficaciter solvi possit spiritualis illius conjugii vinculum, quo Ecclesiis suis adstricti sunt Episcopi.

Quinimò, cùm Pius VI, antiquorum Patrum vestigia premens, spirituale vinculum quo Ecclesiis suis adstricti sunt Episcopi, connubiali fœderi assimilaverit,(2) vel eò ipso satis indicavit Episcopos, Ecclesiis suis secundùm divinam institutionem conjunctos, nullius arbitratu posse separari, nullumque tàm sancti nexûs dissolvendi esse posse

(1) Epist. ab Emin. S. R. E. Cardin. de Zelada, jussu Pii VI, scriptâ ad D. D. de Miramon, de Grand-Champ, de Chassignoles, cæterosque Vicarios (*Generales*) Diœcesis Augustodunensis, die 11ª. Aprilis, 1791, *tom. II, Brevium Pii VI, pag.* 537.

(2) Uxor Episcopi....ejus Ecclesia....indubitanter intelligitur. *S. Callistus Papa I, Epist. 2 ad omnes Galliarum Episcopos tom. I, Concil. Labb. col.* 614. *A.*

Cùm ergò fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet quin Omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, suo tantùm judicio reservaverit dissolvendum. *Innocent. III, in Decretalibus Gregorii IX, lib. I, tit. VII.*, de translatione Episcopi, *cap.* 2, inter corporalia.

posse modum, qui non Ecclesiæ legibus, vel constanti ac perpetuâ Traditione definitus sit, atque consecratus. Verùm ex legibus Ecclesiæ, ex perpetuâ et constanti Traditione colligitur cathedram Episcopalem, canonicè occupatam, fieri vacuam non posse, nisi intercedat mors possessoris legitimi, vel libera ejus dimissio debitè acceptata, vel deniquè lata, post dictam causam, post servata omnia servanda, adhibitasque omnes judiciorum solemnitates, juridica sententia.

Manet igitur integrum atque illæsum vinculum spiritualis illius conjugii, quo Episcopi canonicè instituti Ecclesiis suis adstricti sunt, quamdiù viventes ii Episcopi Ecclesias suas liberè non dimittunt, vel, post adhibitas omnes judicii solemnitates, loco non moventur.

Quamdiù autem integrum atque illæsum manet spiritualis illius conjugii vinculum, Ecclesiæ, quæ suos Sponsos habent, nullâ prorsùs ratione debent, aut possunt liberæ haberi, aut esse. Undè fit ut, dùm istis Ecclesiis, aut aliquibus earum partibus, novi, etiam sub obtentu novæ Diœcesium circumscriptionis, præficiuntur Episcopi, in Ecclesiam Dei viventis inducatur rerum facies illius Constitutioni prorsùs repugnans, simulque maximi plena discriminis.

Sanè Episcopi qui, suprà memoratis Pii VI monitis obsequentes, suas à se Ecclesias non dimittendas, sed iis potiùs inhærendum duxerunt, acti nihilominùs et permoti, cùm sincerâ quâ Ecclesias suas diligunt caritate, tùm summâ quâ Sanctitatem Vestram prosequuntur veneratione, quidquid in ipsis erat, per modum provisionis, præstiterunt, ut obviàm irent malis gravissimis quæ ex adeò novâ, adeòque inauditâ, rerum dispositione nascitura facilè prævidebant: at efficere nullatenùs potuerunt, ut eâdem rerum dispositione non labefactaretur Ecclesiæ Constitutio. Cùm enim, ex unâ quidem parte, nihil magis sit ab Ecclesiæ Constitutione alienum, quàm defectus uni-

 tatis;

tatis; ex alterâ vero, Ecclesiasticæ unitatis pars magna sit unitas Pastorum; non potest non labefactari Ecclesiæ Constitutio, ubi novi superinducuntur Episcopi in Diœceses, in quibus superstites sunt Episcopi canonicè instituti, et uxoribus suis, id est Ecclesiis suis, adhærescentes; quandòquidem solutus non est sacer ille nexus, quo hi eisdem alligantur. Atque rem ità se habere minimè dubitaverit quisquis tantisper attendere voluerit ad ista, quæ, per omnes Catholicæ Religionis ætates, ut sacra habita fuêre pronunciata: "Occupato (gradu " cathedræ Sacerdotalis)...cùm post primum (Episco- " pum) secundus (Episcopus) esse non possit, quisquis " post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jàm " secundus ille, sed nullus est."(1)

" Stat quippè sententia Ecclesiastica et authentica, " post primam electionem non esse secundam. Cele- " bratâ proindè primâ, quæ secundò præsumpta est, " non est secunda, sed nulla."(2)

" Nimis enim reprehensible, ac detestabile esse mani- " festum est, ut, te vivente, tibi alium (Episcopum) sub- " stituamus."(3)

" Ait Apostolus: *Alligata est uxor legi, quandiù vir* " *ejus vivit; eo verò defuncto, soluta est à lege viri.* Simi- " liter et Sponsa Episcopi (quia Sponsa, uxorque ejus " dicitur Ecclesia), illo vivente, ei est alligata; eo verò " defuncto, soluta est, et *cui voluerit, nubat, tantùm in* " *Domino,*

(1) S. Cyprian. Epist. ad Antonianum, (52 *Pamel. et Baluz.*—55 *Oxon.*) pag. 68, edit. Baluz. 1726.

(2) S. Bernardus, epist. 126 ad Episcopos Aquitaniæ, n°. 8, tom. I, col. 134. E. edit. Mabill. Parisiis, 1690.

(3) S. Zacharias Papa, epist. ad S. Bonifacium, Archiep. Moguntinum, (*cap.* 4.) apud Mabill, Sæcul. III Benedict. part. II, in Vitâ S. Bonifacii, auctore Othlono, Monacho Fuldensi, lib. II, cap. 2. pag. 58, Parisiis, 1672.

" *Domino*, id est, regulariter; si enim, eo vivente, alteri " nupserit, adultera judicabitur."(1)

" Ut duo in unâ civitate, penitùs uno tempore, nec " ordinentur, nec habeantur Episcopi."(2)

Mirum ergò videri non debet quòd hujuscemodi subrogationes novorum Episcoporum, Episcopis canonicè institutis, viventibus, insontibus, Sedes suas minimè dimittentibus, nec interrogatis, nec auditis, tantoperè (ut verbis Pii VI. utamur) *detestatus sit S. Innocentius I*,(3) ità ut scripserit: " Quis enim ferre possit ea quæ ab illis " delinquuntur, quos præ cæteris decebat tranquillitatis, " ac pacis, et concordiæ esse studiosos? Nunc autem, " præpostero more, Sacerdotes innoxii è Sedibus Eccle- " siarum suarum exturbantur; quod quidem primus in- " justè perpessus est Frater, et Consacerdos noster, " Joannes Episcopus vester, cùm nullâ ratione fuisset " auditus. Nullum crimen affertur, nec auditur. Et " quodnam est hoc perditum consilium? Ut non sit, " aut quæratur ulla species judicii, in locum viventium " Sacerdotum alii substituuntur...Neque enim talia un- " quàm à Patribus nostris gesta esse comperimus, sed " potiùs prohibita, CUM NEMINI LICENTIA DATA SIT IN " LOCUM VIVENTIS ALIUM ORDINANDI: nam reproba " ordinatio honorem Sacerdotis auferre non potest; " siquidem is Episcopus omninò esse nequit, qui injustè " substituitur."(4)

Neque

(1) S. Callistus Papa I, epist. 2 ad omnes Galliarum Episcopos, cap. 3, tom. I. Concil. Labbei, col. 614 A. B.

(2) Concil. Cabilonense, an. 644, can. 4, tom. III, Concil. Harduini, col. 949. B.

(3) " Quod quantoperè S. Innocentius I. Pontifex detestetur, ex ejusdem " perspicitur sequentibus verbis: *Quis enim ferre possit*, etc. (Litter. Apost. 9 Mart. 1791, tom. I. Brev. Pii VI, pag. 162 et 164)

(4) S. Innocentius, Papa I, epist. 7 ad Clerum et populum Constantinopolitanum, nº. 2, tom. I Epistolarum RR. PP. edit. Petri Constantii, col. 798. C. D. Parisiis, 1721.

Neque tamen putandum est, ex eâ quæ agitur adeò novâ, et hactenùs inauditâ rerum dispositione, nihil mali consecutum fuisse, præter ea quæ hucusquè recensuimus. Indè quoque consecutum fuit, ut totus Religionis status fluctuans, incertus, et cuilibet civili Gubernio, etiam in iis quæ Sacri Ordinis quàm maxime sunt, obnoxius evaserit.

Cæcutire enim oportet, si quis non videat, undènam repetenda sit origo perturbationum, atque subversionum, quas in Ecclesiæ nostræ res invectas fuisse gemebundus stupet Catholicus Orbis. Non certè, ad ea de quibus conqueri cogimur decernenda, sponte, et ex animo devenit Sanctitas Vestra. Quin potiùs nihil à Vestrâ Sanctitate prætermissum fuit, ut ipsa testatur, quò tantam doloris acerbitatem à nobis, et profectò simul ab Ecclesiâ universali prohiberet.(1) At verò voluit temporale Gubernium Ecclesias omnes Archiepiscopales et Episcopales, in omni quà patet ditionis suæ territorio constitutas, et canonicè erectas, statìm, et nullis observatis canonicis solemnitatibus, *unà cum respectivis earum Capitulis, supprimi, annullari, et perpetuò extingui :* item, ac nullis similiter observatis canonicis solemnitatibus, novam Diœcesium circumscriptionem ità fieri, ut longè minor, quàm anteà fuerat, Ecclesiarum Archiepiscopalium et Episcopalium numerus de novo constitueretur, et erigeretur. Voluit omnes territorii sui Ecclesias Archiepiscopales et Episcopales, quæ suos habebant Antistites canonicè institutos, simul vacuas fieri, ideòque à dictis Antistitibus postulari liberam Sedium suarum resignationem ; atque, etiamsi huic resignationi *renuere ipsi vellent, gubernationibus Ecclesiarum novæ circumscriptionis,*

(1) " Ità vos persuasos esse arbitramur, ut minimè necessarium putemus " pluribus explicare vobis, nihil prætermissum fuisse à Nobis, quo tantam " doloris acerbitatem à vobis prohiberemus." (Litteræ Apostol. *Tam multa, ac tàm præclara,* diei 15 Aug. 1801.)

scriptionis, de novis nihilominùs Titularibus provideri. Voluit omnes et singulas Ecclesias Parochiales, quæ in territoriis Diœcesium novæ circumscriptionis continerentur, nullis pariter observatis canonicis solemnitatibus, perpetuò supprimi, novamque Parochiarum circumscriptionem à novis Archiepiscopis et Episcopis ità fieri, ut numero longè pauciores, quàm anteà, erigerentur. Voluit omnem Parochorum canonicè institutorum jurisdictionem, absque ullâ judicii solemnitate, statìm cessare, ac novis parochiis novi Parochi præfecti fuerint. Hæc omnia voluit, hæc omnia velle se significavit; et ex iis omnibus (licèt hujusmodi concessionibus tot Canonicæ Sanctiones obsisterent) nihil non impetravit.

Hoc autem semel patefacto aditu, quàm luctuosæ animis, invitis licèt atque repugnantibus, sese offerunt præsensiones! Quis non insolabili mente prospiciat (nisi exitiali malo remedium citiùs afferatur) actum esse in petpetuum de Episcopatûs immobilitate; de Ecclesiarum firmitudine conclamatum; universamque nutare sanctissimæ Religionis œconomiam? Quoties nempè sæcularis Potestas, quâcumque formâ regiminis utatur, quàlibetve ratione potita sit imperio, proficuum sibi deinceps duxerit, novas in Religionem dispositiones rerum, ac leges inducere, ipsi jàm complanatum est iter, quo gradiens scopum assequatur. Ipsi perspectum erit quid facto sit opus, ut, juxta datum ineunte hoc sæculo exemplum, Religionem incœptis suis servire faciat, et ad gravissimas in illam mutationes invehendas, quasi pro jure suo, impellat et cogat. Ergò ad mobilitatem necessitatum mundanarum, imò cupiditatum mundanarum, Ecclesia commutabitur(1); totus ergò Religionis

(1) " Non esse è re visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum " Dei Ecclesiam commutari." *S. Innocentius Papa I, epist.* 24 *ad Alexandrum,*

gionis status fluctuabit incertus; et, in primâ Sede nunquàm non inquietati Summi Pontifices, tot importunis fracti postulationibus, totiès *urgente temporum necessitate coacti*, Catholicæ Rei habenas propemodùm dimisisse videbuntur. Jàm ab hominibus non tàm existimabuntur ut Christi Domini, in Cœlo regnantis, Vicarii, quàm ut administri cujuslibet terrenæ Potestatis, de iis etiam quæ Sacri Ordinis quàm maximè sunt, arbitratu suo disponere volentis; eòque difficiliùs curationem admittent mala quæ patietur Ecclesia, quòd illa huic, conscio ipsomet visibili Ecclesia Capite, inflicta fuerint.

Horumce verò malorum præsaga mens nostra tanto eorum metu, atque horrore afficitur, ut temperare omninò non possimus, quin eisdem cum Vestrâ Sanctitate precibus agamus, quibus olim cum Paschali Papâ II agebat S. Bruno, Episcopus Signinus, et Casinensis Abbas: *Miserere Ecclesiæ Dei; miserere Sponsæ Christi; et, per tuam prudentiam, suam recuperet libertatem* (imò Constitutionem suam), *quam modò.....amisisse videtur.*(1)

Significavit quidem *Sanctitas Vestra se cogi, urgente temporum necessitate, quæ in Ipsam vim suam exercet; cum dolore confessa est nullas suas sollicitudines, nullos suos labores pares resistendo temporum necessitati fuisse, cui parere omninò coacta fuit.*(2) Nec ullis unquàm verbis à nobis exprimi poterit, quàm vehementi dolore cordis tacti

---

andrum, Episcopum Antiochenum, cap. 2, nº. 2, tom. I Epistolarum RR. PP. col. 852. *B. edit. Coustantii*, 1721.

(1) S. Bruno, Episcopus Signinus, epist. ad Paschalem Papam II, apud Baron. Annâl. Ecclesiast. ad. ann. 1111, nº. 24, tom. XII, pag. 82, D. Antverp, 1629.

(2) "Cogimur, urgente temporum necessitate quæ.....in Nos vim suam "exercet....magno cum dolore fatendum est, nullas Nostras sollicitudines, "nullos labores pares resistendo temporum necessitati fuisse, cui parere "omninò coacti fuimus." (*Litteræ Apost.* 15. *Aug.* 1801.)

tacti fuerimus intrinsecùs, ubi intelleximus hujuscemodi vim in venerabile Caput nostrum exerceri; nam " Com-
" munis est causa......dolor nempè in Capite est, ac
" per hoc minimè alienus ne à minimis quidem, vel ex-
" tremis quibusque, Corporis partibus......Dolor max-
" imus iste......quia, cùm sit Capitis, non potest non
" esse et Corporis."(1)

At verò, cùm in urgentem pariter temporum necessitatem incidisset aliquandò Paschalis II, illique cessisset, quid ipse posteà censuerit de eo Decreto, ad Investituras spectante, quod, magnis necessitatibus coactus, ediderat palàm fateri non dubitavit, Episcopos in Basilicâ Lateranensi congregatos sic allocutus: " Porrò Scriptum
" illud, quod magnis necessitatibus coactus, non pro
" vitâ meâ, non pro salute, aut gloriâ, sed pro solis
" Ecclesiæ necessitatibus, sine Fratrum consilio, aut
" subscriptionibus feci,......SICUT PRAVÈ FACTUM COG-
" NOSCO, ITA PRAVÈ FACTUM CONFITEOR, et omninò
" corrigi, Deo præstante, desidero; cujus correctionis
" modum Fratrum qui convenerunt consilio, judicioque
" constituo, ne fortè per hoc, in posterum, detrimen-
" tum aliquod Ecclesiæ, aut animæ meæ præjudicium
" relinquatur."(2)

Deindè per octodecim sæcula, quibus jam, tot inter procellas, immota stetit super petram fundata Catholica Religio, sæpè aliàs contigit, ut urgens temporum necessitas vim suam exerceret, et in Episcopos, et in Summos Pontifices. Nunquàm tamen ullus idcircò Summus Pontifex, *motu proprio*, sub obtentu sedandæ tempestatis, omnes longè latèque porrectarum regionum Diœceses subvertit, atque innumeras illustres Ecclesias è suo loco movit.

(1) S. Bernardus, epist. 243 ad Romanos, n°. 2, tom. I, col. 240. D. E. edit. Mabill. 1690.

(2) Natalis Alexander, Histor. Ecclesiast. Dissert. IV. in Sæcula XI et XII, art. 13, tom. VI, pag. 753. Paris., 1714.

movit. Nullus unquàm ne vel unum canonicè institutum, nulliusque sceleris evictum Episcopum, indictâ causâ, Sede spoliavit.

Quin potiùs, si quandò malè auspicata Conciliabula, ut Principibus prava molientibus morem gererent, iniquam depositionis sententiam ferre attentaverunt in legitimos Præsules, quibus veritatis legisque zelus odium civilium Regiminum pepererat, innoxiis Præsulibus, nefanda passis, præstò adfuerunt Romani Pontifices, suasque illis vindicaverunt Ecclesias.

Sic S. Nicolaus I, nequicquàm obluctante Michaële Imperatore, S. Ignatii, Patriarchæ Constantinopolitani, à Pseudo-Synodo Constantinopolitanâ, contra fas omne depositi, partes invicto tuitus est animo, suæque Sanctum Patriarcham Sedi restituit.

Nec minùs strenuos defensores se anteà præbuerant S. Joannis Chrysostomi, S. Innocentius I; S. Athanasii, S. Julius I; et eamdem, in causâ S[ti]. Patriarchæ Alexandrini, animi firmitudinem perseveranter non exhibuisse Liberium Pontificem vehementer pœnituit.

Huc demùm accedit quòd, quemadmodùm S. Augustinus de Unitate Ecclesiasticâ scripsit: *Præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas*;(1) sic omninò dicendum, labefactandi Constitutionem Ecclesiæ nullam esse posse justam necessitatem, propter hanc evidentissimam causam quam tradit S. Pontifex Felix, *quòd, in die judicii, talem à nobis Ecclesiam, certum est, qualem à Patribus accepimus, exigendam.*(2)

Scilicet *Christus* Dominus, qui *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ,.... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*,

(1) S. August. contra Epistolam Parmeniani, lib. II, cap. XI, no. 25, tom. IX, col. 42. E. edit. Bened. 1688.

(2) S. Felix III, epist. ad Acacium, Constantinopolitanum, apud Baron, ad an. 485, no. 29, tom. VI, p. 385. C. Antuerp. 1658.

Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam,...sed ut sit sancta, et immaculata(1). Futura etiam Sponsæ suæ in terris fata reseravit, Apostolos in hunc modum allocutus: *Non est Servus major Domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur.*(2) *Tradet autem frater fratrem in mortem, et Pater filium; et insurgent filii in Parentes, et morte eos afficient; et eritis odio omnibus propter Nomen meum.*(3) *In mundo pressuram habebitis.*(4) *Hæc omnia facient vobis propter Nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.*(5) *Impossibile est ut non veniant scandala.*(6) Quam Christi Domini sententiam evolvens Gentium Doctor, scribebat ad Corinthios: *Oportet et hæreses esse.*(7)

Hisce porrò Mediatoris Dei et hominum Oraculis, per omnes ætates, accuratè respondit eventus: et " Non-" nunquàm Ecclesia tantis Gentilium pressuris non so-" lùm afflicta, sed et fœdata est, ut (si fieri posset) Re-" demptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus " videretur.(8)

Medias tamen inter illas pressuras integra semper mansit, et ad nos à Patribus transmissa est divina Ecclesiæ Constitutio, à nobis pariter ad Posteros transmittenda.

Nempè, quantalibet sæviat in domum Dei procella, nunquàm tamen committendum est, ut, sub obtentu faciendæ tranquillitatis, Ecclesiæ Constitutio ne tantillùm

(1) Ephes. V, 25, 27.
(2) Joann. XV, 20.
(3) Matth. X. 21, 22.
(4) Joann. XVI, 33.
(5) Joann. XV, 21.
(6) Luc. XVII, 1.
(7) I. Cor. XI, 19.
(8) Venerabilis Beda, in cap. VI Marci, lib. II, cap. 28. tom V Operum, col. 138, Coloniæ-Agrippinæ. 1612.

lùm quidem adulterari concedatur. Si quandò autem res eò devenerit, ut nulla prorsùs videatur componendorum fluctuum ratio superesse, nisi aliquid divinæ huic Constitutioni detrahatur, omninò cavendum est ne, animo etiam procurandæ salutis Ecclesiæ, exerceatur Potestas à Christo minimè collata; præterquàm quòd enim, si ità fiat, robore caret id quod agitur, accusari quodammodò videtur divina Redemptoris Providentia, quasi is Sponsæ suæ necessitatibus haud satis consuluisset. Tunc autem humiliter agnoscendum est motos fluctus mortali manu componi non posse, votisque omnibus confugiendum ad *Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum*,(1) in eoque spes firmissimè collocanda qui dixit, Petro quidem primùm; *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*:(2) deindè verò Apostolis omnibus; *Eccè ego vobiscum sum, omnibus diebus, usquè ad consummationem sæculi.*(3) *Confidite, ego vici mundum*;(4) quique, *fidelis....in omnibus verbis suis*,(5) " etsi " ad horam differre videatur auxilium tribulatis impen-" dere, nihilominùs eos, ne in tribulationibus deficiant, " suæ respectu pietatis corroborat; et aliquandò etiam, " manifesto adjutorio, victis adversitatibus, quasi cal-" catis sedatisque fluctuum voluminibus, liberat."(6)

Eòque dolendum magis hunc agendi morem, in tristissimo de quo quæstio instituitur negotio, servatum non fuisse, quòd, quia ab eo tramite declinatum est, proptereà *Religio Catholica, Apostolica, Romana* (ea nempè Religio *quam longè maxima pars* Gallorum Civium

(1) Hebr, III, 1.
(2) Matth. XVI, 18.
(3) Matth. XXVIII, 20.
(4) Joann. XVI, 33.
(5) Psal. 144, v. 13.
(6) Venerab. Beda, in cap. VI. Marci, lib. II, cap. 28, citatâ col. 138.

vium *profitetur*),(1) nedùm ex his quæ perpetrata sunt, aliquid veræ utilitatis, multùm è contrà damni ceperit ac detrimenti.

Quantumvìs enim constans fuerit Sanctitas Vestra, ut ipsius verbis utamur, *in proposito ad omnia sacrificia pro bono unitatis descendendi, ad quæ, salvâ Religione, descendi potest*;(2) omnibus tamen ad quæ descendit sacrificiis, non illam, quam adeò vehementer optabat, Religionis conservationem, sed deteriorem ejusdem Religionis in Galliâ conditionem, atque imminentem interitum emisse videtur.

Nam quis veniat in spem conservandæ Religionis, quis potiùs gravissimum illi damnum non timeat, consideratâ serie Decretorum Gallicani Regiminis, pervulgatorum die 6ª. Mensis Aprilis, anni 1802, inscriptorum autem: *Articles Organiques de la Convention du 26 Messidor, an IX:*(3) de quibus Sanctitas Vestra, eos Sibi antè pervulgationem ignotos fuisse declarans, jure sanè ac meritò conquesta est in Consistorio secreto, habito die 24 Maii, ejusdem anni 1802.(4)

Præterquàm quòd enim dicti *Articuli* multa habent quæ in Religionis perniciem necessariò vergant; iidem creditum

(1) Conventio xv. Julii, 1801.

(2) Bulla; *Ecclesia Christi*; pag. 34.

(3) *Articuli Organici Conventionis diei* 15 *Julii, anni* 1801.

(4) "Animadvertimus, uoà cum præfatâ Conventione Nostrâ, nonoullos "*Articulos*, iguotos Nobis, promulgatos esse, quos, vestigiis Prædeces-"sorum Nostrornm iosistentes, haud possumus noo expetere, ut oppor-"tunas, ac necessarias modificationes, et mutatiooes accipiant......quod "....confidimus....Nos esse conseeuturos. Etenim Gubernium Galli-"caoum, in Catholicâ Religione restituendâ, in ejus sanctitate atque utili-"tate agnoscendâ, nolle non potest, ut ea, quæ restitotæ Religioois sanctis-"sima Constitutio exposcit, executioni demandentur, atque omnia cum illâ "salutari Disciplinâ planè consentiant quæ ab Ecclesiæ Legibus est stabi-"lita." (*SS. DD. NN. Pii, Papæ VII, Allocutio, habita in Consistorio secreto diei 24 Maii* 1802.)

creditum à Christo Ecclesiæ ministerium sub laïci Regiminis jugum penitùs mittunt, suosque demùm auctores usurpatæ spiritualis Potestatis manifestè arguunt.

Dictis nempè *Articulis* accuratissimè accommodari potest, id quod, paucos antè annos, de *civili Constitutione Cleri Gallicani* scribebat Sanctitatis Vestræ Decessor, Pius VI: " Si primò perlegantur (ipsissima sunt " verba venerandi Pontificis) assertiones Concilii Seno-" nensis, inchoati anno 1527,...illud profectò quod " basis est, et fundamentum Decreti Nationalis de quo " agitur, (videlicet Ecclesiasticum Ministerium ità sæ-" culari dominationi subjici, ut ad hanc spectet de ex-" ternâ ac sensibili Ecclesiæ gubernatione cognoscere, " ac judicare), expers esse ab hæresis notâ videri non " potest; sic enim se explicavit Concilium :(1) *Ex Sacris " Litteris....palàm ostenditur, non ex Principum arbitrio " dependere Ecclesiasticam Potestatem, sed ex Jure di-" vino, quo Ecclesiæ conceditur Leges ad salutem condere " Fidelium, et in rebelles legitimâ censurâ animadvertere.* " Præterea vobis etiam in mentem revocamus, felicis " recordationis, Benedicti XIV consonam sententiam, " qui,...in Suis ad Primatem, Archiepiscopos, et Epis-" copos Regni Poloniæ, die 4ª. Martii, 1755, datis Lit-" teris,...*pravum...ac perniciosum systema, jam pridèm " ab Apostolicâ Sede reprobatum, ac pro hæretico ex-" pressè damnatum*, declaravit....Et sanè, quæ unquàm " pertinere potest ad Laïcos jurisdictio super Ecclesiæ " rebus, ob quam Ecclesiastici ipsi subjici eorum De-" cretis teneantur? Nemini porrò, qui Catholicus sit, " ignotum esse potest Jesum-Christum, in Suæ Eccle-" siæ institutione, dedisse Apostolis, eorumque Succes-" soribus Potestatem, nulli alii Potestati obnoxiam, quam

(1) In Collectione Labbei, tom. XIX, pag. 1154. edit. Venet. Coleti, quâ semper utemur. *(Nota Pii VI, tom. I Brevium, pag. 116.)*

" quam Sanctissimi Patres universi voce concordi agno-
" verunt....Et tamen, contra tàm certam in Ecclesiâ
" sententiam, Conventus iste Nationalis Potestatem sibi
" Ecclesiæ arrogavit:"(1) dictis, inquimus, *Articulis* accuratissimè accommodari possunt hæc Pii VI verba; reipsâ enim, ut nimiùm constat, *Articulorum* de quibus nunc agitur auctores, Ecclesiæ Potestatem usurpantes, de rebus Ecclesiasticis præcepta mandare non dubitaverunt, et ad se Ecclesiastica, contra fas, pertrahere; sibique minimè congruens Ministerium arrogantes, divinæ Catholicæ Religionis Constitutioni adversi steterunt.

Atque utinàm condendis et pervulgandis hisce *Articulis* ansam non dedisset, purè et simpliciter, absque ullâ cautione admissa, pars altera Articuli primi dictæ Conventionis, diei 15 Julii, 1801; qui quidem Articulus sic habet: *Religio Catholica, Apostolica, Romana liberè in Galliâ exercebitur,...habitâ tamen ratione Ordinationum, quoad Politiam, quas Gubernium pro publicâ tranquillitate necessarias existimabit!*

Istâ quidem cheu! universâ Conventione recruduerunt, contra mentem profectò Vestræ Sanctitatis, nedùm sanarentur Ecclesiæ mala: verùm hæc ipsa pars altera Articuli primi idcircò speciatìm nocuit, quòd laïco Regimini usurpandæ Ecclesiasticæ administrationis præbuerit occasionem, quam prætervolare Regimen istud nequaquàm permisit. Hæc ipsa pars altera Articuli primi Gubernio Gallicano planum fecit iter ad tot tantaque decernenda, quibus non potest Catholica mens, quin ægrè admodùm afficiatur. Habentur jam in hisce *Articulis* (qui, licèt Sanctitati Vestræ ignoti fuerint, nuncupati sunt tamen *Organici Conventionis* cum ipsâ initæ), illæ

(1) Litteræ Apostolicæ diei 10 Martii, 1791, tom. 1 Brevium Pii VI, pag. 114, 116, 118, 120 et 124, edit. Paris, 1798.

illæ *Ordinationes quoad Politiam*, quas Gubernium necessarias existimavit, ut, salvâ publicâ tranquillitate, Religio Catholica, Apostolica, Romana in Galliâ exerceretur; quarum proindè ratio habenda est, ut ibi Religio Catholica, Apostolica, Romana exerceatur. Et, quoniàm ex unâ parte Sanctitas Vestra, citatâ suprà *Allocutione*, habitâ in Consistorio secreto, diei 24 Maii, 1802, apertè significavit dictos *Articulos*, proût se habent, obstare quominùs *executioni demandentur ea quæ exposcit sanctissima Religionis* nostræ *Constitutio*, et quominùs *omnia cum illâ salutari Disciplinâ planè consentiant, quæ ab Ecclesiæ Legibus est stabilita;* ac aliundè iidem *Articuli*, proût sunt, obtinent in Galliâ vim Ordinationum quarum ratio habenda est; indè consequitur Religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam in Galliâ nunc exerceri eâ lege, et conditione, ut habeatur ratio *Ordinationum*, quæ, Judice Sanctitate Vestrâ, obstant quominùs *executioni demandentur ea quæ exposcit sanctissima Religionis* nostræ *Constitutio*, et quominùs *omnia cum illâ salutari Disciplinâ planè consentiant, quæ ab Ecclesiæ Legibus est stabilita.*

Cæterùm non hìc locus est omnes præfatos *Articulos* sigillatìm perpendendi; nec singula quibus laborant vitia notare aggrediemur ad præsens; cùm præsertìm incrementum istud calamitatis à Vestrâ Sanctitate compertum planè, atque exploratum habeatur.

Verùm alia adhuc inflicta fuit Ecclesiæ plaga, non periculosa minùs, quæ forsan Sanctitatem Vestram latet; et de quâ idcircò non leviter, et quasi perfunctoriè, at paulò fusiùs dicendum nobis est, ut Sanctitas Vestra, post introspectam illius etiam vulneris altitudinem, nosse tandem possit ad quas angustias, in Galliis, adducta fuerit sanctissima nostra Religio.

Dolenda nempè, non minùs quàm certa sunt, ea quæ haud ità pridèm contigêre, ubi actum est de retractatione ad quam Viri Ecclesiastici jurati, intrusi, invasores, meritò

meritò et optimo jure tenebantur, nec non de reparatione scandali, quod per eos Presbyteros venit qui matrimonium sacrilegè attentaverunt.

Sanctitatis Vestræ Decessor, felicis recordationis Pius VI, post condemnatam eam, quam Conventus Nationalis ediderat, Cleri Constitutionem, post inflictas pœnas Canonicas Ecclesiasticis Viris, cùm iis qui *purè et simpliciter emiserant*, nec opportuno tempore *retractassent*, *Juramentum civicum*, *errorum omnium venenatum fontem et originem*, *Catholicæque Gallicanæ Ecclesiæ mœroris præcipuam causam*;(1) tùm iis qui se præterea intrusionis, et invasionis scelere contaminaverant jam, vel posteà, contaminarent; rationem docuit, quâ et hi, et illi, juxta *benigniorem Ecclesiæ Disciplinam*, in ejusdem Ecclesiæ gratiam redire possent.

Sibi quidem, ac Successoribus Suis, reservavit Facultatem absolvendi Archiepiscopos et Episcopos, hujusque reservationis causam declaravit his verbis : " Quod enim " super eorum defectione cadit judicium, multò aliis " gravius est, iisque longè antecellit : nam eorum " quidam sunt totius sceleris Principes, omnes autem " possunt verè dici auctores exitialis Schismatis, quod " per totum istud Regnum miserè debacchatur; adeòque " digni sunt, juxta memoratos Canones, ut cum iis ali" quantò rigidiùs agatur."(2)

Nec tamen dictis Archiepiscopis et Episcopis spem omnem

(1) Litteræ commonitoriæ [Pii VI, super *Juramento civico*, ab Ecclesiasticis præstito, ac Electionibus et Consecrationibus Pseudo-Episcoporum, ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Capitula, Clerum, et Populum Regni Galliarum ; diei] 13 April. 1791, (*tom. I Brevium Pii VI, pag.* 324. *Parisiis*, 1798, *in-8°*.)

(2) Nova Facultas absolvendi Presbyteros, etiam Intrusos. Quibus conditionibus ? Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, et Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, et Episcopis, ac Dilectis Filiis Diœcesium Administratoribus Regni Galliarum, diei 13 Junii, 1792, (*tom. II. Brevium Pii VI, pag.* 336.)

omnem præripi voluit; è contrà, adjecit: "Hâc autem "reservatione, nolùmus sanè, ut eorum animi frangan-"tur, ac dejiciantur; sed maximè cupimus, ut illorum "tantò magis excitetur fiducia communem Matrem "adeundi, et ad eam alacriter confugiendi: si enim sin-"cera eorum erit pœnitentia, velintque plenis satisfac-"tionibus malè gesta condemnare, et Ecclesias occu-"patas dimittere, declaravimus jam cum Sancto Leone, "idemque modò iterùm declaramus, eos per Nos apertis "ulnis exceptum iri, et pacis communionisque Nostræ "unitate fruituros."(1)

Ad Viros autem Ecclesiasticos secundi Ordinis quod attinet, concessit idem Pontifex legitimis Archiepiscopis Episcopis, et Diœcesium Administratoribus Regni Galliarum, primùm Facultatem *absolvendi eos qui juramentum civicum emisissent, dummodò tamen, seu postquàm publicè, et palàm, idem Juramentum retractaverint, et fidelium scandalum reparaverint, eo meliori modo, quo fieri poterit*.(2)

Deindè concessit etiam illis legitimis Archiepiscopis, Episcopis, ac Diœcesium Administratoribus, Facultatem absolvendi intrusos; ità tamen, ut conditiones horum absolutionis prævias præscripserit in hunc modum: "Et ne absolutiones hujusmodi inconsultò concedantur, "aut sint inter se difformes; inhærentes Nos...*benig-"niori Ecclesiæ Disciplinæ*, jubemus intrusorum absolvi "nominem, nisi priùs scripto ejuraverit civicum Sacra-"mentum, illosque errores qui *civili Constitutione Cleri "Gallicani* continentur; et nisi declaraverit speciatìm "sacrilegas esse Ordinationes ab intrusis, sive receptas, "sive peractas, irritam esse collatam ab eis auctorita-"tem,

(1) Nova Facultas, *etc.* diei 13 Junii, 1792, tom. II citato, pp. 336 et 338.

(2) Facultates concessæ, *etc.* die 19 Martii, 1792, eodem tom. II, pp. 272 et 274.

" tem, injustam et nullam esse intrusionem, unà cum
" actibus indè consecutis, et nisi jurejurando promiserit
" se Apostolicæ huic Sedi, legitimisque Episcopis ob-
" temperaturum, et nisi deniquè Parochiam, ejusve
" partem reapsè abdicaverit, eorumque ejuratio atque
" abdicatio publica fuerit, perindè ac crimen quoque
" publicum fuit."(1)

Demùm istius Facultatis concessioni gravem hanc subjunxit admonitionem: " Dùm vobis ampliorem hanc
" Facultatem impertimur absolvendi à nefario intru-
" sionis sacrilegio Ecclesiasticos inferioris Ordinis, non
" possumus equidem quin vos, simul et Ecclesiasticos
" hujusmodi paternè commoneamus: vos inquimus, ut
" cautè utamini tributâ Facultate ad ædificationem,
" utque religiosè eas servetis quæ vobis præscribuntur
" conditiones: Ecclesiasticos autem pœnitentes, ut,
" grato in Nostram indulgentiam animo, nullam simula-
" tionem adhibeant, utpotè quæ non modò ipsis nulli
" esset adjumento, sed etiam eosdem in majus exitium
" conjiceret; absoluti enim coràm Ecclesiâ, absoluti
" minimè essent coràm Deo, medicinamque ipsam in
" venenum converterent."(2)

Atque felici experimento comprobatum fuit, sicut non sine necessitate, ità non frustrà, nec sine fructu, hanc procedendi methodum à Pio VI designatam fuisse. Non defuerunt enim inter Viros Ecclesiasticos secundi Ordinis, sive civico Sacramento obstrictos, sive etiam intrusos, qui hisce legibus adamussìm obsecuti, plenissimis exhibitis satisfactionibus, in Ecclesiæ Matris gratiam redierint, et eam verâ suâ emendatione consolati sint, quam priùs suis aberrationibus contristaverant. Undè, licèt illa publici cultûs celebritate privatam se vehementer doleret,

(1) Nova Facultas, etc. diei 13 Junii, 1792, tom. II, pp. 330 et 332.
(2) Ibid. pag. 334.

doleret, interdùm tamen Unitas triumphabat, quia publicè repudiabatur Schisma, palàmque retractabatur nefarium illud Jusjurandum quod Schismati ortum dederat; interdùm triumphabat Fides, quoniàm errores palàm ejurabantur; interdùm triumphabat Fidei custos Disciplina, siquidem publicè patrata facinora, ab iis à quibus commissa fuerant, solemniter condemnabantur.

Verùm longè aliter res gestæ sunt, atque geruntur, postquàm vulgata est Conventio, inter Sanctitatem Vestram, et Gubernium Gallicanum, inita die 15 Julii, 1801, simulque vulgati sunt *Articuli* dicti *Organici* ejusdem Conventionis.

Primùm quidem, cùm Sanctitas Vestra hortata sit Viros Ecclesiasticos qui Juramentum civicum emiserant, ac præthereà, Sedes Archiepiscopales et Episcopales contra fas adepti, intrusione se contaminaverant, ideòque in suspensionem, atque etiam in irregularitatem inciderant, ut ad Catholicam unitatem redirent, Sedesque illas Archiepiscopales et Episcopales statìm abjicerent;(1) inventi sunt qui ausi fuerint Sanctitati Vestræ dare responsum quod sequitur:

" Nulla sacrificia, nullæ agendi normæ, nullæ pri-
" vationes operosa sunt animo Episcopi, quandò à Re-
" ligionis amore, bonoque pacis imperantur.

" Cùm ii sint animi nostri sensus, declaramus nos,
" multorum Sanctorum Præsulum exempla secutos,
" voluntariè, liberè, sponte nostrâ fecisse puram et
" simplicem resignationem Sedium nostrarum, quas à
" plusquàm decem annis conscendimus, absque ullâ
" intercessione Canonicâ, eoque unicè consilio, ut sub-
" veniremus urgentibus necessitatibus Ecclesiarum quæ
" manere non poterant destitutæ Pastoribus.

" Vocati

(1) Litteræ Apostolicæ; *Post multos labores*, diei 15 Aug. 1801.

" Vocati licèt electione liberâ, non tamen nisi vehe-
" menter averso animò consensimus, ut nobis formi-
" dandum Episcopatûs onus imponi sineremus, Sacram-
" que reciperemus Ordinationem; sed lætitiâ afficimur,
" videntes adesse horam, quâ nobis datum est posse loca
" nostra relinquere, quin ullum in discrimen adducan-
" tur cùm Religionis, tùm Reipublicæ utilitates.

" Subjecti, quovis tempore, visibili Ecclesiæ Capiti,
" vovemus Sanctitati Vestræ, utpotè quæ S. Petro suc-
" cedat, omnem obedientiam quam nobis præscribunt
" Sancti Canones.

" Grato animo prosequentes studium quo Primus
" Pontifex dissensiones Religiosas pace componere
" curat, jucundam concipimus spem, fore ut Conventio,
" inita inter Sanctitatem Vestram, et Gubernium Galli-
" canum, circa negotia Ecclesiastica, dissidiis omnibus
" finem afferat; omnesque intendemus nervos, ut Re-
" ligio et Patria plurimùm indè capiant emolumenti.

" Fides nostra fuit semper Fides Apostolorum, cui,
" adjuvante Dei gratiâ, testimonium reddidimus in ip-
" somet feralis pegmatis conspectu. Constitutum nobis,
" deliberatumque semper fuit vivere et mori in sinu Ec-
" clesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, et in com-
" munione Sanctæ Sedis, quæ est centrum Unitatis.

" Tales sunt animi nostri sensus, tales nostræ sen-
" tentiæ, talia vota nostra," etc. (H. Gregoire, Episc.
dimissionarius Blesensis; Parisiis, die 12 Octobr., anno
Christi 1801; Reipublicæ, X.)

Jam verò excogitarine potuit aliquod responsi genus, quod magis cum Decessoris Vestri, Vestræque ipsiusmet Sanctitatis, judiciis è diametro pugnaret?

Decessor Vester vocavit homines illos, *Pseudo-Episcopos*(1), *intrusos, invasores, funestissimi Schismatis auctores.*

(1) Litteræ Commonitor. diei 13 April. 1791, tom. I, pag. 330, et Litteræ Commonitor. diei 19 Martii, 1792, tom. II, pag. 246.

tores. Declaravit ac decrevit "*electiones* (illorum ad
" Ecclesias Cathedrales) illegitimas, sacrilegas, et prorsùs nullas fuisse, et esse...item...nefarias eorumdem
" *consecrationes* fuisse, et esse omninò illicitas, illegitimas, sacrilegas, et factas contra Sacrorum Canonum
" Sanctiones; ac proindè eosdem temerè, nulloque jure
" electos, omni ecclesiasticâ et spirituali jurisdictione
" pro animarum regimine carere, atque illicitè consecratos, ab omni exercitio Episcopalis Ordinis *esse suspensos.*"(1) Vestra Ipsa Sanctitas arguit illos eò quòd, *absque Sedis Apostolicæ institutione, Archiepiscopales, seu Episcopales Sedes occupaverint*;(2) et fuerunt qui ad Sanctitatem Vestram scribere non vererentur, *se, liberâ electione vocatos ad onus Episcopatûs, Sedes ad quas electi fuerunt, absque ullâ Canonicâ intercessione, conscendisse.*

Decessor Vester comminatus est illis excommunicationis pœnam, nisi, pro suo crimine, debitâ emendatione Ecclesiæ satisfacerent, ac nominatìm *præoccupata abdicarent Sacerdotia.*(3) Hortatus est eos, ut "meditarentur quàm *terribilis expectatio judicii, et ignis æmulatio eos consumptura esset,* quorum operâ efficeretur, ut
" Schisma, quod per eorum pœnitentiam tolli posset,
" perduraret,......latissimè grassaretur, ac invalesceret."(4) Vestra Ipsa Sanctitas illos hortata est, ut
" Sedes Archiepiscopales et Episcopales, quas absque
" Sedis Apostolicæ institutione occupârunt, statìm abjicerent;"(5) et fuerunt qui ad Sanctitatem Vestram scribere non vererentur, se voluntariè, liberè, sponte suâ, puram et simplicem facere dimissionem *suarum Sedium!*

(1) Litteræ Comminator. diei 13 April. 1791, tom. 1, pag. 326 et 328; et Litteræ Comminator. diei 19 Martii, 1792, tom. 11, pag. 244.

(2) Litteræ Apostolicæ, *Post multos labores*, diei 15 Aug. 1801.

(3) Litter. Commonil. diei 19 Mart. 1792, tom. 11, pag. 250 et 256.

(4) Ibid. pag. 254.

(5) Litter. Apost. *Post multos labores*, 15 Aug. 1801.

dium! quasi Sedes habuissent, qui, cunctis neglectis, violatis, pessumdatis Legibus, Ecclesias invaserunt; qui spurias Cathedras, Canonicâ erectione carentes, conscendere ausi sunt; qui demùm Archiepiscopalia, Episcopaliaque munia, non acceptâ Canonicâ institutione, per sacrilegum nefas, obire non sunt veriti!

Quid quòd postquàm, obstinatâ suâ in Schismate et intrusione pertinaciâ, incredibile Religioni damnum attulerunt, iidem ad Sanctitatem Vestram scribere non dubitaverint, *se gaudio affici, videntes adesse horam quâ ipsis datum est posse loca sua relinquere, quin ullum in discrimen adducantur, cùm Religionis, tùm Reipublicæ utilitates!*

Nec etiam tacere possumus quod hìc ab illis additur, nempè, *se illas ad quas electi sunt Sedes, eo unico consilio conscendisse, ut subvenirent urgentibus necessitatibus Ecclesiarum, quæ manere non poterant destitutæ Pastoribus;* cùm certum sit, primùm quidem plerosque legitimos Episcopos è Galliâ nondùm discessisse, quandò attentari cœperunt sacrilegæ electiones et consecrationes, et quosdam è Pseudo-Episcopis non puduisse Ecclesias occupare, et in eis Pontificalia exercere, dùm legitimi Præsules in suis ipsis Episcopalibus Civitatibus præsentes intererant; nec aliundè minùs constet, per Ecclesiæ Leges nunquàm licitum fuisse, nec forè, viventis Episcopi legitimi occupare Sedem, eò quòd is, vi persecutionis, discedere coactus fuerit.

Deniquè Decessor Vester illos jure ac meritò condemnavit, eò quòd, per civicum Sacramentum, purè ac simpliciter præstitum, se subjecerint *civili Constitutioni Cleri;* idque Sacramentum, nec non errores qui in dictâ Constitutionè continentur, *scripto ejurari* jussit.(1) Vestra

(1) Litteræ Commonitoriæ, diei 13 April. 1791, tom. I, pag. 324 et 326; et diei 19 Martii, 1792, tom. II, pag. 250-256.

Vestra Ipsa Sanctitas illos hortata est, ut *ad unitatem Catholicam redirent*,(1) eo ipso judicans illos ab eâdem recessisse; et fuerunt qui ad Sanctitatem Vestram scribere non vererentur, *Fidem suam fuisse semper Fidem Apostolorum; se quovis tempore visibili Ecclesiæ Capiti subjectos fuisse;* quique errores quos tuiti sunt, *exitiale Schisma* cujus *auctores* fuerunt,(2) ex unâ parte; Judicia verò Apostolica, ex alterâ, meras vocarent *dissensiones religiosas!*

Posteà, inter Viros Ecclesiasticos qui, ut suprà dictum est, Juramentum civicum emiserunt, ac insuper, Sedes Archiepiscopales et Episcopales contra fas adepti, intrusione se contaminaverant, (ideòque in suspensionem, atque etiam in irregularitatem inciderant,) nonnulli ad Archiepiscopatus et Episcopatus novæ circumscriptionis promoti sunt; nec tamen, quæ priùs ab ipsis malè gesta fuerant, palàm condemnaverunt: è contrà, quidam ex ipsis Scripta evulgaverunt, in quibus, omni deposito pudore, jactitant nullam à se, nec factam fuisse, nec unquàm faciendam esse retractationem, oblatumque sibi absolutionis beneficium, à se, utpotè illo nequaquàm egentibus, fuisse repudiatum.

Talia leguntur in *Epistolâ Dominici Lacombe, Episcopi* (juxta novam circumscriptionem) *Engolismensis* nuncupati, *ad Venerabilem Presbyterum Binos, olim Canonicum Sancti-Bertrandi, scriptâ quidem Parisiis,* 4 *Junii,* 1802, *typis verò editâ Burdigalæ, ex Typographiâ Simart, viâ Sanctæ-Catharinæ.*

" Verissimum est D. Legatum id in votis habuisse, ut
" retractationem à nobis impetraret; verissimum est hanc
" ab illo non fuisse impetratam...Ego declaravi me non
" deserere *Constitutionem civilem Cleri,* nisi quia nova
" Lex id effecit, ut illa deinceps actu perfici non posset;
" me

(1) Litteræ Apostolicæ, *Post multos labores,* diei 15 Aug. 1801.
(2) Nova Facultas, etc. diei 13 Junii, 1792, eodem tom. II, pag. 336.

" me placita illius veneratione et amore prosectutum, in " horum veneratione et amore esse perseveraturum; " tantùm abesse ut me ipsum vituperarem, eò quòd illi " obediens, fidelisque fuerim, ut contrà velut optima " vitæ meæ opera, præmiisque æternis dignissima ha- " berem ea omnia, quæ illa mihi præscripsit, quæque à " me præstita fuisse mihi semper gratulabor."

" Dicetur forsan tibi D. Legatum nobis absolutionem " impertitum fuisse; idque probari ex Legationis ejus " Commentariis ubi visa sunt...plura exemplaria *Decreti* " *absolutionis*, à pluribus inter nos humiliter postulatæ, " et pluribus inter nos non sine charitate concessæ. Quo " pacto hæc facta repelles? Dices mecum D. Legatum, " spretis regulis in administratione Sacramenti Pœni- " tentiæ observari solitis, spretis celebribus hisce verbis " innumerorum Summorum Pontificum, *Nisi verè con-* " *tritis, et confessis*, absolutionem, nec volentibus, nec " petentibus, impertitum fuisse; quosdam è nobis, ubi " *Decretum* eis traditumest in manus,...in id animad- " vertisse, illud in ignem projiciendo, antè oculos ejus à " quo id acceptum tenebant...Dices prætereà Constitu- " tionalem *Lacombe* hujus *Decreti* munere non fuisse " donatum: haud dubiè in metu habitum est, ne minùs " esset patiens quàm cæteri."

Similia quoque habentur in Epistolâ Henrici *Reymond*, Episcopi, juxta novam circumscriptionem, Divionensis nuncupati, ad D. *Lemaistre*(a), datâ die 16 Aprilis, 1802(b) videlicet: " Legatus, antequàm nobis institu- " tionem

(a) *Lemaistre*. Ipsiusmet Chirographum habemus præ manibus, ex quo emendatur editio Londin. ubi ponitur, *Lemaitre*. Edit. Paris.

(b) Epistola illa Henrici *Reymond* (non autem *Raymond*, proùt scribitur in *Expostulationibus*, pag. 97, edit. Latinæ, an. 1803, et pag. 113, edit. Gallicæ, an. 1804, utriusque Londinensis) Epistola, inquam, illa hic breviatur. Integra refertur à J. M. de Chasteaugiron, in Opere; *Examen impartial*,

" tionem Canonicam largiretur, obtulit nobis, veluti " prævium quid, et conditionem *sine quâ non*, subscri- " bendam aliquam Formulam, turpi retractationi æqui- " parandam. Agebatur omninò de præstandâ plenissimâ " obedientiâ iis quæ contenta habentur in *Litteris Apos-* " *tolicis* Pii VI; agnoscendum erat nos ab unitate defe- " cisse; Schismatis partem maximam fuisse; errori " participavisse; atque, Summi Pontificis auctoritate " minimè fretos, illegitimè Concilia celebravisse, etc.... " hujus Formulæ transumptum postulavimus, ut de illâ " recogitaremus: id nobis negatum fuit. Planum tibi " est nullis nos indiguisse considerationibus. Denegato " nobis Formulæ transumpto, declaravimus, neque dictam " Formulam, nec quidquam huic simile unquàm à no- " bis subscriptum iri."

" Jam non igitur metuendum tibi est, ne à te exigan- " tur retractationes, errorum confessiones, reditus ad " unitatem, etc. quandoquidem nihil horum omnium à " nobis præstitum fuit, nec, nisi ut primi Consulis desi- " derio

---

impartial, etc. in Instrumentis, pag. j.—viij; et à Petro-Ludovico Blanchard, (Sacræ Facultatis Parisiensis Baccalaureo Theologo, et Parocho S. Hippolyti, in Diœcesi Lexoviensi, innumeris Scriptis suis, pro defensione Fidei Catholicæ, de Ecclesiâ benè meriti) *in Controversiâ pacificâ quæst. XVI, pp.* 326-329, *not.* (*) *edit.* 1802. Vicarius quidam Generalis Diœcesis Lumbariensis, cui nomen L *** , cùm misisset ad D. Lemaistre, Parochum juratum S. Laurentii, in Urbe Gratianopolitanâ, istius Epistolæ Exemplar typis impressum, ut ab eo resciret, utrùm esset authenticum, et archetypo consentaneum, rescripsit D. Lemaistre, ipsissimâ suâ manu, ad prædictum Vicarium Generalem Epistolam, quam ille nobis perhumaniter dono dedit, quæque hic et nunc versatur palàm antè oculos. Hæc Epistola quasdam exhibet variantes lectiones minimi momenti, et desinit in hæc verba: "Au moyen des corrections ci-dessus, dont pas une n'est essen- " tielle, je soutiens que la conformité est parfaite, pages, lignes et virgules, " et après vous avoir assuré de mon dévonement sincére, je signe ma décla- " ration." A Grenoble, le 18 Juillet, 1802.

J. V. Lemaistre, Curé *(Constitutionnel)* de Saint Laurent. (Ed. Par.)

" derio acquiesceremus, declaravimus nos executioni " *Constitutionis civilis Cleri* nuntium remittere, ut ex- " clusivè adhæreremus Conventioni, quæ, cùm dictæ " Constitutioni substituta fuerit, illam idcircò abolevit. " Neque profectò difficilè nobis fuit id præstare obse- " quium; nihil quippè facilius est, quàm nuntium re- " mittere Legi quæ jam non existit, nec ampliùs potest " executioni demandari. Præterea dictum à nobis, typis- " que mandatum est: *Constitutio civilis Cleri in praxim* " *jam venire nequit in pluribus ejus Articulis; fieri ergò* " *jam non potest, ut illi obtemperetur; amor pacis nos,* " *fratribus nostris morem gerere cupientes, inducit ad con-* " *sentiendum, ut illa deinceps pro Regulâ non habeatur.*" (Vide Decreti pacificationis, editi à primo Conciliabulo, Parisiis habito, anno 1797, art. IV.)

Quis porrò satis deplorare possit obstinatam hanc, et obfirmatam in errore persevérantiam? Quis ferre possit non modò non suppliciter postulatum fuisse, sed tàm superbè, nec sine magno Sanctæ Sedis Apostolicæ despectu, repudiatum absolutionis adeò necessariæ munus? Nonne hìc dicendi locus est cum S. Bernardo: *Tales, cùm defensantur, sustentantur, honorantur, foventur; mirantur nimirùm, et scandalizantur multi?*(1) Qualem enim Doctrinam, et Clero, et populo, annuntiabunt hujuscemodi homines, quos non pudet tàm pertinacem venerationem et amorem ostentare erga eam *Cleri Constitutionem,* quam, (ex judicio Sedis Apostolicæ, ab universâ Ecclesiâ Gallicanâ, nullis aliis Catholicis Ecclesiis contradicentibus (*a*), acccpto) neminem latet: " Ex " principiis

(1) S. Bernardus, epist. 178 ad Innocentium Papam II, n°. 3, tom. I, col. 175. C. edit. Mabill. an. 1690.

(*a*) Ed. Paris. *Nullis aliis Catholicis Ecclesiis contradicentibus accepto.* Ecclesiæ Catholicæ exterarum Regionum dogmatico Sedis Apostolicæ judicio, de *civili Cleri Constitutione,* non modò non contradixerunt, sed permulti

" principiis coalescere ab Hæresi profectis; adeòque in
" pluribus Decretis hæreticam esse, et Catholico Dog-
" mati adversantem; in aliis verò sacrilegam, schis-
" maticam, jura Primatûs et Ecclesiæ evertentem;
" Disciplinæ, cùm veteri, tùm novæ, contrariam; non
" alio

multi ex variis Nationibus Episcopi et Cardinales eidem, patefacto consensu, expressiùs adhæserunt. Horum nomina legere est in Dissertatione, cui titulus: *Salisburgensis cujusdam Religiosi, in Collectionem Brevium SS. D. N. Pii Papæ VI, quæ ad præsentes Gallicanarum Ecclesiarum calamitates pertinent, irreligiosi invecti, debita castigatio*, auctore Henrico-Ludovico Hulot, Presbytero Remensi, edit. 2ª. Augustæ Vindelicorum, (*Augsbourg*) 1801; typis Julii-Guillelmi Hamm, et apud Nicolaum Doll, Bibliopolam. Inserta est etiam hæc Dissertatio *tomo III Collectionis Brevium Pii VI, edit. Belgicæ, anni* 1801. (Vide pp. 181-232.) Nomenclatura prædicta Episcoporum et Cardinalium sexies minimùm typis edita est, in pluribus Scriptis adversùs Conventionem inter Pium VII et Napoleonem. Ut autem magis ac magis ad omnium notitiam perferatur, operæ pretium est eam hic de novo repræsentare.

Episcopi Galliæ	128
Cardinales	24
Episcopi Pontificiæ in Italiâ ditionis	50
Episcopi, extra ditiones Pontificias, in Italiâ et insulis adjacentibus, constituti	13
Episcopi Germaniæ	10
Episcopi è vicinis Germaniæ regionibus	9
Episcopi Sabaudiæ	4
Episcopi Comitatûs Venaisini	4
Episcopi Hispaniarum	7
Episcopi tùm Hollandicis, tùm Anglicis Missionibus præpositi	4
Archiepiscopus Dubliniensis, in Hiberniâ	1
Episcopi, in Imperio Sinarum	2
Archiepiscopus Platensis, in Americâ Meridionali	1
Episcopi, *in partibus Infidelium*	6
Totum	263

Unicus pro Hiberniâ refertur Archiepiscopus Dubliniensis; verùm huic adjungendi sunt NON PAUCI *Hiberniæ Episcopi*, ut testatur idem Archiepiscopus, in suo *Monito* (dato Dublinii, pridiè Idus Januarii, 1793), quod integrum reperitur in *Diario Ecclesiastico Romano, tom. VIII, pag. 79, ad diem 25 Maii*, 1793. Præterea D. Hulot ab Archiepiscopo Dubliniensi expetiverat

" alio deniquè consilio excogitatam, atque vulgatam, nisi
" ad Catholicam Religionem prorsùs abolendam?"(1)

Quanta etiam, et quàm justa est totius Ecclesiæ offensio, cùm homines suspensionis censurâ mulctatos, nec non in irregularitatem lapsos, post spretum ac rejectum absolutionis munus, videt ad immensarum Diœcesium regimen admovere manus, et Pontificalia audacter exercere!(a) Utinàm isti mentis oculos tandem aliquandò aperirent,

---

petiverat testimonia Vicariorum Apostolicorum in Scotiâ, si quæ fortè, pro causâ Cleri Gallicani exulantis, ediderant. Rescripsit ad eumdem Archipræsul, 5°. Nonas Octobris, 1800, his verbis: *De Vicariis Apostolicis Scotis nil constat, præter assensum ab illis præstitum omnibus, quæ, in eâdem causâ, à Confratribus Anglis gesta sunt.*—Non abs re fuerit hoc etiam subjicere, D. Henricum Hulot, in præmium conscripti Operis, multa reportasse laudum præconia, non solùm à pluribus Galliæ Episcopis, à Nuntio Lucernensi, ab Episcopis Frisingensi, Ratisbonensi, aliisque, sed et ab ipso Pio Papâ VII, qui Epistolam, *in formâ Brevis*, ad ipsum dedit, Romæ, die 10 Septembris, 1800.

(1) Litteræ Commonitor. Pii VI, diei 13 April, 1791, tom. 1 Brevium, pag. 306.

(a) Ed. Paris. *Audacter exercere.* Diabolus impensè studet opera Dei, imitando, adulterare. *Erant filii Jacob duodecim.* (Genes. XXXV, 22.) isti sunt duodecim Patriarchæ duodecim Tribuum Israël. JESUS-CHRISTUS, Dominus Noster *vocavit Discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* (Luc. VI, 13.) Erat *murus civitatis*, quæ significabat Ecclesiam, *habens Fundamenta duodecim; et in ipsis, duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* (Apocal. XXI, 14.) Sic Napoleo, ut ædificaret Ecclesiam suam novam, non *descendentem de Cœlo à Deo*, (Apoc. ibid. v. 2.) sed *ascendentem de abysso*, (Apocal. XI, 7.) duodecim elegit Episcopos Constitutionales, quasi lapides augulares, et *Fundamenta duodecim* portentosi istius ædificii. Horum duodecim Patriarcharum nomina Posteritati mandamus.

Joannes-Petrus Saurine, olim Episcopus Constitutionalis Aquensis; dein Episcopus Concordatista Argentoratensis; (Vid. pp. 51 et 53, huj. Collectionis;) (*defunctus.*)

Joannes-Franciscus Perier, olim Episcopus Constitutionalis Claromontensis; dein Episcopus Concordatista Avenionensis.

Franciscus Becherel, olim Episcopus Constitutionalis Constantiensis; dein Episcopus Concordatista Valentinus; (*defunctus.*)

 Ludovicus

aperirent, seriòque meditarentur præclara hæc Divi Joannis-Chrysostomi monita ! " Erubescite, quæso, et pudore suffundimini .... Nemo vincula contemnat ecclesiastica ; non est enim homo qui ligat, sed Christus, qui .... dedit hanc ligandi potestatem.... Si quis autem ea (vincula) contemnat, adveniet tempus judicii quod ipsum doceat." (1) At non ea duntaxat lugenda habemus quæ, post initam *Conventionem*, et pervulgatos *Articulos* de quibus suprà mentio injecta est, à Viris Ecclesiasticis commissa sunt : nonnulla insuper, ab eodem tempore, à Gubernio civili, et Officialibus ejus emanârunt Acta, Religioni funesta magis, quàm verbis ullis exprimi valeat.

Cùm

Ludovicus CHARRIER DE LA ROCHE, olim Episcopus Constitutionalis Rotomagensis ; dein Episcopus Concordatista Versaliensis.

Claudius LE COZ, olim Episcopus Constitutionalis Redonensis ; dein Archiepiscopus Concordatista Bisonticensis ; (vid. p. 42, hujus Collect.) (*defunctus.*)

Carolus MONTAULT DES ISLES, olim Episcopus Constitutionalis Pictaviensis ; dein Episcopus Concordatista Andegavensis

Claudius-Franciscus Maria PRIMAT, olim Episcopus Constitutionalis Cameracensis, posteà Lugdunensis ; dein Archiepiscopus Concordatista Tolosanus ; (*defunctus.*)

Henricus REYMOND, olim Episcopus Constitutionalis Gratianopolitanus ; dein Episcopus Concordatistà Divionensis. (Vid. p. 97, Ed. Londin.)

Marcus-Antonius BERNOLET, olim Episcopus Constitutionalis Colmariensis ; dein Episcopus Concordatista Aquisgranensis ; (*defunctus.*)

Dominicus LACOMBE, olim Episcopus Constitutionalis Burdigalensis ; dein Episcopus Concordatista Engolismensis. (Vid. p. 94, Ed. Londin.)

Joannes-Claudius LE BLANC BEAULIEU, olim tertius Episcopus Constitutionalis Rotomagensis ; dein Episcopus Concordatista Suessionensis.

Ludovicus BELMAS, olim Episcopus Constitutionalis Carcassonensis ; dein Episcopus Concordatista Cameracensis.

Quinque ex istis Pseudo-Episcopis defuncti sunt, ut notatur : cæteri septem, mense Januario anno 1818, adhuc agunt inter vivos. Avitæ Fidei tenaces, contentâ voce, validisque clamoribus, apud Pium Papam VII expostulant, ut *tollantur de medio* (1. Cor. V. 2.) Hæretici et eorum Fautores.

(1) S. Joannes-Chrysostomus, Homil. IV in epist. ad Hebræos. no. 6, tom. XII, pag. 49. B. C. D. edit. Benedict. Parisiis, 1735.

Cùm Sanctitatis Vestræ Decessor Pius VI, *benigniori, ut suprà observatum est, Ecclesiæ Disciplinæ inhærens,* jusserit neminem Virorum Ecclesiasticorum, sive juratorum, sive intrusorum absolvi, nisi priùs necessariam prorsùs (juxta omnes ab omni Catholicæ Religionis ævo conditas Sanctiones canonicas) retractationem ediderit, ejusque retractatio *publica fuerit, perindè ac crimen quoque publicum fuit* :(1) nihilominùs à sæculari auctoritate prohibitum est, ne à dictis Viris Ecclesiasticis ullum exigeretur retractationis genus. In encyclicâ quippè Epistolâ Ministri Politiæ generalis ad Præfectos, Parisiis datâ, die 7 Junii, 1802, sic legitur: "Non minor à vobis "habenda est diligentia, ne ulla ex factionibus quæ Ecclesiam diviserunt ullam speciem retractationis exigat. "Jam significavi vobis Gubernii, hâc de re, voluntatem, "cujus nisi recusetur imperium, neque juramentum "quodvis, neque formula quælibet à Presbyteris postulari potest, præter Declarationem, quâ profiteantur *se* "*adhærere Conventioni* (15 Julii, 1801), *et esse in com-* "*munione Episcoporum à primo Consule nominatorum.* "Si ex utrâque parte auctoritas haberi putaretur mutuas "petendi retractationes, quorsùm evaderent fructus religiosæ reconciliationis, in quâ extingui debent odia "omnia, et quæcumque præteritorum recordationes? "Se habet organisatio Cultuum erga Ecclesiam eodem "modo, ac decima-octava dies mensis Brumarii, erga "Rempublicam: nullius factionis triumphus agitur; "sed fit omnium conjunctio in mente Reipublicæ et "Ecclesiæ."

Et

(1) Facultates concessæ ab Apostolicâ Sede, singulis Archiepiscopis, et Episcopis, ac Diœcesium Administratoribus Regni Galliarum, communionem et gratiam Sedis Apostolicæ habentibus, diei 19 Martii, 1792, (*tom. II Brevium Pii VI, pp. 272 et 274.*—Nova Facultas absolvendi Presbyteros, etiam intrusos etc. diei 13 Junii, 1792. (*eodem tom. II, pag.* 332.)

Et postquàm sic prohibitum fuit, ne ab Ecclesiasticis Viris, sive juratis, sive intrusis, ullum exigeretur retractationis genus, Archiepiscopi et Episcopi, Diœcesibus novæ circumscriptionis præpositi, hanc à civili Gubernio instructionem, seu potiùs jussionem acceperunt, ut Viros Ecclesiasticos secundi Ordinis, Ecclesiæ obsequentes, inobedientesve fuerint, nullo discrimine haberent; atque inter Presbyteros qui fuerunt in Ecclesiam contumaces, tertiam, vel saltem quartam partem Parochorum, et Vicariorum assumerent. In illâ enim, tot reprehensionibus obnoxiâ, encyclicâ Epistolâ, quam ad singulos Archiepiscopos,(a) Archidiœcesibus novæ circumscriptionis præpositos, direxit, die 8ª. Junii, 1802, Consiliarius Statûs, præfectus omnibus negotiis *ad Cultus religiosos* pertinentibus, legere est ea quæ sequuntur. "Primi Con-
" sulis mens est, ut, ad perficiendam rerum rationem
" æquitati consentaneam, et ab omni partium studio
" alienam, eligas unum è Vicariis tuis Generalibus, inter
" Viros Ecclesiasticos secundi Ordinis, qui nomen de-
" derunt *Clero Constitutionali* nuncupato; et ut Viri
" Ecclesiastici

(a) Ed. Paris. *Ad singulos Archiepiscopos.* Mirum videri debet quòd Consiliarius Statûs hanc Epistolam ad solos direxerit Archiepiscopos, cùm tamen pertineat etiam ad Episcopos. Haud dubiè eâ de causâ id factum est. Juxta veterem consuetudinem, Romani Pontifices Decreta sua dirigebant ad Metropolitanos, ab ipsis transmittenda ad Episcopos. Indè legimus in Concilio Aurelianensi IV, an. 541, can. 1; *Agnita per Metropolitanos, à Sede Apostolicâ, Sacra Constitutio teneatur.* (Apud Labbeum, tom. V, col. 381. E.) Pristinum hunc morem retinens Pius VI Brevia sua dogmatica adversùs civilem Cleri Constitutionem misit ad Metropolitanos. "Quâ bonâ fide, " inquit Pontifex, dubitari potest de Nostrarum Litterarum veritate, quæ, " Nostrâ manu obsignatæ, ad Metropolitanos Galliæ missæ sunt?" (*Litteræ commonit. diei* 19 *Martii*, 1792, *tom. II, pag.* 238.) Consiliarius Statûs, *Portalis*, Ecclesiæ Romanæ consuetudinem sibi proponens ad imitandum, quasi supremus rerum Ecclesiasticarum moderator, Epistolam suam Decretalem ad solos direxit Archiepiscopos, ut ipsi Episcopis Suffraganeis suis Gubernii civilis mandata significarent.

" Ecclesiastici ejusdem classis vocentur, habitâ ratione
" tertiæ, vel saltem quartæ partis, ad obeunda munia
" Parochorum, Canonicorum, et Desservitorum."(a)

Quis demùm non exhorruit, cùm scriptum legeret publicam sacrilegii palàm admissi condemnationem, merum esse scandalum; simulque videret hujusmodi condemnationem, eo nomine, acriter vituperari, ac ne quid in posterum simile fieret districtè prohiberi?

Scilicet Sacrosancta Tridentina Synodus, Apostolicæ Doctrinæ tenax, regulam quam sequerentur qui publicè peccassent posuit his verbis:(1) " Apostolus monet, " publicè peccantes palàm esse corripiendos. Quandò " igitur ab aliquo publicè, et in multorum conspectu, " crimen commissum fuerit, undè alios scandalo offen- " sos, commotosque fuisse, non sit dubitandum; huic " condignam, pro modo culpæ, pœnitentiam publicè in- " jungi oportet; ut quos, exemplo suo, ad malos mores " provocavit, suæ emendationis testimonio, ad rectam " revocet vitam."

Et Consiliarius Statûs, Præfectus negotiis omnibus Cultus religiosos spectantibus, ad civem Præfectum Districtûs Somonæ, die 14 Mensis Maii, anni 1802, scripsit in hunc modum.

" Simul cum litteris tuis, datis die decimâ mensis " currentis, accepi, Civis Præfecte, instrumenta quibus " comprobatur retractatio publica facta à *Claudio de la* " *Court*, Presbytero conjugato, et ab eo dictum anathe- " ma

(1) Concil. Trident. sessione XXIV, cap. 8, de reformatione.

(a) Hæc Epistola encyclica Consiliarii Statûs, Portalis, integra exstat apud Petrum-Ludovicum Blanchard, *in Controversiâ pacificâ, quæst. XVI*, § 5. *pp.* 350-357, *edit.* 1802; et apud D. de Chasteaugiron; *Examen impartial et paisible, etc. in Instrumentis. pp. xl—lxx, Londini*, 1802. Hanc uterque notis, confutavit. Pluries etiam seorsùm typis mandata est, absque notis. A carceribus ad calcem, summam sibi Portalis in Ecclesiæ suæ novæ Episcopos arrogat auctoritatem. Ed. Paris.

" ma conjugio quod inierat. Hoc facinus verum est
" scandalum......Presbyteri qui administrant Paro-
" chiam, seu Ecclesiam, in quâ dictus *de la Court*
" solemnem suam fecit retractationem, cavere debuis-
" sent, ne hujusmodi scandalum locum haberet; et cum
" summâ æquitate statuisti eos, si quid in posterum si-
" mile contingeret, hujus delicti reos esse futuros."

Quasi verò non tunc per infelices Presbyteros scandalum venerit, cùm matrimonium ausi sunt attentare! Aut quasi publicam scandali, publicè dati, reparationem crimini cuiquam verti, ratio unquàm sinere possit!

Porrò his omnibus prætenditur nomen pacis, et opinio unitatis. Verùm, ut jam pridem docuit S. Hilarius: " Speciosum quidem nomen est pacis, et pulchra est " opinio unitatis; sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ " atque Evangeliorum unitatem, pacem esse, quæ " Christi est?"(1)

Ea igitur sola pax vera censeri debet, quæ, cùm sit evangelicæ veritati consentanea, pax Christi est; ea sola vera censeri debet unitas, quæ, cùm sit evangelicæ veritati consentanea, unitas Christi est: atque his, quos modò memoravimus, agendi modis, non constituitur pax Christi, non constituitur unitas Christi; sed contra veritatem evangelicam, in Ecclesiam inducitur larva quædam pacis, larva quædam unitatis (*a*), aperto quovis bello, aperto quovis Schismate longè periculosior.

Numquid

(1) S. Hilarius, Episc. Pictaviensis, lib. contra Arianos, vel Auxentium Mediolanensem, n°. 1, col. 1263. A. edit. Benedict. Parisiis, 1693.

(*a*) Ed. Paris. *Larva quædam unitatis.*—Unitas prima est ex quatuor veræ Christi Ecclesiæ notis. Porrò Unitas Ecclesiæ requirit Unitatem Fidei. *Unus Dominus, una Fides... Occurramus omnes in Unitatem Fidei.* (Ephes. IV, 5 et 13.)—(*Ecclesia*) *unitate fidei Catholicæ una est* appellata, inquit S. Siricius Papa, (epist. 10, seu canones Synodi Romanorum ad Gallos Episcopos, n°. 9, tom. 1 Epistolar. RR. PP. col. 692. C. edit. 1721.)—*Unum Ecclesiæ corpus est... per Fidei unitatem.* (S. Hilarius Pictav. in Psal. 121, n°. 5,

Numquid enim habetur pax Christi, numquid habetur unitas Christi, ubi sæculare Gubernium potestatem spiritualem sibi, contra voluntatem Christi, vindicans, judicem se constituit, etiam controversiarum quæ exortæ sunt circa Doctrinam; errores, à legitimâ auctoritate solemniter condemnatos, haberi vult ut meras quæstiones nullius, quoad Fidem, momenti, à partibus inter se luctantibus agitatas; definire aggreditur necessariam non esse horumce errorum retractationem; quinimò præscriptas ab Ecclesiasticâ Potestate retractationes prohibere non veretur, novasque statuere conditiones quæ, illo auctore, et nullo vitio laborent, et satis esse debeant, ut pateat reditus in gratiam cum Ecclesiâ; atque formidanda illa sacra obeundi munera facultas, in pœnam gravissimorum piaculorum jure prorsùs ac meritò amissa, statìm, et absque ullâ prævià prohibitione, recuperetur? His artibus, Christi pacem et unitatem in Ecclesiâ haberi posse minimè profectò arbitrabatur S. Gelasius Papa I. Propterea Imperatori Anastasio qui, Eutychianis favens, omnia ad se Ecclesiastica trahebat, in hunc modum scripsit: "Duo sunt, Imperator Au-
" guste, quibus principaliter mundus hic regitur; auc-
" toritas sacra Pontificum, et Regalis Potestas in quibus
" tantò gravius est pondus Sacerdotum, quantò etiam,
" pro ipsis Regibus, Domino in divino reddituri sunt
" examine rationem. Nosti etenim, Fili Clementissime,
" quòd,

---

nº. 5, col. 386. A. B. edit. 1693.) Vid. S. Epiphan. *adversùs Hæreses*, *lib. I. hær.* 31, *cap.* 31, *tom. I*, *pag.* 202. *B. C. D. edit. Petav.* 1622, *et lib. III in Exposit. Fidei Catholicæ*, *nº.* 6, *eodem tom. I*, *col.* 1083, *A.*—S. Leon. Magn. *Serm. IV in Solemnitate Nativitatis D. N. J. C. pag.* 76. *Lugdun.* 1700.—Cardin. de Bissy, Episc. Meldensem, *in Mandato et Instruct. Pastor.*, *diei* 26 *Martii*, 1725, *pag.* 80, *in* 4º. *etc.*—Cùm autem in Ecclesiâ istâ novâ non sit vera Unitas, sed tantùm *larva unitatis*, juxta 38 Episcopos, consequens est, ut nihil aliud illa sit, nisi *larva Ecclesiæ Catholicæ*, adeòque non licere cum ipsius sectatoribus communione conjungi.—Edit. Paris.

" quòd, licèt præsideas humano generi dignitate, rerum
" tamen Præsulibus Divinarum devotus colla submittis;
" atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumen-
" dis Cœlestibus Sacramentis, eisque (ut competit) dis-
" ponendis, subdi te debere cognoscis Religionis ordine
" potiùs, quàm præesse."(1)

Nec minùs expressè Summus idem Pontifex suos utrique Potestati limites, quos neutra, illæsâ pace, transilire queat, ab ipsomet Christo Domino positos fuisse docuit, in Tractatu *de Anathematis vinculo*, his verbis: " Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum " saluti congrueret, dispensatione magnificâ temperans, " sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis, " officia Potestatis utriusque discrevit,....ut, et Chris- " tiani Imperatores, PRO ÆTERNA VITA, Pontificibus " indigerent; et Pontifices, PRO TEMPORALIUM CURSU " RERUM, Imperialibus dispositionibus uterentur: qua- " tenùs....*militans Deo minimè se negotiis sæcularibus* " *implicaret;* ac vicissim non ille rebus Divinis præsi- " dere videretur, qui esset negotiis sæcularibus impli- " catus."(2)

Nunquid habetur pax Christi, nunquid habetur unitas Christi, ubi Sponsa Christi, Ecclesia, eousquè deprimitur, ut exhibeatur veluti factio quædam, cujus incompositos motus, ad reducendam tranquillitatem, sedare necesse sit?

Erat Ecclesia Gallicana avitæ Fidei, Catholicæque unitatis tenax, acceptam à majoribus Traditionem servans, Cathedræ Petri consociata, omnium Catholicarum Ecclesiarum communione fruens; " Habens origines " firmas

(1) S. Gelasius I, epist. 8 (*olim* 10; *apud Harduinum*, 4) ad Anastasium Imperatorem, tom. IV Concilior. edit. Labbeanæ, col. 1182. C.

(2) S. Gelasius I, Tractat. de anathematis vinculo, tom. IV Conciliorum Labbei, col. 1232. C.

" firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res,.... hæres " Apostolorum,.... evolvens ordinem Episcoporum suo- " rum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut " primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apos- " tolicis Viris,......habuerit auctorem, et antecesso- " rem,"(1) quandò ex ipsomet ejus sinu exsurrexit turma hominum, *loquentium perversa*(2) ; *profanas* sectantium novitates,(3) *semetipsosque segregantium*(4). Sanè hujusmodi homines, *euntes in adinventionibus suis*(5), *ipsi sibi damnationem acquirebant*(6), cujus sententiam, à legitimâ auctoritate, æquissimo judicio, prolatam, propter malè gesta retulerunt: Romam *enim* rescripta *missa sunt ; indè* responsa *venerunt*. *Causa finita est ; utinàm aliquandò finiatur error* !(7).

Et fingitur in diversas factiones divisam fuisse Ecclesiam ! Quasi verò tenaci radice fundatum non maneat unum robur arboris à Domino plantatæ, etsi frangantur ab illâ rami, qui fracti germinare nequeant, donec, Deo miserante, denuò inserantur(8).

Ergòne factionis alicujus Dux erat Pius VI, dùm, Apostolatûs officio fungens, è primâ Sede et documentum,

(1) Tertullianus, lib. de Præscriptionibus adversùs Hæreticos, cap. 37 et 32; pp. 340, 331 et 332, edit. Lat. Gallic. D. de Gourcy, Vicarii Generalis Diœcesis Burdigalensis, Parisiis, 1780, in-12.

(2) Act. XX, 30.

(3) I. Timoth. VI, 20.

(4) Epistola Catholica B. Judæ, v. 19.

(5) Psal. 80. v. 13.

(6) Rom. XIII, 2.

(7) S. August. Serm. 131 de verbis Evang. Joannis, (*in edit. Theologor. Lovan. serm. 2. de verbis Apostoli ;*) cap. X, n°. 10, tom. V, col. 645. D. edit. Bened. 1683.

(8) " Ecclesia una est, quæ in multitudinem latiùs incremento fecunditatis extenditur. Quomodò.......... rami arboris multi, sed robur unum " tenaci radice fundatum...... ab arbore frange ramum; fractus, germinare non poterit." (*S. Cyprianus, lib. de Unitate Ecclesiæ, pag.* 195. *edit. Baluz.* 1726.)

tum, et judicium edidit in hunc modum? " Factum est, " ut, totâ Ecclesiâ Gallicanâ fatente, et consentiente, " haberi deberent juramenta civica tanquàm perjuria, " ac sacrilegia, non Ecclesiasticis modò, sed Catholico " quovis homine prorsùs indigna, omnesque consequen- " tes actus, tanquàm schismatici, pro nullis, irritis, gra- " vioribusque censuris obnoxii(1).

" Videntes itaque Nos, ex multiplici tot criminum se- " rie, per Galliarum Regnum, tàm benè de Religione " meritum, et adeò Nobis charum, magis magisque " Schisma invehi, atque amplificari,... non possumus " equidem tàm lacrymabili rerum aspectu non commo- " veri. Ut igitur gliscenti Schismati, primo quoque " tempore, obicem opponamus, ut ad officia revocentur " errantes, ut boni perstent in proposito, utque Religio " in florentissimo isto Regno servetur, Nos.... tenore " præsentium imprimìs edicimus, ut, quotquot sunt " S. R. E. Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, " Vicarii, Canonici, Parochi, Presbyteri, cunctique Ec- " clesiasticæ militiæ adscripti, sive sæculares, sive re- " gulares, qui *civicum juramentum* purè et simpliciter, " proùt à Conventu Nationali præscriptum fuit, emise- " runt.... (nisi intra quadraginta dies, ab hâc die nu- " merandos, hujusmodi juramentum retractaverint) à " cujuscumque Ordinis exercitio *sint suspensi*, et irre- " gularitati obnoxii, si Ordines exercuerint(2).

" Ad præcavenda autem majora mala,.... decernimus, " et declaramus,.... *omnes electiones* ad Galliarum Ec- " clesias Cathedrales, et Parochiales, cùm vacuas, tùm " multò magis plenas; cùm veteris, tùm fortiùs novæ et " illegitimæ erectionis, ad formam memoratæ *Constitu-* " *tionis*

(1) Litteræ Commonitoriæ, diei 13 April. 1791, tom. I Brevium Pii VI, pp. 300 et 302.

(2) Litteræ Commonitor. diei 13 April. 1791, eodem tom. I, pp. 324 et 326.

" *tionis Cleri*, à Municipalium Districtuum electoribus
" usquemodò peractas, quas volumus pro expressis habe-
" ri, et quotquot peragentur, irritas, illegitimas, sacrile-
" gas, et prorsùs nullas fuisse, esse, et fore; easque, per
" præsentes, et nunc, pro tunc, rescindimus, delemus,
" abrogamus: declarantes idcircò eosdem perperàm,
" nulloque jure electos, aliosque simili modo eligen-
" dos ad Ecclesias, tàm Cathedrales, quàm Parochiales,
" omni ecclesiasticâ et spirituali jurisdictione, pro ani-
" marum regimine, carere; atque Episcopos illicitè
" hactenùs consecratos,.... et in posterum consecran-
" dos, ab omni exercitio Episcopalis Ordinis; et Paro-
" chos nulliter institutos, et instituendos, à Sacerdotali
" ministerio esse, et fore suspensos;.... à quâ quidem
" Suspensionis pœnâ nemo ex hactenùs nominatis pote-
" rit unquàm liberari, nisi per Nos ipsos, aut per eos
" quos Apostolica Sedes delegârit"(1).

Ergòne factionis alicujus Dux erat Sanctitas Vestra, dùm, primò quidem in Litteris encyclicis, initio Pontificatûs Sui scriptis, hæc ad nos verba faciebat: " Neque
" illud, in harum Litterarum extremo, celari vos opor-
" tet, Venerabiles Fratres, *quoniàm tristitia mihi magna*
" *est, et continuus dolor cordi meo*, pro filiis meis, qui
" sunt Galliæ populi.... Quid mihi optatius continge-
" ret, quàm vitam pro illis profundere, si eorum salus
" meo posset interitu repræsentari? Non inficiamur,
" quin præ Nobis ferimus, permultùm, ad Nostri luctûs
" acerbitatem minuendam, ac leniendam, valere invic-
" tum animi robur, et constantiam, quam complures ex
" Vobis præstitistis, quæ menti observatur quotidiè Nos-
" træ, quamque omnis generis quidem homines, ætatis,
" ordinis, mirificè sunt secuti; qui sanè quidvis inju-
" riarum,

(1) Litteræ Commonitoriæ, diei 13 April. 1791, eodem tom. I, pp. 330 et 332.

" riarum, periculorum, jacturarum, suppliciorum per-
" peti, mortemque ipsam oppetere maluerunt, præcla-
" rumque id sibi existimârunt, quàm illiciti, ac nefarii
" Sacramenti labe pollui, ac scelere alligari, atque Sedis
" Apostolicæ Decretis, ac sententiis non parere. Næ,
" haud minùs est virtus, nostrâ memoriâ, quàm crudeli-
" tas renovata priscorum temporum"(1).

Deindè, dùm Mense Augusto, 1801, ista Venerabili Archiepiscopo Corinthi mandata dabat: " Plenum haud
" esset gaudium cordis Nostri, multùmque ad comple-
" tam lætitiæ jucunditatem deesset, si quis, hoc auspica-
" tissimo tempore, jungendæ Nobiscum unionis occasio-
" nem respueret, et beneficio reconciliationis uti recu-
" saret, quod Nos, omni paterni cordis Nostri effusione,
" ultrò universis offerimus, Pastoris Summi charitatem
" imitantes, cujus, licèt indigni, in terris vices gerimus.
" Eam ob causam aperire, Venerabilis Frater, hos tibi
" animi Nostri sensus constituimus, ut iidem per te, ab
" omnibus Archiepiscopis, seu Episcopis, qui in Galliâ,
" absque Sedis Apostolicæ institutione, Archiepisco-
" pales, seu Episcopales Sedes occupârunt, planè cog-
" nosci possint. Tuum erit eos Nostro nomine hortari,
" ut audiant has voces Nostras, quas exprimit à Nobis
" paterna charitas..... Ne suspicari quidem volumus
" eos libenti animo precibus Nostris aures non præbi-
" turos.....Festinent ii igitur, atque hortationibus Nos-
" tris aures præbeant, *ad Catholicam unitatem redeundo.*
" Plenam eorum singuli, scriptis ad Nos litteris obedi-
" entiam et submissionem profiteantur Romano Ponti-
" fici; judiciis Sedis Apostolicæ super ecclesiasticis
" Galliarum negotiis emanatis sincero et obsequenti
" animo

(1) Sanctissimi Domini Nostri Pii, divinâ Providentiâ, Papæ VII, Litteræ encyclicæ ad omnes Catholicos Episcopos, [datæ Venetiis, ex Monasterio S. Georgii-Majoris, die XV Maii, anno MDCCC; pag. XV.] Romæ, MDCCC; apud Lazarinum, Typographum Cameralem. Præsidum facultate. — in-4°.

" animo adhærere, ac planè subjectos esse declarent;
" Sedesque Archiepiscopales et Episcopales, quas abs-
" que Sedis Apostolicæ institutione occupârunt, statim
" abjiciant."(1)

Ergône factionis alicujus membra fuerunt tot fortissimi Athletæ, qui, unitati Catholicæ inseparabiliter addicti, *magnum certamen sustinuerunt passionum; et... opprobriis et tribulationibus spectaculum facti,...rapinam bonorum* suorum *cum gaudio susceperunt*(2); *parati* etiam fuerunt *mori, magis quàm patrias Dei leges prævaricari*;(3) et quorum multi reipsâ *usquè ad sanguinem*, gloriosamque necem *restiterunt, adversùs* Schisma *repuguantes*?(4)

Non ità se res habet, non ità profectò; neque hìc de mutuis retractationibus agi ullatenùs potest. Stat ex unâ parte veritas, et auctoritas legitima; ex alterâ verò, pertinax error et inobedientia: necesse est omninò veritatem agnosci, revocari errorem, ac tandem legitimæ auctoritati cervices inflectere diuturniorem pertinaciam.

Esto, fieri possit ut, in constitutionibus sæcularibus atque terrenis, exorta dissidia mutuis aliquandò cessionibus componantur, ac diversæ partes in unum conveniant, esti nulla sibi vindicet victoriam. At ubi de Fide et unitate Catholicâ agitur, has artes non novit *Ecclesia Dei vivi, Columna et firmamentum veritatis*,(5) *acquisita Sanguine* Christi, tuendis nata Dei juribus, creditumque sibi a Sponso Deo *depositum*, eodem assistente Sponso, integerrimè *custodiens*, dato divinitùs imperio regens homines quos Cœlo parturit. Perpetua pacis arbitra, pacis morem semper imponit; parcit subjectis, rebellibus cedere

(1) Litteræ Apostolicæ, *Post multos labores*, diei 15 Augusti, 1801.
(2) Hebr. X, 32, 33, 34.
(3) II. Machab. VII, 2.
(4) Hebr. XII, 4.
(5) I Timoth. III. 15.

dere nesciens: nec aliter confici potest institutum adversùs Fidem et unitatem prælium, quàm erroris ac schismatis extinctione, plenoque Fidei et unitatis triumpho.

Neque magis pax Christi et unitas Christi restituuntur, dùm exigitur magnam Parochorum, aliorumque ad sacra munia deputandorum Vicariorum partem inter Presbyteros assumi qui in Ecclesiam fuerunt contumaces, licèt ea quæ priùs à se malè gesta sunt, non condemnent; atque publicæ publicorum scandalorum reparationes gravissimorum piaculorum loco habentur; ac ne fiant, propositis etiam pœnis, non sine maximâ bonorum omnium offensione, prohibetur.

Contrà verò, dùm præpostera hujusmodi consilia suscipiuntur ac perficiuntur, flebili nimiùm exemplo ostenditur Christi pacem et unitatem impunè violari potuisse; novaque simul erga errantes, ac *segregantes semetipsos*,(1) inducitur agendi ratio quam nusquàm novit Ecclesia Dei; quippè quæ sicut eos qui à Fide et unitate defecerunt, redeuntes ad sinum Matris consolatur; sic eosdem pravo studio perdurantes, vel minimè pœnitentes, non suscipit,(2) discludit,(3) objurgare non desinit;(4) neque hos pacis et communionis suæ unitate lætari

(1) Epist. Catholica Beati Judæ, v. 19.

(2) " Qui ab Hæreticis convertuntur....non antè suscipiantur, quàm " omnes hæreses anathematizent, et præcipuè illam quâ detinebantur." *(Concil. Laodicenum, anni* 372, *can.* 7, *tom. I Concilior. edit. Labbeanæ, col.* 1510. *B.)*

(3) " Hæreticos non pœnitentes discludite, et semovete à Fidelibus, [et] " eis Ecclesiam Dei interdicite." *(Ex Constitutionibus quæ Apostolicæ dicuntur, scriptæ sæculo IV, lib. VI, cap.* 18, *eodem tom. I Concilior. Labbei, col.* 393. *B.)*

(4) " Sicut Schismatici pravo studio perdurantes, objurgandi detestandique sunt, sic ad sinum matris [Ecclesiæ] redeuntes, consolandi," *(S. Gregorius Magnus, lib. VI, indict. XIV, epist.* 47 (olim lib. V, epist. 47) *ad Leonem, Episcopum Fanensem, tom. II, col.* 826. *E. edit. Bened. an.* 1705.)

lætari concedit, quin priùs plenis satisfactionibus malè gesta condemnaverint, et accusare se magis elegerint, quàm tueri.(1)

Quantùm verò ab inflectendo salutari hoc ac planè necessario Disciplinæ vigore semper abhorruerit Ecclesia, testis est S. Gelasius Papa I, *in Commonitorio ad Faustum* ità scribens: "Legatur, ex quo est Religio
" Christiana, vel certè detur exemplum, in Ecclesià
" Dei, à quibuslibet Pontificibus, ab ipsis Apostolis,
" ab ipso deniquè Salvatore veniam nisi corrigentibus
" se fuisse concessam. Auditum autem sub isto Cœlo
" nec legitur omninò, nec dicitur, quod eorum voce
" depromitur: *Date nobis veniam, dùm tamen nos in*
" *errore duremus.*"(2)

Minimè ergo putandum est (quidquid in contrarium sparserint criminatores malevoli) minimè putandum est nos dùm ab iis qui fidem et unitatem non servaverunt, malè gesta plenis satisfactionibus condemnata non fecisse querimur, privata adversùs illos odia exercere. Quin potiùs, *zelantes* quidem *zelum legis*(3), *fraternitatis* simul *amorem*(4) et evangelicam erga illos charitatem, toto mentis affectu sectamur. *Testis* nobis *est Deus, quomodò* cupiamus *omnes* eos *in visceribus Jesu-Christi*(5): proptereà oramus *ut probent potiora*(6): proptereà satagimus, ut

(1) " Volumus.... quatenùs hi, qui plenis satisfactionibus malè gesta " condemnant, et accusare se magis eligunt, quàm tueri, pacis et communio- " nis nostræ unitate lætentur." (*S. Leo Magnus, epist.* 80, (olim 40, Quesn. 60, Cacciari 61) *ad Anatolium, Patriarcham C. P. cap.* 2, *tom.* 1, *col.* 1039 *et* 1040, *edit. fratrum Ballerini, Venetiis*, 1753.)

(2) S. Gelasii Papæ I epist. 4 (*Harduin.* 2), seu Commonitorium ad Faustum Magistrum, fungentem legationis officio Constantinopoli, (*tom. IV. Concil. Labbei, col.* 1168. *C.*)

(3) I. Machab. II, 58.

(4) II. Petr. I, 7.

(5) Philipp. I, 8.

(6) Ibid. v. 10.

ut per veram pœnitentiam conscientiæ suæ consulant, ac, sedatâ Supremi Judicis irâ, judicium ultionis evadere mereantur; propterеà demùm eos libentissimè affamur præclaris hisce Divi Augustini vocibus: "Tollatur pa-" "ries erroris, et simul simus: Agnosce me fratrem, " "agnosco te fratrem, sed excepto Schismate, excepto " "errore, exceptâ dissentione. Hæc corrigatur, et meus es."(1)

Nunc autem non tollitur paries erroris; è contrà dissimulari jubetur errantium pervicacia, ut in medium proferri possit fallax quædam species assimulatæ pacis: dissimulari jubetur lapsorum impœnitentia, ut in medium proferri possit fallax quædam species assimulatæ unitatis. Atqui nemo non videt huic rerum dispositioni ab Ecclesiæ mente, ac legibus tantoperè dissentaneæ adamussìm profectò convenire hanc S. Maximi Abbatis et Martyris sententiam: "Ne verò mihi hanc tu con-" "cordiam appellites, sed discordiam potiùs, et sec-" "tionem. Tunc enim pacis nomen atque rem valere " "judico, cùm Sanctorum Patrum decretis et auctoritati " "non repugnamus."(2)

Neque tamen alia desunt mala gravissima, quæ indè fluant quòd retractandis erroribus, ejurando Schismati, reparandoque fidelium scandalo, nullus relinquatur locus; quòd Viri Ecclesiastici qui malè egerunt ad sacra munia, absque ullâ prævià pœnitentià et probatione, vocentur. Prætcrquàm quòd enim, dùm res ità geruntur, fit erantibus atque peccantibus audacia, in maximas etiam anxietates conjiciuntur fidelium animi; ac propemodùm incerta et nutans evadit populorum fides. Occurrunt nempè inter fideles qui jam non satis exploratum habeant

(1) S. Augustinus, Serm. 358, (*inter Sirmondianos* 36,) de pace et charitate, n°. 4, tom. V, col. 1397. D. edit. Benedict. Parisiis, 1683.

(2) Breviarium Synodi VIII^æ. (*C. P. IV, ann.* 869 *et* 870,) tom. VIII Concilior. Labbei, col. 1426. D.

habeant quò se vertant, nec quid sibi sentiendum sit, quandò illa quæ priùs viderunt, cum illis conferunt quæ deindè vident. Plurimorum mentes subit ea cogitatio, vanâ igitur erroris specie delusum fuisse Pium VI, *civilemque Cleri Constitutionem* nihil habere quod orthodoxæ Doctrinæ adversetur, quandòquidem nemini jam qui ei nomen dederit imperatur, ut illam ejuret. Alii quoque multi gravem æquè ac justam sibi videntur habere causam, cur conquerantur se in aperta crudelissimæ persecutionis discrimina gratis ac temerè missos fuisse, ubi in mandatis habuerunt, ne cum intrusis ac refractariis quibuslibet in sacris communicarent(1); siquidem nunc iidem ipsi homines, absque ullâ ab eis factâ intrusionis et inobedientiæ condemnatione, ad exercenda sacra omnia admittuntur. Atque conceptas præposteras hasce opiniones nimiùm fovent intrusi ac refractarii, qui passìm plenam à se victoriam, Sanctitate Vestrâ judice, reportatam fuisse mendaciter jactitant; ità ut, si illis fides, non tàm à Sanctitate Vestrâ recipi, quàm Sanctitatem Vestram Ipsam ad suam pravitatem traduxisse videantur.(2)

Accedit deniquè ad cumulum calamitatis quòd æterna plurimorum salus in summum discrimen adducitur, dùm, hinc quidem magna pars gregis, à Christo Domino redempti, Pastoribus tradi jubetur à quibus sperare non datur

(1) " Super omnia etiam atque etiam commendamus vobis, atque præcipimus, ut legitimis vestris Pastoribus semper hærentes, CAVEATIS NE ULLO MODO COMMUNICETIS, PRÆSERTIM IN DIVINIS, cum intrusis et refractariis, quocumque nomine appellentur." (*Litteræ commonitoriæ diei* 19 *Martii*, 1792, *ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos, Clerum, et Populum Regni Galliarum, tom. II, Brevium Pii VI, pag.* 262.)

(2) " Si Veniam postularet, sic sibi vellet impendi, ut nihilominùs in errore persisteret; ubi utiquè non tàm à nobis recipi videretur, quàm nos potiùs ad suam traducere pravitatem." (*S. Gelasius Papa I, epist.* 4, *seu Commonitor. ad Faustum Magistrum, apud Labbeum, tom. IV, col.* 1170 *C.*)

datur eam esse in tuta pascua deducendam; illinc verò à sacris muneribus amoveri præcipitur Ministros egregios qui maximè utilem religioni operam navare potuissent; ità ut, et illi violatæ unitatis, spretarumque Ecclesiæ Legum præmia ferant, et ab his servatæ omnimodæ fidelitatis pœnæ repetantur. Quæ certè miserrima cùm obversantur oculis, temperare non possumus, quin de tantâ calamitate easdem habeamus querelas ac olim habebat S. Joannes-Chrysostomus ità scribens: "[An possit iniquius quidpiam excogitari, quòd] homines...indè colantur, undè supplicio digni erant; et "quâ de causâ ne limen quidem Ecclesiæ prætergredi "licebat illis, eâdem illi ad Sacerdotalem ascendant "dignitatem?....Neque hìc tamen consistunt....non "enim indignos solùm deligunt, sed etiam idoneos deji-"ciunt. Nam quasi opus esset Ecclesiæ securitatem "utrinquè labefactari, ac causa illa prior non sufficeret "ad iram Dei accendendam, ità alteram addiderunt "non minùs perniciosam. Etenim perindè perniciosum "esse puto utiles arcere, atque inutiles introducere."(1)

Sanè non diffitemur ex quo nuperrima Conventio(2) inita fuit, concessam fuisse, quæ antehàc negata erat, qualemcumque Catholici cultûs palàm exercendi facultatem. Verùm res Religionis in meliùs, eâ concessione, mutatas non fuisse manifestè probat vel ipsum quod pro istâ qualicumque facultate solutum est pretium. Quanti illa constiterit, et meminisse horret animus, et manus refugit scribere. Ut enim de iis duntaxat agamus in quibus præsentes nostræ *Expostulationes* versantur, constat ea quæ agitur qualiscumque facultas, omnibus retrò sæculis

(1) S. Joannes-Chrysostomus, *De Sacerdotio*, lib. III, cap. 15, (*aliàs cap.* 12, *nn.* 38 *et* 40) tom. I, pp. 393. D. E. 394. B. C. edit. Bened. Parisiis, 1718.

(2) Conventio diei 15 Julii, 1801.

sæculis ignotâ, atque in posterum tempus periculosissimâ violatione canonicarum Sanctionum, Ecclesiasticæ Disciplinæ, Jurium Episcopatûs, nec non ipsiusmet Constitutionis Ecclesiæ labefactione; constat durissimâ servitute Religionis, sub laici regiminis jugum penitùs missæ eousquè, ut à potestatis sæcularis arbitrio, intra ipsius fines, religata penderet sors omnis sanctissimæ illius Religionis quam suo Christus Sanguine stabilivit; constat demùm factâ contra omnes canonicas Sanctiones institutione Ministrorum qui, cùm, post admissa palàm delicta gravissima, fidelium scandalum plenis satisfactionibus non reparaverint, sed illud potiùs pervicaciâ suâ exaggeraverint, adeò obviam timendi ansam præbebant, ne (sicuti sæpiùs eheu! jam contigit) datâ sibi spirituali *potestate*, non *in ædificationem*, sed *in destructionem*(1) uterentur, creditosque sibi populos miserum in modum subverterent, *docentes quæ non oportet.*(2)

Quidnì igitur qui tali emptam pretio qualemcumque Catholici cultûs palàm exercendi facultatem sibi gratulantur, antè oculos potiùs habent salutarem hanc Sancti Hilarii admonitionem, præsentibus rerum adjunctis convenienter aptandam? " Unum moneo...malè vos pa-
" rictum amor cepit; malè Ecclesiam Dei in tectis
" ædificiisque veneramini, malè sub his pacis nomen
" ingeritis...Montes mihi, et sylvæ, et lacus, et carceres,
" et voragines sunt tutiores: in his enim Prophetæ, aut
" manentes, aut demersi, Dei Spiritu prophetabant."(3)

Quidnì etiam antè oculos habent ista Sancti Athanasii verba?

---

(1) II. Corinth. X, 8.
(2) Tit. I, 11.
(3) S. Hilarius, Episc. Pictaviensis, libro contra Arianos, vel Auxentium Mediolanensem, num. 12. col. 1269. C. D. edit. Benedict. Parisiis, 1693.

verba? *Annon intelligitis ejusmodi rebus aboleri Christianismum?*(1)

Quæ cùm ità sint, ut, in tàm periculoso rei Catholicæ statu, quæ nostrarum sunt partium, Diœcesibus nostris, Ecclesiæ Gallicanæ, Sanctæ Sedi, totique Ecclesiæ Catholicæ præstemus,

Litteris Apostolicis incipientibus: *Tàm multa, ac tàm præclara,* datis Romæ, apud Sanctam Mariam-Majorem, die 15 Augusti, 1801;

Conventioni initæ inter Sanctitatem Vestram et Gubernium Gallicanum, die 15 Julii, 1801;

Apostolicis sub plumbo Litteris incipientibus; *Ecclesia Christi,* datis Romæ, apud Sanctam Mariam-Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo primo, decimo-octavo Calendas Septembris;

Apostolicis sub plumbo Litteris incipientibus; *Qui Christi Domini vices,* datis Romæ, apud Sanctam Mariam-Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo primo, tertio Calendas Decembris;

Litteris Apostolicis incipientibus; *Quoniàm favente Deo,* datis Romæ, apud Sanctam Mariam-Majorem, die 29 Novembris, 1801;

Duobus Decretis, uni quidem incipienti; *Quæ præcipuæ fuerunt Sanctissimi Domini Nostri;* alteri verò incipienti; *Cùm Sanctissimus Dominus Noster,* utrique Parisiis dato, die 9 Aprilis, 1802, ab Eminentissimo Joanne-Baptistâ, Tituli Sancti Honufrii, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Caprara, *à Latere* Legato,

RECLAMAMUS PER PRÆSENTES;

Et, salvâ prorsùs summâ quam indesinenter Sanctitati Vestræ

(1) S. Athanasii epistola Catholica ad omnes ubiquè Orthodoxos Episcopos (*tom. II, pag. 29. E. edit. Benedict. Parisiis,* 1698.)

Vestræ præstabimus veneratione, suprà memoratis Actis INTERCEDIMUS :

Simulque facultatem servamus alia insuper exponendi gravamina quæ, tot et tantis hactenùs expositis, impræsentiarùm non evolvere satiùs duximus, quibusque præterea locum dant præsertìm Conventio inita inter Sanctitatem Vestram, et Gubernium Gallicanum, die 15 Mensis Julii, anni 1801; *Articula* dicti *Organici* hujus Conventionis, Parisiis pervulgati, die 6 Aprilis, anni 1802; et tristissima multa ab hisce duobus instrumentis, tanquàm à radicibus, visa deinceps exoriri: quæ quidem, præterquàm quòd perniciosas in Ecclesiam novitates inducunt, ac *Secundæ Majestatis Religionem* violant, Dei ipsius et hominum jura ità lædunt, ut, et Deus iis careat quæ ipsi Pietas sacravit, et homines iis fraudentur quæ indubitanter ipsorum sunt.

Credat nobis Sanctitas Vestra, Beatissime Pater (etsi in suspicione privatas consectandi utilitates sine causâ positi fuerimus); credat nobis Sanctitas Vestra, aut saltem factis credat per se evidentibus; dùm tristissimum hoc, sed necessarium prorsùs et inevitable explemus, officium, *non quæ nostra sunt quærimus, sed quæ Jesu-Christi;* satagimus nempè ut Sanctissima nostra Religio servetur incolumis, et ab Ecclesiâ Catholicâ avertatur imminens discrimen; satagimus ut sarta tecta evadat cujuslibet labefactationis expers divina Ecclesiæ constitutio, stentque immotæ leges universalis Disciplinæ, quæ ipsa ad custodiendam Dogmatis puritatem tantùm valet; satagimus ut suum maneat Primæ Sedi decus, et singularum Ecclesiarum Nostrarum, ac totius Ecclesiæ Gallicanæ saluti provideatur. Forsitan idcircò Deus Optimus Maximus, medias inter tot ærumnas, diurturnamque tribulationem, Nos huc usque superstites servare dignatus est, ut nota Sanctitati Vestræ faceremus Religionis vulnera, iisque curandis, Vestrâ Sanctitate duce,

ac

ac magistrâ, quod reliquum est vitæ ac virium impendere possemus. Ad hunc scopum toto mentis affectu tendentes, Sanctitatem Vestram enixè obtestamur, ut aditus ad Se Nobis non faciat impervios; ut paternas aures non occludat Episcopis tàm multa jàm, ac tàm gravia perpessis, neque sinat frustrà Nos ad Ejus æquitatem, sapientiam ac pietatem confugisse.

Quod ut exoremus, desinimus in hæc verba que Summo Pontifici, Alexandro III, scripsit Rhemensis tunc temporis Antistes: " Ne quod hactenùs....ab uno " præsumptum est, ab aliis sæculi Potestatibus, in op-" pressione Ecclesiarum, trahatur ad consequentiam " mali, supplicamus....Paternitati Vestræ, in quam " omnium oculi conjecti sunt,....quatenùs.... et Vestro " prospiciatis honori, et Ecclesiæ libertati, pariter et " saluti."(1)

Intereà, pronis cernui frontibus, Apostolicam Sanctitatis Vestræ Benedictionem suppliciter flagitamus,

Sanctitatis Vestræ,

BEATISSIME PATER,

Devotissimi, atque obsequentissimi Filii,

† LUDOVICUS-JOSEPHUS, Cardinalis DE MONTMORENCY, Episcopus Metensis, Commendator Ordinis Sancti-Spiritûs. (*Defunctus.*)

† ARTHUR-RICHARDUS DILLON, Archiepiscopus, et Primas Narbonensis, Commendator Ordinis Sancti-Spiritûs. (*Defunctus.*)

† ALEXANDER-

---

(1) Epist. Henrici I, Remensis Archiep. ad Alexandrum III, scripta circa an. 1169, *lib. IV, epist.* 24, *inter Epistolas S. Thomæ Cantuariensis à Christiano Lupo editas, part. II, pag.* 660. *Bruxellis.* 1682. *in*-4°.—Vide Natal. Alexand. *Hist. Eccl. Dissert. X in sæcula XI et XII, art. VII, tom. VI, pag.* 855, *col.* 1. *Parisiis.* 1714.

† Alexander-Angelicus DE TALLEYRAND-PÉRIGORD, Archiepiscopus-Dux Rhemensis, Primus Par Franciæ. (*Parisiis.*)

† Ludovicus-Carolus DU PLESSIS D'ARGENTRÉ, Episcopus Lemovicensis. (*Defunctus.*)

† Ludovicus-Franciscus-Marcus-Hilarius DE CONZIÉ, Episcopus Atrebatensis. (*Defunctus.*)

† Josephus-Franciscus DE MALIDE, Episcopus Montispessulani. (*Defunctus.*)

† Ludovicus-Andreas DE GRIMALDI, Episcopus-Comes Noviomensis, Par Franciæ. (*Defunctus.*)

† Joannes-Ludovicus D'USSON DE BONNAC, Episcopus Aginnensis. (*Defunctus.*)

† Petrus-Josephus DE LASTIC, nuper Episcopus Rivensis. (*Defunctus.*)

† Aimardus-Claudius DE NICOLAÏ, Episcopus Biterensis. (*Defunctus.*)

† Franciscus DE CLUGNY, Episcopus Reïensis. (*Defunctus.*)

† Joannes-Franciscus LAMARCHE, Episcopus Leonensis. (*Defunctus.*)

† Emmanuel-Ludovicus DE GROSSOLES DE FLAMARENS, Episcopus Petrocoriensis. (*Defunctus.*)

† Joannes-Baptista DU PLESSIS D'ARGENTRÉ, Episcopus Sagiensis. (*Defunctus.*)

† Petrus-Augustinus DE BELBEUF, Episcopus Abrincensis. (*Defunctus.*)

† Maria-Josephus DE GALLARD DE TERRAUBE, Episcopus Aniciensis. (*Defunctus.*)

† Sebastianus-Michael AMELOT, Episcopus Venetensis.

† Alexander-Amedeus-Josephus DE LAUZIÈRES-THÉMINES, Episcopus Blesensis. (*Londini.*)

† Ludovicus-Hector-Honoratus-Maximus DE SABRAN, Episcopus-Dux Laudunensis, Par Franciæ. (*Defunctus.*)

 † Henricus-

† Henricus-Benedictus-Julius DE BÉTHISY, Episcopus Uceticensis. (*Defunctus.*)

† Sebastianus-Carolus-Philibertus ROGER DE CAHUZAC DE CAUX, Episcopus Adurensis. (*Defunctus.*)

† Seignelaius COLBERT, Episcopus Ruthenensis. (*Defunctus.*)

† Joannes-Baptista DU CHILLEAU, Episcopus Cabilonensis. (*Nunc Turonensis Archiepiscopus.*)(*a*)

† Franciscus DE GAIN-MONTAGNAC, nuper Episcopus Tarbiensis. (*Defunctus.*)

† Carolus Eutropius DE LA LAURANCIE, Episcopus Nannetensis. (*Defunctus.*)

† Franciscus DE MOUCHET DE VILLEDIEU, Episcopus Diniensis. (*Parisiis.*)

† Philippus-Franciscus D'ALBIGNAC, Episcopus Engolismensis. (*Defunctus.*)

† Franciscus-Henricus DE LA BROUE DE VAREILLES, Episcopus Vapincensis. (*Pictaviis.*)

† Elleon DE CASTELLANE MAZANGUES, Episcopus Telonensis. (*Defunctus.*)

† Anna-Ludovicus-Henricus DE LA FARE, Episcopus Nanceiensis. (*Parisiis.*)

† Henricus DE CHAMBRE D'URGONS, Episcopus Oropiensis. (*b*) (*Defunctus.*)

† Alexander-Henricus DE CHAUVIGNY DE BLOT, Episcopus Lombariensis. (*Defunctus.*)

† Gabriel-Melchior DE MESSEY, Episcopus Valentinensis. (*Defunctus.*)

† Franciscus-Maria-Fortunatus DE VINTIMILLE, Episcopus Carcassonensis. (*Parisiis.*)

† Franciscus

(*a*) Juxtà novam permistionem informem Concordatorum, scilicet, Annor. 1801 & 1817.

(*b*) Episcopus *in partibus*, Suffraganeus Metensis.

† Franciscus DE BOVET, Episcopus Sistaricensis. (*Parisiis.*)

† Joannes Carolus DE COUCY, Episcopus Rupellensis. (*Parisiis.*)

† Joannes-Renatus ASSELINE (*a*), Episcopus Morino-Boloniensis. (*Defunctus.*)

Stephanus-Joannes-Baptista-Ludovicus DES GALOIS DE LA TOUR, Episcopus nominatus Molinensis. (*Defunctus.*)

6 *Aprilis*, 1803.

(*a*) *Joannes-Renatus ASSELINE*, Doctor Sorbonicus et Professor Linguæ Hebraicæ; ille ipse est qui hasce *Expostulationes* digessit, et excudit æquè ac ipsarum *continuationem*.

FINIS.

CANONICARUM ET REVERENTISSIMARUM

EXPOSTULATIONUM

APUD

SS. DD. NN. PIUM,

DIVINÂ PROVIDENTIÂ

PAPAM VII,

DE VARIIS ACTIS, AD ECCLESIAM GALLICANAM SPECTANTIBUS,

CONTINUATIO.

Beatissime Pater,

Canonicæ et Reverentissimæ expostulationes de variis actis ad Ecclesiam Gallicanam spectantibus quas jam ad Vestræ Sanctitatis pedes apposuimus, versatæ sunt potissimùm in quinque prioribus articulis conventionis initæ inter Sanctitatem Vestram et Gubèrnium Gallicanum, die 15â. mensis Julii anni 1801, nec non in iis quæ posteà gesta sunt, ut suum præfati articuli sortirentur effectum.

Ibi nimirùm Sanctitati Vestræ, cum summâ, ut par est, observantiâ, cum omnimodâ filialis obsequii significatione, expositum fuit à nobis, id quod, non sine magno mærore cordis animadverteramus, videlicet ex eo consensu quem Sanctitas Vestra suprà memoratis articulis præbuit, atque ex illis quæ deinde gesta sunt, ut suum iidem articuli effectum sortirentur, *eventurum* (haud dubiè præter voluntatem Vestræ Sanctitatis), *ut nisi velox medicina pararetur, ne mala per moras invalescerent, damnum ingens pateretur religio; dùm, nempè, sacra pessumdarentur*

darentur Episcopatûs jura, labefactaretur Ecclesiæ constitutio ; totusque Religionis status fluctuans, incertus et cuilibet civili gubernio, etiam in iis quæ maximè supernaturalia sunt, obnoxius evaderet (1) : nullum denique alium eorum omnium, quæ hùcusque in hoc negotio perpetrata erant, exitum fuisse, præter *deteriorem Religionis in Galliâ conditionem, illicque imminentem magis ejusdem interitum* (2).

Simulque facultatem servavimus *alia insuper exponendi gravamina, quibus præterea locum dant præsertim Conventio inita inter Sanctitatem Vestram et Gubernium Gallicanum die* 15ª. *mensis Julii anni* 1801 ; *Articuli dicti Organici hujus Conventionis, Parisiis pervulgati, die* 6ª. *mensis Aprilis, anni* 1802 ; *et tristissima multa ab hisce duobus instrumentis, tanquàm à radicibus visa deinceps exoriri.... quæ præterquàm quòd perniciosas in Ecclesiam novitates inducunt, ac secundæ Majestatis Religionem violant ; Dei ipsiûs et hominum jura ità lædunt, ut, et Deus iis careat, quæ Ipsi pietas sacravit, et homines iis fraudentur, quæ indubitanter ipsorum sunt.* (3) Quæ quidem gravamina, unà cum cæteris, NOSTRÆ REPELLUNT EXPOSTULATIONES.

Quoniàm itaque, ut nullas officii nostri partes deseramus, necesse est nos alteri huic tristissimæ operis parti manus admovere, illaque alia exponere gravamina, quæ à nobis hùcusquè fuerant duntaxàt indicata, initium ducimus ab eo quod oritur ex articulis VI, VII, VIII et XVI, Conventionis initæ inter Sanctitatem Vestram et Gubernium Gallicanum, die 15ª. mensis Julii anni 1801. Hanc quippè procedendi rationem atque viam suadet vel ipse ordo, juxtà quem, in dictâ Conventione, exarati habentur tres, inter istos articulos, primi.

Horumce

(1) Expostul. Pag. 30. Edit. Londin.
(2) Expostul. Pag. 75. Edit. Londin.
(3) Expostul. Pag. 127 et 128. Edit. Londin.

Horumce porro articulorum tenor est, qui sequitur.

Art. VI. " Episcopi antequàm munus suum gerendum " suscipiant, coràm primo Consule juramentum fidelita- " tis emittent, quod erat in more, antè regiminis com- " mutationem, sequentibus verbis expressum : *Ego juro* " *et promitto, ad Sancta Dei Evangelia, obedientiam et* " *fidelitatem gubernio per constitutionem Gallicanæ Rei-* " *publicæ statuto : itèm promitto me nullam communica-* " *tionem habiturum, nulli concilio interfuturum, nullam-* " *que suspectam unionem, neque intrà, neque extrà con-* " *servaturum, quæ tranquillitati noceat, et si tàm in meâ* " *Diœcesi quàm alibi, noverim aliquid in damnum sta-* " *tûs tractari, gubernio manifestabo.*

Art. VII. " Ecclesiastici secundi ordinis idem jura- " mentum emittent *coràm auctoritatibus civilibus* à Gal- " licano Gubernio designatis.

Art. VIII. " Post divina officia in omnibus Catholicis " Galliæ templis sic orabitur :

" *Domine, salvam fac Rempublicam ;*
" *Domine, salvos fac Consules.*"

Art. XVI. " Sanctitas Sua recognoscit in primo Con- " sule Gallicanæ Reipublicæ eadem jura ac privilegia, " quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regi- " men (1)."

Agemus hìc duntaxàt de effectibus quos peperit præstita à Vestrâ Sanctitate tam stupendis stipulationibus assensio. Proh lugendi effectus ! et quis verbis exprimat, quàm acerbè, dùm hæc miserrima vident, doleant Episcopi, qui servandam Regi suo legitimo fidem immotam, in officio habent nunquàm deserendo ?

Vestram profectò Sanctitatem non latet, esse suum Galliæ Regem legitimum ; quippè quem Sanctitas Vestra

(1) Conventio inter Gubernium Gallicanum et Summum Pontificem Pium VII.

tra solemniter agnovit, ad augustissimum virum Principem scribens, ut illi, perindè ac cæteris Sceptra tenentibus Monarchis, notam faceret, Se Apostolicam beati Petri Sedem conscendisse.

Die nempè 14 mensis Martii, anni 1800, Sanctitas Vestra ad Ludovicum XVIII Regem Christianissimum litteras dedit, in quibus legitur: *placuit divinæ Providentiæ, cujus numquàm non inscrutabilia sunt judicia, gravissimum regendæ et gubernandæ suæ Ecclesiæ onus nobis imponere .... dùm ineunte hoc Nostro Pontificatu, multiplicibus premimur curis, ad hoc, intereà quæ primum locum obtinent, animum adjecimus, ut Nos ipsi Vestram Majestatem de electione nostrâ certiorem faceremus .... nihil certè omittemus, quo Majestati Vestræ specialem nostram prædilectionem compertam faciamus, et studiosè investigabimus occasiones quibus Majestati Vestræ, comprobare possimus, et quantâ ea sit apud nos in existimatione, et quanto Eam amore prosequamur. Majestatem Vestram obsecramus, ut persuasum habeat hæc esse intima pectoris nostri sensa; simulque credat abfuturum à nobis, ut cessemus vota Deo nuncupare pro Majestate Vestrâ christianissimâ, cui nec non Regiæ ejus Consorti, cum plenissimo nostri cordis affectu, paternam Apostolicam Benedictionem impertimur.* (1)

Cùm

(1) Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico XVIII Regi Christianissimo.

Pius Papa VII.

La divina Providenza sempre imperscrutabile nei suoi giudizii, ha voluto addossarci il gravissimo peso di reggere e governare la sua Chieza .... uno dei primi nostri pensieri, anche in mezzo alle moltiplici cure, onde siamo oppressi in questi primi momenti, è stato quello di participare Noi stessi a V. M. la notizia della nostra elezione.... Noi certamente non tralasceremo .... di farla conoscere la nostra particolare predilezione e cercheremo studiosamente tutte le occasioni, onde potere dimostrare a V. M. qual sia la nostra stima ed il uostro amore versò di Lei.... Noi preghiamo la M. V. di essere persuasa di questi nostri sentimenti e di credere che non lasceremo di

offrire

Cùm Sanctitas Vestra, Beatissime Pater, simul et visibile Caput sit Religionis illiûs quæ sola vera est, et supremum, intrà suæ ditionis Status, temporale dominium obtineat, utroque sanè nomine penitùs noluit, ne levissimum quidem ullo modo nocumentum afferre juribus, Deo ipso largiente, competentibus successori legitimo tot Monarchorum, qui primogeniti Ecclesiæ filii, christianissimique Reges dici amaverunt, pios hosce titulos præcipua suæ dignitatis insignia reputantes. Quatuor tamen isti quibus nunc reclamare cogimur supra memoratæ conventionis articuli, multorum mentes (haud dubiè præter voluntatem Vestræ Sanctitatis) tàm præposterè affecerunt, ut idcircò inconcussa illa, Deique ipsiûs auctoritate consecrata jura, gravissimum paterentur detrimentum.

Plurimi nempè ex illis, qui ante conventionem initam inter Sanctitatem Vestram et Gubernium Gallicanum, *id Gubernium esse, prout reipsâ est, illegitimum, pro certo, tenebant;* quibus fixum ac deliberatum erat jus regnandi super gentem, quam tantâ cum laude rexit Sanctus Ludovicus, ad solum divi illius Regis, à quo genus ducit, hæredem ac successorem legitimum pertinere: quique propterà Regi suo fidem, quam illi vel eo ipso debent quod in ipsiûs ditione nati sunt, religiosè servabant: post pervulgatos quatuor de quibus nunc agimus articulos, mentem sententiamque mutasse visi sunt; et eo fulti assensû, qui Sanctitatis Vestræ novo jura Gubernio annuentis speciem ferebat, sibi extunc in animum inducere enixi sunt, *potestatem in Galliis, facto existentem, pro legitimâ*

offrire a Dio continui voti per la.... V. M. Christianissima, a cui colla piu grande affezione di nostro cuore diamo unitamente alla sua R. Consorte la paterna apostolica benedizione.

Datum Venetiis apud S. Georgium Majorem die 14 Martii anni 1800 Pontificatûs nostri anno primo.

PIUS qui suprà.

gitimâ habendam esse; hæredem divi Ludovici penitùs excidisse à jure Sceptri, quod sanctus ille Rex tenuit, se ipsos demùm prorsùs immunes evasisse à quovis officio ergà Regem intrà cujus regni fines, Deo ita disponente, in lucem prodierunt; quasi quatuor articuli coïrent ad probandum sentire Sanctitatem Vestram, hodiernum Gubernium Gallicanum esse legitimum; quolibet jure diadematis excidisse verum divi Ludovici hæredem; nihilque Gallis officii superesse quod expleant ergà successorem tot Regum, qui Majores ipsorum per tot sæcula gubernaverunt.

Atque nimis eheu! facile fuit præposteram hujusmodi opinionem incautis mentibus instillare locis tribus excerptis è *Bullâ confirmationis Concordati,* quæ incipit: *Ecclesia Christi.*

Propterea enim quod in præfatâ Bullâ, quæ incipit *Ecclesia Christi,* legitur:

1°. *Quò certiores sint de eorum (Episcoporum) fide atque obedientiâ Reipublicæ rectores, consensimus ut Episcopi, antequàm Episcopale munus gerendum suscipiant, coràm primo Consule juramentum fidelitatis emittant, quod erat in more positum, antè regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum:* "Ego juro et promitto ad "Sancta Dei Evangelia, obedientiam et fidelitatem Gu-"bernio per constitutionem Gallicanæ Reipublicæ "statuto; item promitto me nullam communicationem "habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque "suspectam unionem, neque intrà, neque extrà con-"servaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat; et si "tàm in Diœcesi meâ, quàm alibi noverim aliquid in "statûs damnum tractari, Gubernio manifestabo."

Iisdemque de causis, consensimus Ecclesiasticos secundi ordinis in eadem verba jurare, coràm auctoritatibus civilibus, quæ à rectoribus Reipublicæ designabuntur.

2°. *Pietati congruum, et publicæ quam optamus felicitati necessarium judicavimus, ut ad utilitatem salutemque Galliarum, publicis precibus divinum auxilium imploretur:*

2 K *idcircò*

idcircò in omnibus templis Catholicorum, post divina officia, sic orabitur :

Domine, salvam fac Rempublicam ;
Domine, salvos fac Consules.

3°. *Demùm declaravimus recognoscere Nos in primo Consule Gallicanæ Reipublicæ, eadem jura ac privilegia, quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.*(1)

Propterea, inquimus, quod in Bullâ quæ incipit *Ecclesia Christi,* modo citata leguntur, plurimi sic verba facere non dubitaverunt :

1°. Consensit Sanctitas Sua Episcopos, nec non secundi ordinis Ecclesiasticos Gubernio per Reipublicæ Gallicanæ Constitutionem statuto, obedientiam et fidelitatem jurare, eò usque se obstringerent ad manifestandum illi Gubernio, quidquid, quovis in loco, in statûs damnum tractari, nossent : at verò certiùs est Gubernium, à quo id juramentum imperatur, pro Statu, damnosa habere consilia omnia, ad legitimi Regis instaurationem spectantia : ac proindè velle nominatim, Gubernium istud, hæc ipsa sibi consilia manifestari, si quæ inirentur : sponteque suâ cœcutit quisquis non videt ità à dicto Gubernio imperari quod agitur jusjurandum, ut illa etiam consilia complectatur. Quapropter Sanctitas Sua, (quæ profectò tolerare nequit juramentum ullum aliter emitti, *ac secundùm expectationem illiús cui juratur, quam novit ille qui jurat)* (2) reapsè consensit Episcopos nec non secundi ordinis Ecclesiasticos, Gubernio per Reipublicæ Gallicanæ *Constitutionem* statuto, obedientiam et fidelitatem jurare, eòusque se obstringerent ad manifestandum

(1) Bulla *Ecclesia Christi,* Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarn. Dom. 1801. 18. Kalendas Septembris.

(2) S. Aug. Epist. 125. Edit. Bened.

manifestandum illi Gubernio, quidquid, quovis in loco, tractari nossent ad legitimi Regis instaurationem spectans. Numquid autèm potuisset unquàm Sanctitas Sua hujusce modi consensum præbere, nisi hodiernum Gubernium Gallicanum esse legitimum, divique Ludovici hæredem, Solii juribus excidisse censeret?

2°. Imperavit Sanctitas Sua, ut in Catholicis omnibus Galliarum templis sic oraretur:

Domine, salvam fac Rempublicam:
Domine, salvos fac Consules.

Ac proindè, fusis precibus publicis à Deo postulari jussit conservationem novæ formæ regiminis in Gallias invectæ. Numquid autem potuisset unquàm Sua Sanctitas hanc orandi legem ferre, simulque hodiernum Gubernium Gallicanum illegitimum arbitrari? Esset-ne pietati congruum imperare preces *pro conservatione formæ regiminis, quæ judicatur EX SCELERE NATA et nullatenùs abstersâ nefariæ hujus originis maculâ, totu adhuc horrens?* Nonne ad hunc finem orare, idem esset ac *suppliciter à Deo petere conservationem formæ regiminis QUÆ IPSIUS ORDINATIONI RESISTIT, quæ supremum ejus numen gravissimè lædit, quamque idcircò penitùs aversatur?* et quis sibi in animum inducat, voluisse Sanctitatem Suam Catholica omnia Galliarum Templa talibus votis personare?

3°. Declaravit Sanctitas Sua recognoscere Se in primo Consule Reipublicæ Gallicanæ eadem jura ac privilegia quibus apud Sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen: nemo est porrò qui non intelligat quousquè protendatur ista declaratio: Sanctitas Sua (juxtà expectationem indubiam Gubernii quocum inivit Conventionem) recognovit in primo Consule Reipublicæ Gallicanæ non solùm exercitium Jurium ac Privilegiorum, quibus apud Sanctam Sedem fruebantur Reges Christianissimi, sed hæc ipsissima Jura ac Privilegia: numquid

autem potuisset hæc ipsissima jura ac privilegia in primo Consule Republicæ Gallicanæ recognoscere, si putaret Divi Ludovici hæredem hisce juribus ac privilegiis etiamnunc potiri; si crederet Virum hunc Principem jus adhuc aliquod servare ad Regiam Coronam, cujus sunt dicta Jura ac Privilegia?

Infensus hic Regis juribus undequaque disseminatus est error, quem nonnullorum Episcoporum post Conventionem diei 15 Julii anni 1801 nominatorum scripta fovent; quippè quibus in scriptis legitur:

1°. "Nihil habet justitia quo fulciatur, præter gubernorum constitutionem ac legibus obedientiam... "unusquisque suæ voluntati nuntium remittit, eamque "ad voluntatem magistratûs ipsi subjectam transfert... "Quamobrem non cessabamus levare manus ad cœlum, "nostrisque ardentissimis precibus efflagitare ut provideret *Dominus Deus spirituum omnis carnis Magistratus, qui essent super multitudinem hanc, et possent exire et intrare ante eos, et educere eos vel introducere ne esset populus;...sicut oves absque pastore*...(1) "Exauditæ sunt preces nostræ, populique votum innotuit...Composita pace Gallia, iis donatur magistratibus quos in votis habuit...perpetuam fore proclamat "autoritatem Ducis quem diligit, ac leges accipit *ad æquitatis normam conditas*...Quæ cùm ita sint, pro "virili parte, convocamus vos ad Sacrorum Altarium "crepidines, ut ibi debitas omnipotenti Deo gratias "referatis...Ut coram Ipsomet Sancto Sanctorum exclametis: *Vivat Salomon!*...Nos illuc convocamus "vos, ut potenti Dei patrum nostrorum sanctione confirmentur leges quæ Reipublicæ stabilitatem asserunt... "Homines enim transeunt: *sed leges sunt immortales;* "status subsistit semper et merita eorum qui illi servierunt

(1) Numb. XXVII. 16, 17.

" vierunt legum ipsarum ad instar sunt immorta-
" lia."(1)

2°. " Periit Monarchia potens ;...manibus unîûs ho-
" minis qui à Providentiâ ductus est...Gallia committit
" Imperii habenas et gloriosam sortis suæ curam...
" Hunc etiam advocat Nationis votum, idque Nationis
" votum solemni sanctione consecrat Religio : et qua-
" tenùs Cives et quatenùs Fideles, debetis servire gu-
" bernio *quod omnibus Ecclesiæ æquè ac publicæ pros-*
" *peritatis utilitatibus se ipsum devincit.* Completa sunt
" Providentiæ consilia: debetisque, Galli et Christiani,
" cunctis vestris facultatibus juvare, amore vestro,
" vestrâ animi gratitudine stipare gubernium hoc, pro-
" tegere præstans, *gubernium hoc legitimum,* simul
" Nationale *et Catholicum,* sine quo neque cultum habe-
" remus, neque patriam."(2)

3°. " Quale igitur et quantum est debitum nostrum,
" Fratres Charissimi, erga gubernium, præsertim erga
" supremum illius caput...Magistratus, Cives, quibus
" credita est auctoritas, eadem vincula, mutuum idem
" juramen quæ gubernium Sanctæ Sedi et Sanctuarium
" Reipublicæ copulant, sunt etiam nostra vincula, et
" commune

(1) *Mandatum D. Du Belloy (post Conventionem diei* 15 *Julii* 1801 *nominati) quondàm Archiepiscopi Parisiensis, die Lunæ* 21 *Thermidor, an* 10.)

(2) *Documentum pastorale D. de Boisgelin (post conventionem diei* 15 *Julii* 1801 *nominati)* (*a*) *Archiepiscopi Turonensis ad parochos Ecclesiarum parochialium, et desservitores Ecclèsiarum succursalium suæ Diæcesis. Datum Turone anno Domini* 1802, 30 *Decembris (nonâ Nivôsé, anno XI Reipublicæ Gallicanæ.*)

(*a*) Is est Archiepiscopus *quondàm* Aquisextanus, qui, *Expositionem Principiorum Catholicorum,* Ann. 1790, *adversùs Constitutionem civilem Cleri,* excuderat. (*Vid. Brev.* 10 *Martii* 1791, *pp.* 23, 28 *et* 46 *hujus Collect.*) " In lapsibus Majorum videamus quid timere debeamus,.. .et ad cautelam " humilitatis Casus eorum nos accingant." (*Ex Libr. II. c.* 1. *Moralium S. Gregor. Pap.*)

" commune debitum mutui juvaminis. Datâ quâlibet " occasione, *dicemus populis vestris, vestram auctoritatem esse à Deo, et quemcumque vobis resistentem admonebimus ipsum Dei ordinationi resistere:* hæc sunt " officia, hæc est doctrina moralis Episcoporum et " eorum qui intra Sanctuarium ministrant: Vos estis " Episcopi exteriores: hoc nomine vocaverunt Sancti " potestatem quam habetis Ecclesiam protegendi: non " minùs illi debitor est Episcopatus vester quam noster: " magnas in utroque spes collocat."(1)

Cum itaque videremus sic à viâ rectâ deduci, et transversum agi opiniones, et in oblivionem mitti Religionem secundæ Majestatis, silere non potuimus Episcopi simul et Subditi; sed ad ea præstanda quæ utroque nomine exigit officii nostri ratio, edito ad hoc instrumento declaravimus Honoratissimum Dominum nostrum ac Regem legitimum Ludovicum XVIII(a) planè et integrè conservare jura quæ ab ipso Deo habet ad Regiam Galliarum coronam, nihil potuisse Gallos eximere à fidelitate, quâ augustissimo Principi, juxtà mandatum divinæ legis, adstringuntur; simulque actis quibuslibet, huic nostræ declarationi contrariis, INTERCESSIMUS.

Harumce nostrarum declarationis et INTERCESSIONIS exemplar ad pedes Sanctitatis Vestræ apponimus.

Nec

---

(1) *Epistola Pastoralis D. Pancemont* (*post Conventionem diei* 15 *Julii nominati,*) *quondàm Episcopi Venetensis, datâ Venetiæ,* 1 *Fructidor, an.* 10 (19 *Augusti* 1802).)

(a) Is est Ipse LVDoVICVs, à Novatoribus Philosophis, *Desideratus*, dictus....Ann. 1814, *Solium* Napoleonis ab illis erectum venit occupare. Hoc eodem Ann. *Diploma* quoddam edixit, per quod " *vigerent* adhuc Leges " intrà Revolutionis tempus editæ et non abrogatæ." (*Vid. Art. LXVIII, de la Charte, et Edict.* 21 *August.* 1816, *p.* 29 *huj. Collect.*)

" Astiterunt Reges Terræ et Principes convenerunt in Unum adversùs " Dominum et adversùs Christum Ejus." (*Ps. II. v.* 2.)

Nec possumus, quin similem conjunctim expostulationem habeamus de Conventionis ejusdem articulo XIII quem Sanctitas Vestra confirmavit in hunc modum: *Constantes in proposito ad omnia sacrificia, pro bono pacis descendendi, ad quæ, salvâ Religione, descendi potest; ut etiàm, pro viribus nostris, tranquillitati Galliarum cooperemur, quæ denuò turbarentur, si bona Ecclesiæ alienata, iterùm essent repetenda; et ut (quod potissimum est) felix Catholicæ Religionis restitutio fiat, Prædecessorum nostrorum exempla sectantes, declaramus, eos qui bona Ecclesiastica alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque à nobis, neque à Romanis Pontificibus successoribus nostris, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhærentia, immutabilia penès ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.*(1)

Vestra ipsamet Sanctitas, in Litteris Encyclicis, quas, ineunte suo Pontificatu, ad omnes Catholicos Episcopos dedit, nobis, modo omnium maximè solemni, replicavit memoriam officiorum quæ, erga res Deo consecratas explenda habemus. In his quippe litteris legimus:

" De Bonorum verò Ecclesiæ *deposito* quæ quidem " *votæ sunt opes, sacra pecunia, sanctorum substantia, res* " *Dei;* quemadmodùm Patres, Concilia, divinæque Lit- " teræ significant ac declarant, ecquidnam vobis, Ven. " Fr. præcipimus, Ecclesiâ nunc iis spoliatâ miserè ac " nudatâ? Id nempè unum, ut detis operam, ut con- " tendatis, quò omnes intelligant, ac in animum indu- " cant quod Aquisgranense olìm Concilium breve hâc " et perspicuâ sententiâ conclusit: *Quisquis quæ alii* " *fideles de hæreditate possessionum suarum Deo ad hono-* " *rem et decorem Ecclesiæ suæ, ejusque ministrorum usus* " *contulerunt, aut abstulerit, aut auferre præsumpserit,* " *procul dubio aliorum data in animæ suæ convertit peri-* " *culum.*

(1) Bull. *Ecclesia Christi.*

" *culum.* Non certè *tenacitatis studio* (næ omni ratione
" cunctis hoc possumus, non minùs quàm S. Agapitus
" prædecessor noster confirmare) aut secularis utilitatis
" causâ, sed divini consideratione judicii, ad ea repe-
" tenda movemur, quorum jubemur *dispensatores esse*
" *fideles et prudentes.*"(1)

Atque hæc à Vestrâ Sanctitate scripta legentes, audire nobis videmur consonantem, per cuncta æræ Christianæ sæcula, Traditionis vocem : sic enim, reipsà, de hoc argumento mentem suam aperuerunt Decessores Vestri Summi Pontifices; sic Concilia, sic Episcopi qui, suis nullâ unquàm oblivione delendis in Religionem meritis maximum sibi peperêre nomen.

Sic mentem suam aperuerunt.

S. Nicolaus I. in Epistolâ ad Aquitanos :

" Audivimus quosdam vestrorum...ità contra Domi-
" num efferri, ut Ecclesias ejus...deprædari non timeant,
" et res eis pertinentes detrahere....quæ res....ultrà
" quam dici possit...in animâ nostrâ mæstitiam genera-
" vit, et idèo, Filii charissimi, curæ nobis fuit, ut...
" vos...hortaremur....ut saluti vestræ providentes,....
" à tantâ crudelitate cessetis: quinimò quæ violenter et
" quoquo modo sine lege tulistis, reddentes, tantum sa-
" crilegium corrigere curetis. Nam quamvis *Domini*
" *sit terra et plenitudo ejus,* illæ tamen res quæ à Prin-
" cipibus, atque fidelibus quibusque hominibus sacratis
" locis collatæ sunt, specialiter esse Domini sine cuncta-
" tione creduntur, dùm divinis cultibus dicatæ...cer-
" nuntur. Undè in Dominum procul dubiò commit-
" tunt, et ipsi præjudicium inferre probantur, quicum-
" que has usurpare, et sibi non legitimè vindicare non
" metuunt

(1) SS. DD. NN. Pii. Papæ VII. Litt. Encyclic. ad omn. Cathol. Episcopos, Venetiis, 15 Maii. 1800.

" metuunt...quamobrem vos rogamus et obtestamur
" ut...suæ singulis Domino sacratis locis sine dilatione
" reddatis...quod si qualescumque rapaces...nisi corri-
" gant...si non humano nunc, certè quandoque divino
" judicio districtissimè punientur; quâ putatis pœnâ
" mulctandi sunt, qui contra Dominum Ipsum magna
" mala perpetrare manifestissimè comprobantur...Ita-
" què, *quoniam horrendum est incidere in manus Dei vi-*
" *ventis*, admonemus vos et hortamur.....ut res Ecclesi-
" asticas quas injustè retinetis, sine percunctatione et
" morâ reddatis....Si quis autem vestrûm nos audire
" contempserit, et quæ salubriter vobis suadere nitimur
" obedienter perficere, ac.....minimè observare curave-
" rit.....venerandi corporis et pretiosi sanguinis Domini
" nostri Jesu Christi communione penitùs privatus ex-
" istat(1)."

Gregorius IX ad Fredericum Siciliæ Regem scribens:
" Ascendit ad nos clamor.... Ecclesiarum et Clerico-
" rum regni Siciliæ, quod in eos.....iniquè desæviens, ip-
" sos affligis cruciatibus infinitis, bona eorum diripiens et
" extorquens in manifestam contumeliam Redemptoris,
" et atrocem injuriam Ecclesiæ generaliter.....cùm igitur
" hæc nequeamus sine periculo sustinere, qui Christi
" Vicarii, licet immeriti, constituti, pro tuendâ justitiâ
" et defendendâ Ecclesiasticâ libertate, tenemur et vo-
" lumus impendere nosmetipsos, ab eo nobis dignâ vicis-
" situdine repetendâ, qui beatificat tribulationem prop-
" ter justitiam patientes; Imperialem Celsitudinem
" tuam monemus et hortamur attentè, quatenùs Eccle-
" siis et personis Ecclesiasticis ablata restituens....famæ
" tuæ consulas et saluti(2)."

" Patres

(1) S. Nicolaus PP. I Epist. ad Aquit.
(2) Gregor. PP. IX. Epist. ad Freder. Sicil. Reg. ap. Baron. an. 1097.

Patres Concilii Tullensis, datâ, tempore Caroli Calvi, ad factiosos Epistolâ :

« Plurimi vestrûm, abjecto timore Dei.... posses-
« siones Ecclesiæ....quæ datæ sunt Deo ab his qui antè
« vos Christiani fuerunt, propter redemptionem anima-
« rum et propter templorum Dei instaurationem, et eo-
« rum victum et vestimentum qui sine cessatione laudes
« Deo persolvunt, et propter stipendium pauperum, et
« si opus esset, redemptionem captivorum, vos Deo au-
« fertis; et quia statim non vindicat, quasi cum securi-
« tate possidetis....tam nefarium scelus, quo præsenti-
« bus et futuris nocetis, jam vindicaret, quia justus est,
« nisi esset patiens. Sed utinam omnes talia agentes,
« Ejus patientia ad pœnitentiam adducat....sed si in
« his similibus facinoribus perduraverimus, quantò nunc
« mitior est pœna, tantò erit durior posteà inflexibilis
« vindicta. Dei vox est : *tacui; numquid semper tacebo?*
« *in hâc vitâ quiesco; in alterâ vindicabo*(1). »

S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, Sanctæ Sedis in Germania legatus, directis ad Athebaldum Angliæ Regem litteris in quibus legitur :

« Nuntiatum est nobis quod multa privilegia Eccle-
« siarum et Monasteriorum fregisses, et abstulisses indè
« quasdam facultates. Et hoc, si verum est, peccatum
« grande esse dignoscitur, testante Scripturâ Sacrâ quæ
« ait : *Qui abstulerit aliquid patri vel matri et dicit :*
« *hoc non est peccatum, homicida est*(2). Pater noster
« sine dubio, Deus est, qui nos creavit : Mater nostra
« Ecclesia, quæ nos in Baptismo regeneravit : Ergò qui
« Christi pecunias et Ecclesiæ fraudabit, vel rapiet, ho-
« micida antè conspectum justi Judicis deputabitur....
« Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit;
« qui

(1) Conc. Tull. Synod. Epist. ad Factiosos. ap. Baron. an. 859.
(2) Prov. XXVIII. 24.

" qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium " facit(1)."

Ex hisce placitis, non interruptâ traditione, transmissis, agens Sacro-sancta Tridentina Synodus, sessione XXII, habitâ die 17 Septembris anni 1562, celebre condidit decretum quod sequitur: " Si quem clericorum " vel laicorum quâcumque is dignitate etiam *Imperiali* " *aut Regali* præfulgeat, in tantum malorum omnium " radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ.... " bona....quæ in ministrorum et pauperum necessitates " converti debent, per se, vel per alios, vel timore in- " cusso....seu quâcumque arte, aut quocumque quæsito " colore, in proprios usus convertere.....præsumpserit, " seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, perci- " piantur, is anathemati tamdiù subjaceat, quamdiù ju- " risdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos " occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque.....per- " venerint....Ecclesiæ...integrè restituerit, ac deindè " à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit(2)."

Sic in servandis præstantibus morum et justitiæ institutis semper incumbens, pioque filiorum salutis incensa studio, nefarios ausus et scandala refrænat Ecclesia. Eheu! quod majus, ex cupiditate per vim et minas debacchante oriri poterat scandalum, quàm quod eximiis altarium insignibus vasisque direptis, nec non ædibus sacris veno positis, impia ad rebellionem augendam, pravaque iniquorum amplianda consilia, præda proficeret! quo potiori unquam jure potuisset pia Mater se clementer sævientem exhibere, ut reos (hoc enim solum proponit) inclementi subduceret judicio, quod in æternum manet, in suâ induratos nequitiâ nec ullo salutari metu commotos!

(1) S. Bonif. Arch. Mogunt. Epist. ad Athebaldum Reg. Angl. ap. Baron an. 745.

(2) Conc. Trid. Sess. XXII. Cap. XI de Reform.

commotos! Verumtamen si quandoque, prudentiæ et caritatis animo ducta, à legibus suis adversùs bonorum Ecclesiasticorum spoliatores, quàm maximè severis, prout erant, exercendis temperavit, ab ejus mente prorsùs alienum foret eas quæ ad suam perniciem diriguntur, grassationes confirmare. Hoc unum temporum iniquitati indulgere posset cum Divo exclamans Ambrosio: " Volens, nunquàm jus deseram. Coactus, repugnare " non novi; dolere potero; potero gemere...lacrymæ " meæ arma sunt...aliter nec debeo, nec possum resis- " tere...cùm esset propositum ut Ecclesiæ vasa jam " traderemus; hoc responsum dedi, me...templo Dei " nihil posse decerpere, nec tradere illud quod custo- " diendum, non tradendum acceperim...absit à me ut " tradam hæreditatem Christi...absit à me ut tradam " hæreditatem Patrum; hoc est, hæreditatem Dyonisii " qui in exilio, in causâ fidei defunctus est, hæreditatem " Eustorgii confessoris, hæreditatem Myroclis, atque " omnium retrò fidelium Episcoporum(1)."

Si igitur, hisce documentis ab iis qui post hominum memoriam habiti sunt Ecclesiæ, columnæ, ab ipsâque Ecclesiâ instructi reclamamus atque indicimus observationem regularum ad bona sacrata spectantium, quæ nobis à Patribus traditæ sunt, possumus profectò, testimonium nobis perhibente conscientiâ nostrâ, cum Sancto Agapito Papâ, pronunciare, non, *tenacitatis studio aut sæcularis utilitatis* causâ hoc facere(2). Nimirùm, si fuerit aliquod, ita disponente Deo, vitæ nostræ tempus, quo nobis rerum copia suppeteret, nobis etiam idem Deus Optimus Maximus bonorum temporalium jacturam æquo animo ferre dedit. Divinâ opitulante gratiâ componemur ad exemplum Divi Pauli, eademque opere complebimus,

(1) S. Ambros. Orat. in Auxent.
(2) S. Agap. PP. I Epist. 6. ad Cæsar. Arelat.

complebimus, quæ vas illud electionis à se præstari scribebat ad Philippenses, his verbis: *didici in quibus sum sufficiens esse. Scio et humiliari, scio et abundare: ubique et in omnibus institutus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati: omnia possum in eo qui me confortat*(1). Nihil certè, nihil nostrum est quod non prompto animo devoveamus, ac paupertatem ad extremum usque vitæ halitum, libenter amplectimur. At verò deflectere nequimus oculos *à divini consideratione judicii*(2) in quo nobis de patrimonio Ecclesiarum nostrarum erit reddenda ratio: et hæc ipsa tremendi expectatio judicii cogit nos nihil intentatum relinquere, ut nostra in servando rerum Deo sacrarum deposito fides, nulli obnoxia evadat accusationi, atque ut hanc officii nostri partem, quantùm in nobis est, expleamus.

Primò quidem Sanctitatem Vestram non celabimus stuporem ac mærorem quibus plurimorum mentes graviter affecit declaratio edita, in suprà memorato articulo XIII conventionis diei 15 Julii anni 1801, posteàque confirmata in Constitutione suprà pariter jam citatâ, quæ incipit *Ecclesia Christi.*

Vix enim pernotuit ista declaratio, cùm passim auditi sunt qui dicerent:

" Existimari-ne posset, hanc esse Appendicem Pri-
" matûs honoris et jurisdictionis in universâ Ecclesiâ,
" qui Successori Principis Apostolorum jure divino
" competit, ut possit Summus Pontifex, motu proprio,
" soloque voluntatis suæ nutu, penès alios transferre
" tot bona (nec non redditus et jura iis inhærentia)
" quibus spoliantur centum triginta sex tam Archiepis-
" copatus quam Episcopatus; totidem capitula, cùm
" Metropolitana, tùm Cathedralia; plusquàm quadra-
" ginta

(1) Philipp. IV. 11. 12. 13.
(2) S. Agap. PP. I. Epist. 6 ad Cæsar. Arelat.

" ginta Parochiarum millia; Abbatiæ omnes, Prioratus;
" Ecclesiæ Collegiatæ; Monasteria, Congregationes;
" verbo dicamus, omnia beneficia, religiosaque loca in
" longè latèque patentis Regni ditione sita; profanisque
" usibus addicere bona hæc omnia, quæ pii fundatores
" cultui divino Ecclesiæque ministrorum sustentationi,
" pauperumque levamini consecraverant?

" Existimari-ne posset hanc esse Primatûs appendi-
" cem, ut possit Summus Pontifex momenti tàm gravis
" opus exequi?

" 1°. Insciis legitimis Episcopis quibus, hoc ipso
" nomine, et jus indubitatum competit, et sacrum in-
" cumbit officium bonorum omnium, quæ in respectivis
" singulorum Diœcesibus, Deo sacrata sunt, custodiæ
" invigilandi?

" 2°. Inscio legitimo Principe bona eadem protegere
" nato, suosque prætereà referente perillustres Avos,
" atque Atavos, qui magnam horumce piorum institu-
" torum partem, vel ab initio fundaverunt, vel fundata
" jam, donorum accessionibus amplificaverunt?

" 3°. Cum detrimento spirituali innumerorum funda-
" torum, qui partem bonorum suorum donaverant, ut
" sibi, suis autoribus, ac posteris precum auxilia com-
" pararent, quibus omnes deinceps destituuntur?

" 4°. In damnum temporale plurimorum hæredum
" frustatorum bonis quibus ipsos indueret fundatorum
" nunquàm temeranda voluntas. Plurimi nempe fun-
" datores, in ipsismet fundationum instrumentis, con-
" ceptis verbis stipulaverunt velle se, ut, si bonum
" opus, cujus intuitu, bona sua donabant, fieri aliquando
" desineret, eadem bona ad hæredes suos pro tempore
" existentes reverterentur: eâ lege, fundationes istæ et
" factæ, et acceptæ fuerunt: et contrà hanc adeò vene-
" randam sacramque voluntatem, videant hodierni
" hæredes, penès alios immutabilem declarari proprie-
" tatem bonorum in quorum possessionem legitimam,

" juxtà

" juxtà omnia jura, ipsos, exclusis aliis quibus-libet,
" inducebat auctorum suorum memorata voluntas?

" 5°. Nullâ adhibitâ provisione ad præstanda vitæ
" subsidia, cùm hodiernis beneficiorum titularibus, tùm
" hodiernis Monasteriorum et Congregationum mem-
" bris?

" 6°. Tandem impensis his bonis PRO REBEL-
" LIONE FOVENDA, ET ALTARI THRONOQUE
" SIMUL EVERTENDIS?"

Nihil unquàm simile contigisse memorant Religionis Annales: per longum istud octodecim sæculorum spatium quæ ab Ecclesiâ conditâ præterierunt, nullus unquàm Summus Pontifex paria molitus fuit; nullus unquàm sibi adeò immensam vindicavit potestatem.

Si quando gravissimis exigentibus causis, ad procreandam, uti sperabatur, (quanquàm opem fefellit eventus) ingentem Religionis utilitatem, eòusque novissimis ætatibus ventum est, ut nonnulli Summi Pontifices declaraverint eos, qui quasdam malè partorum bonorum ecclesiasticorum portiones detinebant, nullam idcircò, neque à se, neque à Successoribus suis Romanis Pontificibus molestiam habituros, neque per ullam quamcumque censuram ecclesiasticam in dictorum bonorum possessione perturbandos: atque etiam aliquas dictorum bonorum portiones, earumdem detentoribus reapsè et absolutè condonaverint, ii nunquàm huic operi manum admoverunt in illis rerum adjunctis, in quibus ex hujusmodi indulgentiâ manifestè consecutura erat tot simul Ecclesiarum piorumque locorum plenissima et absolutissima spoliatio: ii nunquàm suas eâ de re sententias ediderunt, insciis Episcopis canonicè institutis pro tempore existentibus; vel Principum legitimorum inconsultu; aut non vocatis vocandis, eis nempè quorum intererat: ii demùm antè omnia non prætermiserunt quoslibet intendere nervos ad efficiendum, ut detentores bonorum, quibus Ecclesiæ spoliatæ fuerant, mente perciperint

perciperint incumbentem sibi rerum fructuumque restituendorum obligationem.

Talia, inquimus, passim audita sunt, ex quibus sanè colligere pronum est, quam graviter et stupore et mœrore plurimorum mentes affecerit articulus ille, quo declaratur proprietatem bonorum Ecclesiæ alienatorum reditus et jura iis inhærentia immutabilia fore penès eorumdem bonorum emptores, atque ab ipsis causam habentes.

Insuper autem unum aliud Sanctitatis Vestræ ob oculos ponere cogimur, quod præ omnibus attentè ponderare maximi refert. Nempè si ratio imprimis habeatur eorum quæ Conventionem initam inter Vestram Sanctitatem Gubernium que Gallicanum die 15ª. Julii 1801, et prægressa sunt et subsecuta, perspicuum evadit hunc decimum tertium ejusdem conventionis articulum, ad quem approbandum Vestra Sanctitas adducta fuit, ut *felix Catholicæ Religionis restitutio*(1) fieret in Galliis, nèdum id boni pepererit ad votum Vestræ Sanctitatis; *è contrà sanctissimæ huic Religioni incredibiliter idem nocuisse, ac ipsi lethale vulnus intulisse, si præsens rerum ordo producitur.* Enim verò, qui funestum inierant Ecclesiam Gallicanam spoliandi penitùs ac nudandi consilium, nullam nacti sunt viam, quâ certius propositum sibi nequiter scopum attingerent, quam si Conventus Nationalis decreto sanciri curarent bona Ecclesiastica omnia ex arbitrio nationis pendere: propterea statim atque effecerunt, ut hic error larvâ legis indueretur(2), illicò quidquid in Galliâ, per tot ætatum seriem, Deo sacratum fuerat, occupaverunt, usurpaverunt, invaserunt, et de omnibus hisce bonis, ad nutum suum, nullo habito

(1) Bull. *Ecclesia Christi.*

(2) " Conventio Nationalis declarat omnia bona Ecclesiastica ex arbitrio " Nationis pendere." Decret. 2 Novemb. 1789.

habito ullius potestatis respectu, ità statuere præsumpserunt, ut vellent suam stare pro ratione voluntatem.

Sanè quisquis vel tantis per oculos in veneranda traditionis monumenta conjecerit, facilè profectò judicabit Conventum politicum, qui rerum summam sibi arrogavit, arreptâ hâc vi manifestè abuti, ubi malè opinatum hujusmodi jus et proferre in medium et contrà fas exercere non veretur.

Et quidem ex omnibus Monarchicis vel Republicanis, quæ fidem Christianam profitebantur, Guberniis, quantùmvis latum arbitrata sint jus alti Dominii, nullum reperias quod penès se subditorum esse bona, qualiscumque sit eorum natura, argumento sancire tentaverit.

Quod tamen exitiale effatum promulgare non dubitavit Nationalis Conventus ex decreto, quo statuit bona Ecclesiastica penès Nationem esse.

Ambigendum non est quædam Gubernia suæ potestatis abusu, quem tamen jus esse non mentiebantur, Ecclesiam, ejusque ministros spoliasse. Verùm nuncupari nequeunt universales istæ occupationes, quin tempora simul turbulenta, Reipublicæ dissidia, bella civilia, sævæque persecutiones, religionis cujus bona diripiebantur evertendæ causâ concitatæ, memoriâ colligantur. *Nemo unquàm per absolutam bonorum istorum cessionem spoliatoribus factam, religionem esse restituendam suspicatus fuisset.*

Quàm longè disparia sequebantur studia, Duces et populi, quos sincerum, religionem instaurandi ejusque damna resarciendi, urgebat desiderium? Quàm primùm curabant, ut propè extincta majorum instituta, juraque suscitarent hisce anarchiæ labefactata temporibus *in quibus vim inferre, vel prædas agere, unica lex est.*

Præclarum nobis præstò est, Galliæ gentis et optimi Principis exemplum; petitionem memoramus quâ omnes Imperii Ordines in concilio Wormaticenci, Carolum

 Magnum

Magnum de hâc re adierunt, et egregiam piissimi Imperatoris responsionem(1).

Nullum

(1) " Scimus res Ecclesiæ esse sacratas, scimus eas oblationes esse fide-
" lium et pretia peccatorum, quapropter si quis eas ab Ecclesiis quibos, à
" fidelibus collatæ, Deoque sacratæ sunt, aufert; procul dubio sacrilegium
" committit. Cæcus enim est qui ista non videt; quisquis ergò nostrûm
" suas res Ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert atque dedicat, suisque
" Sanctis, et non alteri, dicendo talia et agendo ità.

" Facit enim scripturam de ipsis rebus quam dare Deo desiderat, et
" ipsam scripturam coram altari aut suprà tenet in manu, dicens ejusmodi
" Sacerdotibus atque custodibus: "*offero Deo, atque dedico omnes res quæ in*
" *hâc Chartulâ tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac paren-*
" *tum et filiorum, aut pro quocumque illas Deo deliberare voluerit; ad servien-*
" *dum ex his Deo, in sacrificiis, missarumque solemniis, orationibus, luminariis,*
" *pauperum ac clericorum alimoniis, et cæteris divinis cultibus atque illius Ec-*
" *clesiæ utilitatibus. Si quis autem eas indè (quod fieri nullatenùs credo)*
" *abstulerit, sub pœna sacrilegii, ex hoc Domino Deo cui eas offero, atque dedico,*
" *strictissimas reddet rationes.... Si ergo amico quippiam capere furtum est,*
" *Ecclesiam verò fraudari vel auferri, indubitanter sacrilegium est. Undè et in*
" *sacris Canonibus Spiritu Dei conditis, habetur ità: si quis oblationes Ecclesiæ*
" *extrà Ecclesiam accipere, vel dare voluerit, præter Episcopi conscientiam vel*
" *ejus cui hujusmodi sunt officia commissa.... anathema sit.*

" Absit enim ut rerum Ecclesiarum cupiditate, vel ablatione, sacrilegi
" aut anathema efficiamur.... ut ergo omnis suspicio à nobis.... funditùs
" auferatur, profitemur omnes.... coràm Deo et angelis ejus.... nec talia
" facere, nec facere volentibus consentire, sed magis, Deo auxiliante resis-
" tere.... ut ergò hæc omnia à vobis et à nobis, sive à successoribus vestris
" et nostris, futuris temporibus, absque ullâ dissimulatione conserventur...
" inter vestra Capitularia interpolare præcipite."

Atque hoc fuit, ad postulata æqua periodè ac religiosa, Imperatoris responsum.

" Modò ista, sicut petistis, concedimus.... novimus enim multa regna
" et reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque
" earum vastaverunt, alienaverunt, vel diripuerunt, Episcopisque et sacer-
" dotibus, atque quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt.... et ut hæc
" devotiùs per futura tempora conserventur, præcipientes jubemus, ut
" nullus tàm nostris, quàm futuris temporibus, à nobis vel successoribus
" nostris, ullo unquàm tempore, absque consensu et voluntate Episcopo-
" rum..... res Ecclesiarum petere aut invadere, vel vastare, aut quocumque
" ingenio alienare præsumat; quod si quis fecerit, tàm nostris quàm et
" successorum nostrorum temporibus, pœnis sacrilegii subjaceat, et à nobis
" et successoribus nostris, nostrisque judicibus, sicut sacrilegus et homi-
" cida, vel fur sacrilegus, legaliter puniatur, et ab Episcopis nostris anathe-
" matizetur." (Capit. Franc. Tom. 1.)

Nullum quippe est Gubernium, quod non apprimè senserit doctrinam quâ in suam, fictitio jure, potestatem traducuntur bona Deo sacrata, socialem ipsum attentare ordinem et convellere omnes justitiæ Religionisque notiones, ut in earum locum sufficiatur error manifestè repugnans gloriæ Dei: quippe qui eò tendit ut honorum supremo Numini debitorum fulgor à terrâ penitùs exulet. *Volunt* hujus *mendacii fabricatores*(1), *volunt extinguere gloriam templi et altaris Domini*(2). Hoc nimirùm errore, homines à diligendo domûs Domini decore deterriti, nihil deinceps aggredientur, nihil devovebunt ad promovendum divini cultûs splendorem. Ecquis enim præstereà ullam bonorum suorum partem alendis Ecclesiæ ministris, solemnitatibus exornandis, instaurandis templis, decorandisque altaribus impendere voluerit, si semel receptum sit, in arbitrio vis sœcularis positam esse tàm sanctæ designationis mutationem: posse vim sœcularem ea bona suo arbitratu invadere, eaque, piorum donatorum voluntate penitùs neglectâ, profanis usibus addicere, atque iis forsan, quod eheu! miserrimum vidimus, eòusque abuti, *ut arma ministrent ad pessumdandam Religionem*, eujus erant patrimonium!

Propterea, proximus Sanctitatis vestræ decessor Pius Papa VI., adversùs id quod agitur Conventûs Nationalis Decretum vehementur coortus est in litteris Apostolicis, datis Romæ apud S. Petrum, 10 Martii 1791, ità scribens:

" Transimus jam ad bonorum Ecclesiasticorum inva-
" sionem, ad alterum scilicet errorem Marsilii Pata-
" vini....damnatum in constitutione Joannis XXII, et
" longè antè, decreto S. Bonifacii Papæ I....*Nulli li-*
" *cet ignorare quod omne quod Domino....semel fuerit*
" *consecratum*,

(1) Job. XIII. 4.
(2) Esther XIV. 8. 9.

" *consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino, et ad* " *jus pertinet Sacerdotum : propter hoc, inexcusabilis erit* " *omnis...qui ea quæ Domino vel Ecclesiæ competunt, au-* " *fert, vastat, et invadit, vel diripit ; et usque ad emenda-* " *tionem et Ecclesiæ satisfactionem judicetur ; et si emen-* " *dare noluerit, excommunicetur....* Quisquis in hâc usur- " patione habet partem, perlegat vindictam quam Do- " minus fecit de Heliodoro ejusque cooperatoribus qui " rapere tentaverant thesauros de templo, contrà quos " Spiritus Omnipotentis Dei magnam fecit suæ osten- " sionis evidentiam, ità ut omnes qui ausi fuerant parere " ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem et formidinem " converterentur....sed quis facilè non intelligat in hâc " bonorum Ecclesiasticorum occupatione, inter cætera " in animo haberi, spectarique, ut sacra profanarentur " templa, ut Ecclesiæ ministri in omnium contemptum " adducantur, utque alii imposterùm à sorte Domini " deligenda deterreantur : vix enim ea usurpari bona " cœperant, cùm statim divini cultûs abolitio consecuta " est, occlusa templa, sacræ suppellectiles amotæ, et " cessare jussus in Ecclesiis divinorum officiorum can- " tus.(1)"

Hunc tamen errorem, in quem primùm impegerant, qui in Conventu Nationali decreverunt sacrata Deo bona *ex arbitrio nationis* pendere, amplectitur, palàm ac profitetur Gubernium quocum Vestra Sanctitas jam sæpè memoratam diei 15 Julii anni 1801 conventionem pacta est. Orator enim hujus Gubernii, ipsius nomine concionatus in consessu *corporis*, ut aiunt, *legislativi*, habito die 15 *Germinalis*, anni X., Hæc verba fecit :

" Catholicismus fuerat semper apud nos Religio do- " minatrix. Ab annis plus quàm centum, nullus, præ- " ter Catholicum, cultus alter erat, cujus publicum exer- " citium

(1) Litt. Apost. 10 Mart. 1791.

" citium autoritate firmaretur. Institutiones civiles
" et politicæ intimè junctæ erant cum institutionibus
" Religiosis. Clerus erat inter regni ordines primus:
" magnaque possidebat bona....hic ordo, factâ rerum
" mutatione evanuit....quæ Cleri erant, nationis arbi-
" trio permissa sunt, suscepto duntaxat onere suppedi-
" tandi impensas Catholici Cultûs, suamque illius minis-
" tris solvendi mercedem....ab exordio diximus Clerum
" Catholicum, ab ipsis primis annis factæ mutationis
" rerum, copiosis spoliatum fuisse bonis quæ posside-
" bat. Cùm temporalia imperiorum prorsùs extranea
" sint ministerio Romani Pontificis, æquè ac aliorum
" Pontificum, requisitus profectò non erat interventus
" Papæ ad roborandam, atque firmandam proprietatem
" bonorum Ecclesiasticorum penès eos qui illa acquisi-
" verunt. Ministri religionis, quæ nihil est, nisi insti-
" tutio hominis ad alteram vitam, non habent cur se
" hujus vitæ negotiis immisceant: sed utile fuit *posse*
" *vocem capitis Ecclesiæ* quod leges in societate promul-
" gandas non habet, *suaviter intrà conscientias resonare*,
" *ibique compescere timores et anxietates* quas lex non
" semper habet sedandi facultatem: hinc planum fit,
" quid sibi velit clausula, vi cujus Papa, in suâ conven-
" tione cum gubernio, recognoscit proprietatem bono-
" rum Cleri immutabilem esse penès eos qui illa acqui-
" siverunt."

Cæterùm, quid de bonis istis Gubernium sentiat, manifestius adhuc gesta ipsius quàm ipsius nomine concionati Oratoris verba declarant: tam obstinato ratum habet animo sacrata Deo bona *ex arbitrio suo* pendere, ut, per initam cum V. S. conventionem non desierit, nec desinat eas dictorum bonorum partes quæ nondùm alienata erant, venales exponere proprio motu, suopte arbitratu solo;(1) nec ullatenùs, suffragante Vestræ Sanctitatis voluntate:

(1) Vid., in Libris geographicis modernis ab ann. 1807 editis, Articulum, cui

voluntate: quandòquidem, sive in Conventione, sive in Bullâ confirmationis ejus, nihil habetur omninò undè colligi possit, Sanctitatem Vestram suum novis hisce alienationibus calculum adjecisse.

Quidni autem posteriores istas alienationes Sanctitas Vestra non antevertit? Iis non occurrit? Nonnè grande satis et altum erat Ecclesiæ vulnus?

Quidni in conventione aliquod saltem verbum deprehenditur, quod religioni, in illâ nondum alienatâ bonorum ipsius parte, spei aliquid ac remedii seponat?

Quidni demùm, pro Ecclesiâ exorata fuit facultas recuperandi illas sacrorum bonorum partes quas Ipsi ad Deum, et in se reversi Emptores restituere voluissent?

Eventu nimis comprobatum manet, quantùm ex omissâ hâc stipulatione detrimenti consecutum sit. Enim verò, quoniam nulla extat stipulatio, quâ Ecclesiæ præstetur ea facultas, eadem ipsi, sine morâ, prærepta fuit.

Hùc spectant Articuli inter Organicos LXXIII et LXXIV, qui sic se habent:

Art. LXXIII. " Fundationes ad victum ministrorum " cultûsque exercitium pertinentes, poni non poterunt, " nisi in pecuniis Reipublicæ locatis."

Art. LXXIV. " Immobilia diversa ab ædificiis habi" tationi destinatis, hortisque adjacentibus, non pote" runt

---

cui Titulus: *Imperium Germanicum:* in quo, refertur nomenclatura Bonorum Ecclesiasticorum, quæ Principes *omnes* Germaniæ Sibi diviserunt pro *indemnitate* Suarum Ditionum cisrhenanarum à Napoléone et à copiis ejus raptarum. In his regionibus, non fuit opus, ut " intrà conscientias vox " Capitis Ecclesiæ suaviter resonaret et anxietates compesceret." De plano hoc negotium evasit peractum.

Nunc etiàm impræsentiarùm, in Hispaniâ, quæ, valdè commiseranda, in circulo *Revolutionis Generis humani* circumvolvitur, Bona Ecclesiastica rapiuntur à *Lupis rapacibus*, qui, paulò post sese induunt ovinis pellibus, &c.

" runt assignari titulis Ecclesiasticis neque à ministris
" cultûs possideri propter munia ipsorum."(1)

Neque hùc dictos articulos spectare celavit Gubernii Orator, in suâ super *articulis organicis* relatione, locutus in hunc modum:

" Ex privatis fundationibus possunt cultûs Ministri
" aliud haurire redituum genus. Sunt verò quædam
" provisiones adhibendæ ad coercendam in fundatoribus
" inanis gloriæ consectationem, ad occurendum artibus
" quibus illi decipi possent, nec non ad cavendum, ne
" ad Ecclesiasticos veniat hæreditas eorum omnium qui
" hæredes vel non habent, vel habere nolunt. Edictum
" anno 1749 latum circà acquirenda ab iis qui habent
" possessiones non caducas...non nisi certæ cujusdam
" ac constitutæ naturæ bona fundationibus addici per-
" mittebat. Minimè sinebat familias bonis suis immo-
" bilibus spoliari, vel *circulationi* subtrahi res in com-
" mercio positas, eòque magis hodie, dum necesse fuit à
" sapienti legis istius proposito non discedere, quod fa-
" cultas donandi immobilia, novum tunc tot aliis quibus
" jam obnoxia est, incommodum adjiceret: nimirùm
" prætextus evaderet sollicitandi sub obtentu fundationis
" liberæ ad restitutionem sæpè coactam bonorum quæ
" Ecclesiasticis propria fuerunt, et quorum alienatio
" fuit à lege imperata."(2)

Liquet igitur Gubernium quîcum Sanctitas Vestra Conventionem diei 15 Julii pacta est, documenta eadem, quæ Nationalis Conventus, ità sanxisse, ut nihil prætermiserit quo perficeretur omnimoda Ecclesiæ Gallicanæ ruina: et quidquid provisionis in humanâ vi positum esse potest,

(1) *Articuli Organici Conventionis, 26 Messidori, An. IX, Tit. IV, Sect.* iii.

(2) *(Relatio habita à Cive Portalis Conciliario Statûs, Præfecto negotiis omnibus, Cultus Religiosos spectantibus, super articulis organicis Conventionis initæ Parisiis,* 29 *Messidori, an IX, inter Gubernium Gallicanum et Papam.)*

potest, id omne diligentissimè adhibuerit quo ea Ecclesia in nullam unquàm patrimonii sui partem restitueretur.

At verò numquid non aliqua saltem inita est via quâ, per inauditam hujusmodi spoliationem, certò stabilita manerent nova temporalia subsidia Catholici cultûs exercitio, Religionisque conservationi prorsùs necessaria? Ægrè profectò dicimus, quod tamen omninò dicendum: " ne illa quidem novissima spes certò stabilita fuit." Quidquid eheu! de ea re tanti momenti convenit expressum, habetur in XI, XII, XIV, XV, Conventionis articulis: nihil ampliùs ut duplici huic necessitati satisfaceret, constitutum est in ipso instrumento, quod planum facit iter ad irreparabilem jacturam bonorum omnium quæ ad firmandam perpetuòque servandam in Galliâ Catholicam Religionem, Deo dicata fuerant: et quis unquàm verbis enunciare valeat quàm luctuosa mentibus cogitata injiciant dicti Articuli, quàm acerbo dolore pectora torqueant?

Neque hîc possumus non observare perperàm multùm ac præposterè cum Bonorum Ecclesiæ Emptoribus actum fuisse, dum illis adempta fuit facultas nunc restituendi dicta Bona, quorum in novissimo die, ratio reddenda erit supremo Judici. Quam metuendum est enim, ne quamdiù hæc illi malè parta penès se habebunt, propitium Deum sibique benedicentem non experiantur! Scilicet, *nunquàm pauperum, nunquàm Ecclesiæ spolia prosperum habuere eventûs auspicium...nec Christus qui summa justitiâ est sustinet commissa ex his spolia prosperari.*(1)

Eæ sunt angustiæ in quas eliciuntur Emptores, exitioso isto Concordatûs articulo XIII, ex quo, (præter Sanctitatis Vestræ mentem,) iniquitatis fructus in suis manibus legitimos fieri persuasum habent, eoque magis adhuc

(1) Petr. Bles. Epist. 112 ad Ep. Aurelian.

adhuc inviso Gubernii statuto quod obstat, ne, conscientiam exonerantes, malè acquisita restituant. *An igitur, continuante injustitiâ, prosperè instauranda est religio?* Quo res politica pacto illis impedimento esse potest restitutionibus, quæ nedùm solâ suadente conscientiâ, Rempublicam conturbent, probos religiososque cives ipsæmet patriæ restituunt. Eo indissolubili justitiæ jungitur fœdere Religio, ut malo illudatur errore qui spoliatores ex eo quod illis faveant Gubernii decreta, et Bonis suis se abdicare legitimi cogantur Domini, ad Deum sincero animo converti posse existimat.

Diximus hactenùs quid mali Religionis attulerit, et in posterùm, nî Deus obstet, sit adhuc allaturus Articulus XIII Conventionis diei 15ª. Julii 1801. At non Religioni soli nocuit articulus iste: nocuit etiam, permultòque nocuit innumeris legitimis possessoribus Bonorum ad Ecclesias, et Pia Loca non spectantium.

Postquam enim Sanctitas Vestra dictum articulum approbans, declaravit ad cooperandum *tranquillitati Galliarum* proprietatem Bonorum Ecclesiasticorum alienatorum, redditus et jura iis inhærentia immutabilia futura esse penès eos qui illa Bona acquisiverunt atque ab ipsis causam habentes,(1) affirmatum fuit idem prorsùs ferendum esse judicium de iis qui acquisiverunt Bona alia similiter alienata ad Ecclesias et Pia Loca non spectantia; atque idcircò proprictatem horumce etiam Bonorum, redditus et jura iis inhærentia, immutabilia quoque censenda esse penès emptores atque ab ipsis causam habentes: propterea quod Bona ad Ecclesias et Pia Loca non spectantia, sanctiora profectò æstimari non possunt, Bonis ipsis Ecclesiasticis: ex alterâ verò Galliarum tranquillitas ex æquo postulat, ut hæc et illa Bona

(1) Bull. *Ecclesia Christi.*

Bona eâdem autoritate alienata ab emptoribus non repetantur.

Quàm longè tamen à veris justitiæ regulis discedit hujusce modi assertio?

Generis humani Pater Deus Optimus Maximus in suam fidem tutelamque recipit illa ipsa peritura Bona quibus homines, in hoc suæ peregrinationis loco, frui possunt. Quapropter, ut legitimis Dominis tranquillam horumce Bonorum possessionem præstaret, cupiditati, quæ *radix omnium malorum est*,(1) ad instar munimentorum, objecit præcepta quibus non solùm prohibet, ne proximo, quod ipsiûs est rapiatur,(2) aut ejusdem damno iniquè detineatur:(3) sed vel ipsum rerum alienarum desiderium vetat:(4) atque ad significandum quantùm Sibi cordi esset sanctissima harumce legum observatio, omnibus qui illas violare auderent, denegandam minatus est regni sui possessionem: cujusquidem adeò formidandæ

(1) 1 Timoth. vi. 10.

(2) " Non furtum facies." (Exod. xx. 14.)

(3) " Non multùm interest præsertim quoad periculum animæ detinere " injustè aut invadere alienum." (Conc. Lateran. iv. c. 39.)

" Sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ità etiam detinere eam; quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam, invito Domino " impedit eum ab usu rei suæ, et sic facit ei injuriam." (S. Thom. 2. 2. Q. 62. a. 8. in C. a.) " Retinere quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injustâ: et ideò sub injustâ acceptione, intelligitur etiam injusta detentio." (Ib. Q. 66. a. 3. ad 2.) " Officium et " diligentiam suam conferent (Parochi) ad declarandum Dei Infinitum " amorem ergà genus humanum qui.. hoc præcepto, *non furtum facies* tanquam custodiâ quâdam externas res muniat atque defendat. Quam enim " hæc verba subjectam habent notionem, nisi eam?.. Vetare videlicet Deum " Bona hæc nostra quæ in ejus tutelâ sunt, à quoquam auferri, aut violari." (Catech. ex decret. Con. Trid.) " In quo illud animadvertendum est furti " nomine, non id modò intelligi, cùm occultè, ab invito Domino, aliquid " aufertur, sed etiam cùm aliquid contra voluntatem scientis Domini possideatur." (*Ibid.*)

(4) " Non concupisces domum proximi tui.. nec omnia quæ illius sunt." (Exod. xx. 17.)

dandæ sanctionis memoriam primis fidelibus replicabat Gentium Magister ad Corinthios scribens: *Vos injuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus! an nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare....Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt*(1).

Quo fato contigit, ut cœlestia hæc documenta, nostrâ ætate adeò obliterata videantur? Quo fato contigit, ut absurda pecuniarum cupiditas omnia evertat et perdat? Ut propter pecunias, deliramentum multis et fabulæ omnia videantur(2), et Dei præcepta, et intentatæ ab illo minæ, et ea ipsa lex quæ innata mentibus omnium hominum eos indesinenter admonet, *ne, quod sibi fieri nolunt, alteri faciant?*

Immanis admissa est iniquitas: sua innumeris legitimis Dominis Bona, contrà fas omne, rapta sunt ac veno posita: non defuerunt, eheu! qui Bona hujusmodi acquirerent! atque ad calamitatis cumulum accidit, quod non desint qui, cupidis emptoribus placentia dicentes, suadeant tam malè partorum possessionem licitè posse retineri.

Quoniam vero ministerii nostri ratio postulat ut illibatum custodiamus depositum non fidei solius, sed etiam Evangelicæ morum doctrinæ, in quâ, velut in firmissimo fundamento innixus, recumbit omnis ordo socialis, non possumus quin tam pernisiosæ regularum æquitatis adulterationi, contentâ voce, RECLAMEMUS.

Atque hanc officii nostri partem explentes, ducem sequimur Sanctitatem Vestram: scilicet, procellosis temporibus quæ, haud ità pridem, ipsimet Sanctitatis Vestræ temporali ditioni incubuerunt, similes in eâ factæ sunt Bonorum, quæ etiam *Nationalia* dicta fuerant alienationes.

(1) 1 Cor. vi. 8—10.

(2) " O absurdam pecuniarum cupiditatem! Quoniam omnia evertit et " perdidit. Omnia deliramentum multis et fabulæ propter pecunias existi- " mantur." (S. Joann. Chrysost. Hom. xvii. in cap. vi. Epist. 1. ad Cor.)

nationes. His autem ad examen adductis, Sanctitas Vestra solemni edicto declaravit memoratorum Bonorum Emptores licitè non posse ea retinere, nec ullum in eadem dominii, seu *proprietatis* jus exercere, eo quod utrumque, cùm publici ordinis, tùm justitiæ privatæ regulis adversetur(1).

Congeries Bonorum ad Ecclesias et Pia loca non spectantium, quæ in Galliâ *Nationalia* dicta sunt, constat ex Bonis Gallorum valdè multorum inter quos alii, insontes licèt, ad extremum supplicium rapti sunt: alii ab anno 1789, patriâ cessêre, perfugium apud exteras nationes quæsituri: nonnulli demùm quamvis, ab illâ epochâ, nunquàm extra Galliæ limites exierint, errore tamen vel dolo, in fatali *Emigratorum*, ut aiunt, *Indice* fuerunt inscripti: nec non ex Bonis quorumdam alienigenarum, qui dùm possessiones habebant in Galliâ, alias quoque possessiones, et probatum simul habebant sub aliâ ditione domicilium: nonne autem hæc ipsa notio elementorum ex quibus conflatur dicta congeries, statim ostendit hanc aliud esse non posse præter iniquissimum rapinarum acervum?

Quis nescit totam, quâ patet, Galliam nefandis horruisse tribunalibus, queis insidebant judices iniquitatis, ut

(1) La Santità di Nostro Signore Papa Pio Settimo intimamente persuasa, su le basi piu solide del diritto publico ecclesiastico e profano che niun' diritto di recupera, o di ritenzione competa a' quelli, i quali, nell' epoca delle notorie passate vicende acquistarono i fondi publici conosciuti sotto il nome di Beni nazionali, e sequendo anche il sentimento della S. Congregazione deputata sopra questo oggetto, con editto del 9 Luglio 1801, ha conservata sempre inalterabile la massima di non potere ammettere ai Sudetti l'esercizio di alcun' diritto fondiario sopra i medesimi Beni come contrario alle regole della ragione publica, e della privata giustizia.

Editto dato dalle Stanze del Quirinale, questo di 24 Ottobre 1801.

In Roma, presso Lazzaroni Stampatore della Reverenda Camera Apostolica.

ut subministratos sibi proscriptionum Catalogos, in capitalia judicia converterent? Tunc cædibus maduit infelix tellus; *quippe in eâ sanguinem effuderunt tanquam aquam*(1): *et cecidit morticinium hominis quasi fœnum post tergum metentis*(2).

Verùm tot cædium auctores ipsi pervulgaverunt innocentiam eorum quos tortoribus tradebant crudeliter enecandos: cùm enim viros sanguinum dicere non puduerit, se, funera funeribus cumulando, ærarium implere(3), ex suo ipsomet ore judicati sunt, testimoniumque tulerunt contra semetipsos, confessi nimirùm tot quas immolaverunt victimas, sceleris in loco fuisse eas quibus potiebantur facultates.

Nec tamen satisfuit, si eorum Bona occuparentur, qui insontes rapti fuerant ad necem: sed quoniam Galli valdè multi quò se subducerent furoribus quorum patria tellus sedes evaserat, et queis ipsi impetebantur, sicque horrendos imminentium sibi periculorum casus vitare conarentur: quò etiam possent nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ, sed sacratissimis perseveranter defungi officiis, perfugium, sicuti suprà dictum fuit, perfugium apud exteras nationes quæsierunt: ut aliquis prætextus haberetur eorum quoque spolia diripiendi, sua hæc illis discessio crimini versa est, cujus in pœnam possessiones eorum fisco addictæ fuerunt: ac nè vel minima harumce possessionum pars avidas effugere posset raptorum manus, undequaque summo studio, efferatâque diligentiâ confecti sunt *Emigratorum*, ut aiunt, *Indices*, iique præterea pro libitu amplificati, inscriptis nominibus plurimorum, quibus non nisi falsissimé affigi poterat ea discessio.

Quis

(1) Ps. ixxviii. v. 3.
(2) Jerem. ix. 22.
(3) Diction. Biograph. et Hist.; Londres, 1800.

Quis perditos homines non horreat proclamantes homicidium titulum esse, vi cujus Homicida dominium acquirat Bonorum illius, cui per summum nefas intulit necem? Quem è contra latet terribile judicium à Deo ipso latum adversùs Achab et Jezabel, posteaquàm impia regina lapidibus obrui fecit insontem Naboth, ut vineam ejus invaderet, suique regii Conjugis cupiditatem expleret? "Factus est, inquit Scriptor Sacer, "sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: surge et "descende in occursum Achab regis Israel qui est in "Samariâ: ecce ad vineam Naboth descendit ut possi-"deat eam: et loqueris ad eum dicens: hæc dicit Do-"minus: *occidisti insuper et possedisti:* et post hæc "addes: hæc dicit Dominus: *in loco hoc, in quo linxe-"runt Canes sanguinem Naboth, lambent quoque san-"guinem tuum...ecce ego inducam super te malum... "quia egisti ut me ad iracundiam provocares*...sed et de "Jezabel locutus est Dominus dicens: *Canes comedent "Jezabel in loco Jezraël* (1).

Simul atque in Galliâ ingravescentem ac in omne scelus ruentem vim quamdam pro autoritate usurpatam conspeximus, et cum eâdem, feralis ac pessimæ instar anarchiæ, universam gentem tot vexationibus, incendiis, carceribus, compedibus, percussoribus, cædibus, sacrilegiis, profanationibus Altarium, Solii eversione, ac dissolutâ omni socialis ordinis compagine, per fas ac nefas oppressit, totius orbis judicio, plenissimè absoluta est *Emigratio:* nec certè unquàm fatebitur recta ratio eos peccasse, et in pœnam admissi sceleris meritò Bonorum jacturâ mulctatos esse, qui patriam fugerunt, ne tantorum facinorum atque immitissimæ tyrannidis participes fierent, aut victimæ cæderent: atque nunc immane habetur et habendum est omni ævo

(1) III. Reg. xxi. 17—23.

ævo latrocinium illud quod tot Gallos spoliavit ac inexpiabile illis præsertim peperit odium, quos incorrupta Deo Regique fides conspicuos ac omni laude dignos comprobavit.

Consultò omittimus verba facere de addictis fisco eorum Bonis, quibus non nisi falsè imputata fuit è Galliâ discessio: in evidentiâ quippe enervandâ laborem consumere videretur, si quis probandum susciperet ex errore vel dolo eorum, qui vicariam iniquæ vi præstant operam, nasci non posse jus in ullius, quicumque sit, possessiones injiciendi manum.

Hæc igitur injectio manûs in Bona ad Ecclesias et Pia loca non spectantia, quæ posteà *Nationalia* dicta sunt, nihil aliud fuit præter violentum facinus, cui omnia jura reclamant: acerbissima nationi universæ facta est injuria, ubi horrendo huic rapinarum acervo nomen illius impositum fuit: qui dicta Bona occupaverunt, eorum Dominium neque sibi, neque Nationi acquisière: neque sibi, neque Nationi peperêre jus de eisdem statuendi: quapropter frustrà eadem veno poni jusserunt: frustrà eadem visi sunt reipsâ vendidisse: nunquam eorum dominium transferri potuit in falsò habitos emptores, juxtà illud, cui nemo refragari potest effatum: *Nemo potest plus juris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur*(1).

Propterea jus dicta Bona possidendi inhæret semper iis, quorum legitimè et erant, et sunt: illorum quidem nunc possessionem habent falsò opinati emptores, sed possessionem duntaxat facti, quæ nihil est, nisi rei alienæ iniqua detentio, cui proindè finem imponere penitùs debent, ita ut ad id præstandum statim atque præstare poterit, strictissimè teneantur. Certò quippe certius est *ipsam restitutionem externam (rei alienæ) necessariam esse*

(1) Reg. Jur. in 6°., Reg. lxxix.

esse ad salutem, si facultas suppetit....Non restituere, cùm possis, est voluntariè nocere et facere injuriam proximo (non restituendo enim noces proximo; nam impedis illum à possessione et usu rei suæ): atque necessarium est ad salutem, ut nemini voluntariè noceamus, aut injuriam faciamus(1).

Atque falsò opinatos Bonorum quæ aguntur emptores strictissimæ hujus obligationis videntur indesinenter admonere Bona ipsa quæ ab illis injuriâ possidentur: singulis enim his falsò opinatis emptoribus aptissimè accommodari possunt ista Prophetæ verba: *Væ ei qui multiplicat non sua, usquequò et aggravat contrà se densum lutum....quia lapis de pariete clamabit, et lignum quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit*(2). Sanè in alienis, ubi, contrà fas, habitant domibus, lapis de pariete clamat, et lignum quod inter juncturas ædificiorum est, respondet: " non vobis hîc collata sumus: hîc artificis manu disposita fuimus, ut suum legitimo Domino pararetur habitaculum: tædetque nos vestro nunc usui esse, dùm ille forsàn vix habet, jam ubi possit reclinare caput."

Præsertim verò ejusdem officii explendi summam necessitatem docet illos Evangelium(3), cui si tantisper aurem præbere voluerint, ab eis qui ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo loquuntur(4) sibi dictum audient: " O qui terrenarum rerum abrepti cupidine, aliena obfirmatè detinetis Bona, quorum iniqua et irrita venditio dominium in vos transferre non potuit, recogitate reddendam aliquando rationem, non hominibus, sed Deo Judici, qui *non accipiet personam in pauperem*(5)."

Nunc

(1) Lessius de Injur. et Restit. l. 2. c. 7. dubit. 10.
(2) Habacuc. 11. 6—11.
(3) Coloss. 1—5.
(4) 2 Cor. 11. 17.
(5) Eccles. xxxv. 15—16.

Nunc verò si, cùm justitiæ leges periclitantur, sedulò obmutescat vox illa quæ ex Sede Vestrâ Pontificali per totum personat Christianum orbem, quis malum cohibeat ex hâc ortum decisione de quâ apud Sanctitatem Vestram non conqueri non possumus, et quæ sic se habet :

Requisiti....Ecclesiastici viri à possessoribus Bonorum nationalium (ad Ecclesias et Pia loca non spectantium) an illa retinere possint? ne pax publica et socialis ordo perturbentur, respondere tenentur : " neminem adversari " posse vigentibus supremi gubernii legibus quoàd ipsa la-" tis ; et consequenter ipsos eorumdem Bonorum posses-" sionem retinere posse :" eamque vulgaverunt nonnulli juxtà Conventionem nominati Episcopi, eamdem Eminentissimo Sanctitatis Vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ de *latere* Legato adscribentes, et ex ejus præscripto agere viros Ecclesiasticos, magnâ verborum vi jusserunt, in hunc qui sequitur modum :

" Transmisit ad nos Cardinalis Legatus determina-" tionem super alienatione Bonorum nationalium, quam " vobiscum communicari operæ pretium est....Emi-" nentissimus....vult, omni remoto discrimine presby-" teros interrogatos ab emptoribus Bonorum natio-" nalium, respondere ipsos eorumden Bonorum posses-" sionem legitimè retinere posse(1)."

" Compertum habemus, dilecti adjutores nostri, plures " ex vobis non vereri pertubationem injicere in animos " eorum qui bona nationalia acquisiverunt....affirmant " illi dictorum bonorum possessionem non esse legi-" timam, eà in dominum fuisse usurpata, esse malè " parta, eorum proindè possessionem, extrà crimen, re-

" tinere

(1) *Extractum ex epistolâ D. Cambacérès (Archiepiscopi Rhotomagensis juxta novam circumscriptionem nuncupati) varia documenta continente ad viros Ecclesiasticos dictæ diæcesis spectantia.*

V. Diarium Francofordiense. Sabb. 6 *Novembris* 1802.

" tinere non posse....Querelæ istæ eò nos vehementiùs
" affecerunt, quod sensa presbyterorum qui istis occa-
" sionem præbuerunt, indicant eos duci opinionibus quæ
" legibus Ecclesiæ ac Statûs sunt adversa, zeloque abripi
" immodico qui non est secundùm scientiam. Attamen
" transmisimus vobis in rescripto Legati de latere ser-
" vandam à vobis agendi regulam ergà emptores bono-
" rum nationalium. Jure sanè ac meritò sperandum à
" nobis fuit fore ut ex hujus regulæ prescripto vos ge-
" reretis....magnoperè dolet nos, quod hanc viola-
" tionem legum Ecclesiæ et statûs exprobrare cogimus
" presbyteris quorum est exemplum obsequii præstare.
" Officii nostri ratio, et ad sapientiæ leges composita
" nostra sentiendi norma non sinunt nos de tali agendi
" modo tacere diutiùs...Vobis igitur declaramus fu-
" turum ut viris Ecclesiasticis qui ex præscripto legum
" Ecclesiæ et Statûs deinceps non se gerent, nulla sit
" amplius apud nos fides; iidemque pœnas incurrant,
" quas ab ipsis repetere gubernium non omittet."

" † P.F., Metis, 15 Februarii, anni Domini 1803, 26
" Pluviosi, anni XI Reipublicæ(1)."

Quinimò hanc decisionem Sanctitatis Vestræ autoritate firmatam finxit D. Rousseau (ex novâ circumscriptione dictus Episcopus Constantiensis) epistolâ ad quemdam bonorum laicorum emptorem, ejus sententiam de hâc re exquirentem, his verbis delineatâ :

" Cautiorem tuam, Domine, veneror conscientiam,
" nihilque mihi longiùs est quàm ut eam sollicitudine
" liberem.

" Summus Pontifex declaravit bonorum nationalium
" emptores, legitimos eorumdem esse possessores. Iis,
" itaque legitimè et quieto animo, frui licet.

" Subscriptus

---

(1) *Epistola D. P. F. (Episcopi Metensis, juxtà novam circumscriptionem, nuncupati.)*

" Subscriptus † Claudius Ludovicus, (Ep. Constan-
" tiensis, juxtà novam circumpscritionem nuncupati)."

" Constantiis Castris, 9 Pluviosi, an XI."

Quis tamen, eitrà sensum doloris acerbissimum, considerare animo posset, quot et quanta mala jam pepererit memorata determinatio?

Remordentis conscientiæ stimulis admoniti, plures ex eis qui Bona dicta nationalia (ad Ecclesias et Pia loca non spectantia) emerant, legitimorum jura agnoverant Dominorum: propè erat ut justitia et pax invicem oscularentur, cùm ex improvisò, de quâ agitur determinatio, mentes meliora sentientes mutavit, conscientiæ verbera detersit, omnemque extinxit justitiæ notionem. Emptores enim Bonorum nationalium (ad Ecclesias et Pia loca non spectantium), auditâ semel hâc determinatione, quæ eorum cupiditati blanditur, hanc habuerunt ad instar oraculi alicujus, quo semel edito, absque ullâ Religionis sollicitudine poterant dietorum Bonorum possessionem retinere. Legitimi verò Domini eâ spe frustrati quam conceperant, nimis eheu! senserunt hâc eâdem determinatione, summam sibi referri perniciem; quippè quibus illa præripiebat id, quod sibi manu jam prensare videbantur, miserrimæ sortis levamen. Quapropter funesta illa determinatio simul in causâ fuit, cur alii quidem retraherentur à justitiæ semitis ad quas redibant: alii verò in eis è quibus prope modum emersuri erant, paupertatis angustiis detinerentur(1).

Quibus

(1) Miserrima hæc jam satis aliundè comperta, probantur nominatim epistolâ quam ad Summum Pontificem direxerunt *Emigrati* laici plures, ut justas profectò apud Suam Sanctitatem querelas instituerent: hâc nimirùm in epistolâ sic legitur: "Remanebat adhuc scintilla justitiæ cordibus eorum " qui opes nostras acquisivêre..jam jam complures scribunt compositionem " proponentes..sicque luxit oculis nostris spes, quod transactionibus oblatis, " partem aliquam facultatum recuperantes, possemus..nostris..necessitati- " bus subvenire..sed procul recessit quæ nobis erat tàm grata expectatio, " cùm nuperrimè declaravit non ampliùs de legitimâ Bonorum possessione " disputandum,

Quibus tamen infirmis fulcitur rationibus determinatio non sanæ minùs inimica doctrinæ, quam suo in futurum exitu damnosa!

Prætenditur quidem hanc necessariò ineundam fuisse viam, *ne pax publica et socialis ordo perturbentur.* Cui autem sano rerum æstimatori persuasum unquàm erit, perturbatam fore pacem publicam, perturbatum iri socialem ordinem, eo quod Religionis minister requisitus à possessore Bonorum de quibus agitur, an illa retinere possit, solus soli responderet: "dominium horumce "Bonorum in te neque translatum fuit, neque potuit "transferri: eorum quippè non erant à quibus veno "posita sunt: absque titulo ea possides, nec sine magno "legitimi Domini detrimento: eorum quidem posses-"sionem penès te, et à te causam habentes, immotam "fore decernunt gubernii leges: hanc si retineas, nihil "habes quod nunc ab humano metuas judicio: sed "aliud est in cœlo tribunal formidandum magis: qui "illi insidet, secundùm alias leges judicat: juxta leges "istas, quæ ab æternâ justitiâ exierunt, dicta Bona ac-"quirendo peccasti: et in peccato perseveras, quamdiù "eadem, invitis legitimis Dominis, detines: ecquî fieri "potest ut hos, placido corde, videas cum egestate con-"flictentes? Si tuam salutem operari velis, pœniteat "te emptionis illicitæ simul et irritæ: altâque mente "repositum habens istud sapientis oraculum: *non pro-"derunt divitiæ in die ultionis, justitia autem liberabit à "morte,*(1) injustam possessionem ociùs abjice."

Quis

" disputandum, nec sacerdotes posse sub prætextu injustæ detentionis abso-" lutionem denegare..quod si talis sententia vigere possit, Sanctissime " Pater, nemo sapiens non videt quod, spretis Dei mandatis foret hoc verum " dicere, sicut et philosophi novatores; *felix crimen desinit esse crimen.* " Itaque, tantâ injuriâ percussi, pedibus Vestræ Sanctitatis humiliter devo-" luti, Eam deprecamur, ut non sinat talem stare sententiam."

(1) Prov. xi. 4.

Quis è contrà non percipit Altarium ministrum sic admonentem atque exhortantem Religionis ipsius operam accommodare ad conservandam pacem publicam, ordinemque socialem utilissimè juvandum, quandoquidem pax nunquàm viget firmior ac stabilior, nusquàm socialis ordo florescit magis, quàm ubi regnum optimè stabilitum exercet justitia?

Faxit igitur Deus Optimus, Maximus, ut nulli viri Ecclesiastici ex hujus determinationis præscripto se gerant: sed omnes potiùs sedulò vitare curent periculosum scopum, quem manifestè signant memoranda ista Sanctorum Augustini et Isidori Hispalensis verba.

" Illud verò fidentissimè dixerim, eum qui pro homine " ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, et qui ad se " confugientem, quantùm honestè potest, ad restituen- " dum non compellit, *socium esse fraudis et criminis*. " Nàm misericordiùs opem nostram talibus subtrahimus " quàm impendimus: non enim opem fert qui ad pec- " candum adjuvat, an non potiùs subvertit, atque op- " primit(1)."

" Multi præsules Ecclesiarum, timentes ne amicitiam " sæcularium perdant, et molestiam odiorum incurrant, " peccantes non arguunt, et corripere pauperum op- " pressores verentur: nec pertimescunt de severitate " reddendæ rationis(2)."

Jam, Beatissime Pater, principia ac jura proprietatis, quantâ et qualicumque ab iis descitum fuerit aberratione, ad sacras justitiæ et æquitatis leges reduximus, atque in integrum restituimus. Nec cùm hoc perfuncti sumus officio, alia nostra mens fuit, quam ut delusos deviosque à rectâ conscientiâ homines tempestivo et salutari perculsos metu, ad eam adduceremus spem, quæ sola vera, quæ

(1) S. Aug. Epist. ljv. ad Macedon.
(2) S. Isidor. Hispal. l. 3. Sent. c. 46.

quæ sola firma est, cùm purâ et inconcussâ innitatur fide, quam semper comitatur ac sequitur.

Proh Deum immortalem! quin ergò homines illi ad sanctissimam Religionem confugiunt? Quin fidenti animo amplectuntur eam, quâ afflante et ducente, æterna ipsis veri rectique fundamina revocavimus? Religio enim illa, quâ, quod æquum, quod jus fasque perhibetur, inviolabili, absoluto, nec unquàm delendo jubet imperio, ea ipsa est, quæ eâdem divinâ voce moderationem docet et temperantiam, quæ permulcere et regere animos, quæ iras inter aversos componere, quæ denique fraternos in mortalium pectoribus alere et fovere affectus nunquàm desistit. Nec tantùm ad peritura hujus vitæ Bona abjicienda et spernanda suos illa instituit, verùm etiam huic obsequio et abstinentiæ præmium addidit omnibus terræ opibus et divitiis longè anteponendum. Si verò Sacerdotibus illa suis et Christianæ plebis Pastoribus eam imponit legem, ut alios de iis omnibus quæ ad fas vel nefas attinent, sine ullâ dissimulatione, audacter et præfactè commoneant, eosdem non leviore nec minùs arcto impellit officio, ut alios Christianam caritatem edoceant, atque injuriarum oblitos mutuæ benevolentiæ vinculo consociare contendant; alios denique, et hoc præsertim erudiant, nihil non paci, nihil non concordiæ atque animorum conciliationi condonare. Hæ cùm, mutuo atque unanimi omnium consensu, excoluntur virtutes, multis solatium et compensationem afferet fraternæ moderationis consuetudo: multi rectæ mentis sibi conscii quid possident, hoc quietè placidèque securi perfruentur: cæteri verò omnes quoddam indè haurient oblectamentum, quoddam necessitudinis et conciliorum fœdus, cujus ope solâ patriæ nunc miserrimæ fausti iterùm fortunatique dies possint illucescere, et sub gemino justitiæ ac legitimæ autoritatis præsidio pristinus ordo ac pristinus honos resurgant, et regni tàm desiderata felicitas tandem redux, tandem rediviva per longissimam inter

nos

nos annorum seriem, perpetuumque in ævum sine ullâ intermissione protrahatur.

Supcrest nunc, Beatissime Pater, ut Sanctitati Vestræ significemus immensum quo percellimur dolorem, dùm intelligimus gubernium, quîcum Vestra Sanctitas iniit Conventionem die 15 Julii 1801, nedùm quidquam præstiterit ad sananda vulnera quæ sanctissimæ nostræ Religioni imposuerunt *articuli* dicti hujus conventionis *organici*, novas è contrà eidem Sanctissimæ Religioni indesinenter inferre plagas, et nominatim intulisse, proponendo quidem primùm, deinde autem pervulgando varia constituta ad matrimonium pertinentia, quæ habentur in legibus VI et VII. novi Codicis civilis.

1°. Quidem sancta et universalis Tridentina Synodus veram tradens de sacramento matrimonii doctrinam " adversùs quam impii homines...insanientes, non " solùm perperàm de hoc venerabili Sacramento sen- " serunt, sed, et de more suo, prætextu Evangelii, " libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ " sensu, et ab Apostolorum probatâ consuetudine aliena, " scripto et verbo asseruerunt, non sine magnâ Christi " fidelium jacturâ...insigniores prædictorum schisma- " ticorum hæreses et errores...exterminandos duxit, " hos in ipsos hæreticos eorumque errores decernens " anathematismos(1)."

" Si quis dixerit eos tantùm consanguinitatis et affi- " nitatis gradus, qui levitico exprimuntur, posse impe- " dire matrimonium contrahendum et dirimere con- " tractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum " dispensare, aut constituere ut plures impediant et " dirimant, anathema sit(2)."

" Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere

" impedimenta

(1) Conc. Trid. sess. xxiv. *Doctrina de Sacramento Matrimonii.*

(2) Conc. Trid. sess. xxiv. Can. iii.

" impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis
" constituendis errasse, anathema sit(1)."

" Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus consti-
" tutos, vel regulares castitatem solemniter professos,
" posse matrimonium contrahere, contractumque vali-
" dum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto...
" anathema sit(2)."

" Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare
" ad judices Ecclesiasticos, anathema sit(3)."

Eademque Sancta Synodus celebre istud edidit decretum:

" Qui aliter quâm præsente Parocho, vel alio sacer-
" dote de ipsius Parochi seu ordinarii licentiâ, et duobus
" vel tribus testibus, matrimonium contrahere attenta-
" bunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum om-
" ninò inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos
" et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto
" irritos facit et annulat(4)."

Cujus decreti sententiam evolvens Benedictus Papa XIV scripsit:

" Ubicumque promulgatum sit Concilii Tridentini
" decretum de reformatione matrimonii, cap. 1, Sess.
" XXIV, ibi nulla prorsùs atque in omni ratione irrita
" esse conjugia, aliter quam coram alterutrius con-
" trahentium legitimo parocho, aliove sacerdote parochi
" vices agente, et duobus testibus celebrata...etenim
" qui, præter formam à se prescriptam, matrimonium
" contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus, non
" sacramentum modò, sed contractum ipsum irritum
" disertè pronuntiat: atque, ut ejus verbis utamur, *eos*
" *ad*

(1) Conc. Trid. sess. xxiv. Can. iv.
(2) Conc. Trid. sess. xxiv. Can. ix.
(3) Conc. Trid. sess. xxiv. Can. xii.
(4) Conc. Trid. Decret. de Reform. Matrim. Cap. I.

" *ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: et hujus-*
" *modi contractus irritos esse decernit*(1)."

Attamen gubernium quîcum Sanctitas Vestra Conventionem iniit, primùm quidem in ordinem legum referenda proposuit, deindè verò in ordinem legum relata pervulgavit ea quæ sequuntur constituta, excerpta ex lege VI novi Codicis civilis, titulo V de matrimonio.

Art. 156. " In lineâ collaterali, Matrimonium prohi-
" betur inter fratrem et sororem, sive legitimos, sive
" nothos et affines in eodem gradu."

Art. 157. " Prohibetur quoque Matrimonium inter
" Patruum vel Avunculum et Filiam Fratris vel Sororis;
" et inter Amitam vel Materteram et Filium Fratris vel
" Sororis."

Art. 158. " Gubernium tamen poterit, gravibus de
" causis, auferre prohibitiones in articulo præcedenti
" memoratas."

Art. 159. " Matrimonium palam celebrabitur coràm
" *Officiali civili* domicilii alterutriùs partis(*a*)."

Et

(1) Litt. Apost. Bened. XIV. ad Paulum Simonem à Sancto Joseph, ex Carmelitarum discalceatorum familiâ, in Belgio fœderato missionarium, 17 Septemb. 1746.

(*a*) *Officialis Civilis*, in Galliis, *celebrat Matrimonium*, hæc verba faciendo: " *Vos estis conjuncti, in nomine Legis*,"—Legis, scilicet *Atheismi* et *Atheorum*, ut id publice exprobratum fuit *Cœtui Deputatorum*, Parisiis, 14 Martii, 1818. At, *in hâc celebratione*, nihil equidem agitur de Deo, nisi quòd pars hujus formulæ, *in nomine Legis*, imitetur, sacrilegio bellico contrà Deum, formulam Ecclesiæ; *Ego Vos conjungo, in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sti*...

Porrò Concordatistæ Pastores promiserunt (id quod accuratè exequuntur) se nunquàm daturos *Benedictionem nuptialem*, quin priùs certiores fuerint facti *de civili Matrimonio contracto*, id est, *de Matrimonio Atheorum*. Exindè, igitur, manifestè probatur Complicitas Concordistarum Pastorum cum Atheis istiûs ævi....

Jàm, contrà cessionem Bonorum Ecclesiasticor. Spoliatoribus factam, Episcopi legitimi dixerunt, p. 32. *Continuationis Expostulationum*, " Nihil
" simile unquàm contigisse memorant Annales Religionis!" Sed hic addendum,

dum,

Et Orator Gubernii, hujus nomine concionatus, hæc verba facit :

" Matrimonia celebrabantur olim coram proprio contrahentium parocho, qui simul erat minister contractûs nomine imperii, et minister sacramenti nomine Ecclesiæ : ista confusio in facultatibus, confusionem peperit in notionibus et sententiis : quidam theologi arbitrati sunt, et etiam nunc arbitrantur, nulla esse vera matrimonia, nisi quæ fiunt in facie ecclesiæ : abit hic error in exitus pessimos ; contingit enim ut conjuges delusi, vel non satis edocti, observationem legum Reipublicæ non curent, matrimonium contrahant coràm presbytero, nullatenùs se sistentes coràm officiali civili : sicque conjunctionibus à lege non probatis, in discrimen adducant statum prolis suæ, nec non firmitatem contractuum quos ipsi ineunt...Generatim societatis est matrimonia ordinare...est matrimonium contractus qui ad instar cæterorum omnium contrac-" tuum,

---

dum, " Nihil similius potest-ne contingere *novissimis*, quæ nuntiata sunt, " *temporibus Seductionis, et Apostasiæ universæ, atque Operationis erroris* " *iis qui non diligunt Veritatem ?* (Vid. Commentatores Apoc. qui aiunt, " *Bestiam* esse Populum infidelem ; *Imaginem* verò *Bestiæ* esse simulatio- " nem eorum, qui cùm Fidem profiteantur, infideliter tamen vivunt, id est, " cum iis qui non habent Fidem)." (*Cornel. à Lapide*, Comment. in Apoc., c. xx. p. 291, col. 1 sub fin.)

" Vid. Instructionem Pastoral. Episcopor. Gallican. 48, Ann. 1798, Typis denuò excusam, Ann. 1819 Bisuntio, (gallicè, à Besançon) ; Ibi deferunt, pag. 143, " *Prospectum* Associationis *Atheorum* Hominum *publicè* fuisse " Typis vulgatum : Qui inibi inscribuntur peritissimi sed perditissimi Homi- " nes sese obstringunt possibilia iis omnia impendere media, quibus, *ullà* " *absque violentià*, eradicetur de mente aliorum Hominum, *Errorem*, inquiunt " *fatalem* Existentiæ Dei."

Non ergo mirum, si resonavit *publicè* istud horrendum Dictum : " *Lex* " *Athea est ; est, et esse debet*,"....si totus quantus est *Libellus*, licet decoratus cum nomine, *Codex civilis*, *sit Atheus*. Pro certo, *qui fecerunt Eum* sunt Athei, sicut *qui consentiunt facientibus* Complices sunt Atheorum.

" tuum, obnoxius est potestati sæculari ad quam solam
" pertinet statuere de contractibus...manifestum igitur
" est vetitum esse debere *ministris cultûs, ne administrent*
" *sacramentum matrimonii, quoties ipsis compertum non*
" *fiet matrimonium jam fuisse civiliter contractum.*(1)"

Idemque Orator, eodem pariter nomine, vice alterâ concionatus, præstereà dixit :

" Horror incestus fratris et sororis, et affinium in eo-
" dem gradu, manat è principio publicæ honestatis....
" eædem publicæ honestatis rationes impulerunt nos ad
" prohibendum matrimonium inter fratrem patris vel
" matris et filiam fratris vel sororis; inter sororem pa-
" tris vel matris, et filium fratris vel sororis...Leges
" Romanæ et Ecclesiasticæ longiùs proferebant prohi-
" bitionem matrimonium ineundi inter consanguineos.
" Leges Romanæ matrimonium prohibuerant inter pa-
" trueles et consobrinos.. . .sensim sine sensu canonistæ
" hanc prohibitionem ad remotiores gradus extende-
" rant...hunc errorem emendavimus...ne arbitrati qui-
" dem sumus matrimonium prohibendum esse inter pa-
" trueles et consobrinos...non dubitavimus gubernio
" tribuere jus concedendi dispensationes (matrimoniales)
" ubi sic fieri cogunt adjuncta rerum...in veteri juris-
" prudentiâ concedebantur eæ dispensationes à minis-
" tris Ecclesiæ : sed, quoàd istud caput, in iis omnibus
" quæ spectant contractum, non erant Ecclesiæ ministri,
" nisi vices gerentes potestatis temporalis..pronuntia-
" tum est indubitatum, impedimenta dirimentia non
" posse constitui, nisi à potestate quæ regit impe-
" rium. Quando institutiones Religiosæ et institutiones
" civiles conjunctæ erant, nihil obstabat quominùs Ec-
" clesiæ permitteretur jus concedendi dispensationes
" etiam-

(1) *(Relatio civis Portalis, super articulis organicis conventionis.)*

" etiam quoàd contractum : verùm jus illud non vige-
" bat, nisi quia probatum erat vel toleratum à lege ci-
" vili...Lex civilis...redire debuit in exercitium juris
" concedendi dispensationes ex quo contractus matri-
" monialis sejunctus fuit ab iis omnibus quæ ad sacra-
" mentum attinent : si ministri Ecclesiæ possunt ac de-
" bent invigilare sanctitati sacramenti, sola potestas
" civilis jus habet invigilandi firmitati contractûs : re-
" servationes et cautiones quibus uti possunt Ecclesiæ
" ministri, ut curent id quod Religiosum est, nequeunt
" in ullo casu, nec ullo modo influere in matrimonium
" quod, in se, est res temporalis : *hinc susceptio sacro-*
" *rum ordinum, votum monasticum, et cultûs disparitas*
" *quæ, in veteri jurisprudentiâ, erant impedimenta diri-*
" *mentia, talia jam non sunt :* impedimenta dirimentia
" non evaserant, nisi vi legum civilium quæ prohibe-
" bant matrimonia mixta, et accedente potestate coac-
" tivâ, sanciverant præscriptiones Ecclesiasticas perti-
" nentes ad cælibatum presbiterorum sæcularium et
" regularium : impedimenta dirimentia desierunt, ex
" quo libertas conscientiæ ipsa evasit imperii lex(1)."

Jàm verò tot jurium Ecclesiæ invasiones, tot doctrinæ ejus impugnationes, tot denique disciplinæ ejus disturbationes, *vibrata totidem contra Catholicam Religionem tela, quàm malè consonant intentæ à Sanctitate Vestrâ, ipsique promissæ felici Sanctissimæ nostræ Religionis in Galliâ restitutione !*

2°. Dominus noster Jesus-Christus matrimonium revocans ad id quod fuit ab initio, hanc edidit inhibitionem : *Quod...Deus conjunxit, homo non separet*(2).

Deindè qui Evangelium ab homine neque accepit, neque

(1) *Rationes sextæ legis expositæ à Consiliario Statûs Portalis : Cod. civ. Tom.* 1. *Paris, an. XI.*—1803.

(2) Marc. x. 9.

neque didicit, sed per revelationem Jesu-Christi(1) divus Paulus scripsit ad Romanos: " Quæ sub viro est " mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mor- " tuus fuerit vir ejus, " soluta est à lege viri: igitur " vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio " viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est " à lege viri; ut non sit adultera si fuerit cum alio " viro(2)."

Idem Apostolus scripsit ad Corinthios:

" Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, " non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: " quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo re- " conciliari; et vir uxorem non dimittat(3)."

Denique Concilium Tridentinum Catholicam de matrimonii Sacramento Doctrinam exponens, habet:

" Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum " primus humani generis Parens, divini Spiritûs in- " stinctu, pronuntiavit, cùm dixit: *hoc nunc os de os-* " *sibus meis et caro de carne meâ; quamobrem relinquet* " *homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ,* " *et erunt duo in carne unâ.* Christus Dominus...ejus- " dem nexûs firmitatem, ab Adamo tantò antè pronun- " tiatam his verbis confirmavit: *quod ergo Deus con-* " *junxit, homo non separet*(4)."

Atque idcircò Sacrosancta Synodus Canones edidit quæ sequuntur:

" Si quis dixerit propter...molestam cohabitationem, " aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse " matrimonii vinculum, anathema sit(5)."

" Si

(1) Gal. i. 12.
(2) Rom. viii. 2. 3.
(3) 1 Cor. vii. 10. 11.
(4) Conc. Trid. Sess. xxiv. *Doctrina de Sacramento Matrimonii.*
(5) Conc. Trid. Sess. xxiv. Can. v.

" Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuerit et " docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, " propter adulterium alterius conjugum, matrimonii " vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam " innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse, " altero conjuge vivente, aliud matrimonium contra- " here, mæcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam " duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit, " anathema sit(1)."

Attamen Gubernium quîcum Sanctitas vestra Conventionem iniit, primùm quidem in ordinem legum ex quibus constat novus Codex civilis, referenda proposuit, deindè verò in ordinem earum legum relata pervulgavit Constituta sequentia, queis inducitur matrimonii rescissio pluribus de causis, sive determinatis, sive indeterminatis.

Art. 147. (Excerptus è sextâ lege novi Codicis civilis, Tit. v. Codicis de matrimonio, cap. 1.) " Non potest " contrahi secundum Matrimonium, antè dissolutionem " primi."

Art. 223. (Hic et sequentes articuli excerpti sunt è septimâ lege novi Codicis civilis, Tit. vi., Codicis de Divortio, cap. i. iv. et v.

" Maritus poterit postulare pro divortio, propter " Adulterium Conjugis suæ."

Art. 224. " Uxor poterit postulare pro Divortio propter Adulterium Mariti sui, quando ille habuerit Con- " cubinam in domo communi."

Art. 225. " Conjuges vicissim postulare pro Divortio " poterunt, propter excessus, sævitias, aut gravia pro- " bra unius adversùs alterum."

Art. 226. " Condemnatio unius Conjugis ad pœnam " infamantem, alteri erit causa Divortii."

Art.

(1) Conc. Trid. Sess. xxiv. Can. vii.

Art. 227. " Consensus mutuus et perseverans Con-
" jugum expressus, eomodo, quem lex præscribit, sub
" conditionibus et post probationes quas determinat, sa-
" tis evincet vitam communem illis esse intolerabilem :
" atque existere ergà illos peremptoriam divortii cau-
" sam."

Art. 289. " Conjuges qui divortium, quâcumque de
" causâ facient, jam non poterunt ad se mutuò re-
" verti."

Art. 304. " Quando sejunctio corporalis decreta,
" propter quamlibet causam ab uxoris Adulterio diver-
" sam, tribus annis duraverit, conjux qui, ab initio reus
" erit, poterit pro divortio postulare apud Tribunal,
" quod petitioni annuet; nisi Conjux alter qui, ab initio
" Actor erat, tunc præsens, vel ritè vocatus, præstito
" tamen consensu, sejunctioni finem imposuerit."

Et Orator Gubernii, ejus nomine rationes evolvens hujus septimæ legis, ista verba fecit :

" Non oportet divortio mali notam inurere, si possit
" esse remedium quandoque necessarium...in malis
" physicis, artis medicæ peritus cogitur aliquando mem-
" brum unum abscindere, ut corpus ipsum servet : sic
" legislatores divortium admittunt, ut malis gravioribus
" obstent : utinam bonis constitutis, possimus quondam
" illius usum inutilem efficere ! Bonis quidem legibus,
" verùm præclaris etiam exemplis fit ut publici mores
" corrigantur et emundentur : non sermo solus expur-
" gandus est : curandum ut in actus erumpat morum
" disciplina : honorificetur matrimonium : nomen et
" titulus conjugum habeantur in veneratione : refor-
" mata publica opinio pari afficiat ignominiâ et eos qui
" seducunt et eos qui fidem frangunt : tunc forsan di-
" vortio nobis opus jam non erit : intereà verò cavea-
" mus ne remedium propellamus quod præsens morum
" nostrorum

" nostrorum conditio sæpiùs adhuc facit esse neces-
" sarium(1)."

Errasset itaque Christus, matrimonii vinculo pristinam restituens, ad omne tempus firmitatem indissolubilem!

Densis idolatriæ tenebris obsita tellus erat, eademque scelerum quorumlibet colluvie fœdata, *cum Deus scientiarum Dominus* (2) *cujus in conspectu non est ulla creatura invisibilis, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt* (3), *qui novit omnia, antequàm fiant* (4) connubiale fœdus deinceps indissolubile futurum decrevit, sicut fuerat ab initio (5).

Verùm si memorato Oratori fides: *dùm Christus in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (6) ad perpetuitatem prohibuit, ne conjunctos à Deo conjuges homo separaret, non prospexit profundam illam corruptionis abyssum, in quam aliquando demergendi erant populi qui veri numinis cognitione imbuti fuissent: fore non prævidit ut, elapsis, post vitam ipsius mortalem, octodecim sæculis, corruptela morum grassata inter homines qui se discipulos istius profiterentur, inevitabilem induceret divortii necessitatem: omninòque oportuit sapientiam recentiorum Legislatorum, opus perfectum non habenti hominis Dei legislationi succurrere,

---

(1) *Rationes septimæ legis expositæ à Civi Treilhard* (a), *Cod. civil. Tom. I. Paris, An. XI*—1803.

(2) 1 Reg. 11. 3.

(3) Hebr. iv. 13.

(4) Dan. xiii. 42.

(5) Ait (Jesus) illis (Pharisæis.) " Moyses ad duritiam cordis vestri " permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic." (Math. xix. 8).

(6) Coloss. ii. 9.

(a) *(Iste Treilhard, Leguleius Advocatus, fuerat Gubernii sic dicti Directorii,* ann. 1797, *Unus ex quinque Membris.)*

rere, ac depravationi eorum quibus leges scribunt, remedium adhibere ab Evangelio reprobatum!

Hæc igitur omnia mala intuentes, nec non tot alia quæ nunc silentio prætermittimus adhuc, non possumus quin cum Vestrâ Sanctitate iisdem agamus verbis, quibus olim cum Sanctitatis Vestræ decessore Eugenio III. egit S. Bernardus : *Videsne, Clementissime Pater, quantùm subreptum sit tibi...? Species decepit te...sed jam... exurgat zelus et partes suas viriliter exequatur...Inspiret Deus vobis paternè accipere ista, et respondere bona ad nostram omnium consolationem, qui valdè desolati sumus, et afflicti super vires* (1).

Intereà pronis cernui frontibus, Apostolicam Sanctitatis Vestræ Benedictionem suppliciter flagitamus,

Sanctitatis Vestræ,

Beatissime Pater,

Devotissimi atque obsequentissimi filii,

† ARTHUR-RICHARDUS DILLON, Archiepiscopus et Primas Narbonnensis, Commendator Ordinis Sancti Spiritûs.

† LUDOVICUS-FRANCISCUS-MARCUS-HILARIUS DE CONZIÉ, Episcopus Atrebatensis.

† JOSEPHUS-FRANCISCUS DE MALIDE, Episcopus Montispessulani.

† LUDOVICUS-ANDREAS DE GRIMALDI, Episcopus Comes Noviomensis, par Franciæ.

† JOANNES-FRANCISCUS LAMARCHE, Episcopus Leonensis.

† PETRUS-AUGUSTINUS DE BELBEUF, Episcopus Abrincensis.

† SEBASTIANUS-MICHAEL AMELOT, Episcopus Venetensis.

† HENRICUS

(1) S. Bernard. Epist, cclxx. ad. Dominum Papam Eugenium.

† Henricus-Benedictus-Julius de Béthisy, Episcopus Ucetiensis.

† Seignelaius Colbert, Episcopus Rhutenensis.

† Carolus-Eutropius de la Laurancie, Episcopus Nannetensis.

† Philippus-Franciscus d'Albignac, Episcopus Engolismensis.

† Alexander-Henricus de Chauvigni de Blot, Episcopus Lombariensis.

Stephanus-Joannes Baptista-Ludovicus des Gallois de la Tour, Episcopus nominatus Molinensis.

Londini, 15 *Aprilis* 1804.

FINIS.

Londini: Ex Officinâ Cox, Filii, et Baylis,
No. 75, Great Queen Street, Lincoln's Inn Fields.

1804.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII,

DIVINÂ PROVIDENTIÂ

PAPÆ VII

ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO,

Feriâ secundâ, die XXIX Octobris MDCCCIV,

ROMÆ MDCCCIV.

VENERABILES FRATRES,

Hoc ipso ex loco, Ven. Fratres, initum à Nobis Concordatum cum Majestate Imperatoris Francorum, tunc Primi Reipublicæ Consulis, cum vobis annuntiaremus, gaudium, quo Deus totius consolationis cor Nostrum perfuderat, ob rerum conversionem ad Religionis Catholicæ bonum, in vastissimis illis, et populosissimis Regionibus, ex eodem Concordato secutam vobis communicavimus. Sacra enim Templa inde patefacta, atque ab iis, quas miserè subierant, profanationibus mundata, excitatæ Aræ, elatum denuò salutiferæ Crucis Vexillum, verus Dei cultus revocatus, augusta Religionis mysteria liberè, et publicè rursùs celebrata, Pastores legitimi Populis dati, qui suam pascendo gregi operam navare possent, Catholica Religio ex latebris, in quibus delitescere coacta fuerat, feliciter emersa, atque in mediâ illius inclytæ Nationis luce iterùm constituta, tot deniquè animæ à deviis itineribus in sinum Unitatis reductæ, sibique, et Deo reconciliatæ, justissima cordi Nostro exultantis, effusæque in Domino lætitiæ argumenta subministrârunt.

Tantum hoc, tàmque mirificum opus quemadmodùm gratissimos animi Nostri sensus tunc excitavit erga potentissimum Principem, qui ad illud ope Concordati perficiendum omnem suam auctoritatem exeruit; ità ejusdem operis recordatio perpetuos cordi Nostro stimulos admovet, ut, quoties occasio sese obtulerit, iisdem omninò sensibus Nos erga Eum affectos esse reipsa ostendamus.

Jam verò idem potentissimus Princeps, carissimus in Christo Filius Noster Napoleo, Francorum Imperator, qui de Catholicâ Religione, ob ea quæ diximus, tàm præclarè meritus est(*a*), significavit Nobis valdè se cupere Sacrâ

(*a*) Vid. tamen, hæc relata quædam istiûs Napoleonis *publica* Acta et Scripta contrà Religionem Cathol., quorumq. pro certo, Illum nondùm *publicè* pœnituit.

Proclamation du Général Buonaparte, aux Egyptiens et aux Habitants du Caire, 25 Décembre, 1798*.

" Des hommes pervers avoient égarés une partie d'entre vous. Dieu m'a " ordonné d'être miséricordieux envers le Peuple. J'ai été fâché contre " vous, de votre révolte. Je vous ai privé de votre Divan, pendant deux " mois; mais aujourd'huy, je vous le restitue. Votre bonne conduite a " effacé la tache de votre révolte. Sherifs, Ulmas, Orateurs des Mosquées! " Faites connoître au Peuple, que ceux, qui de gaieté de cœur, se déclareront " mes ennemis, n'auront de refuge ni dans ce monde, ni dans l'autre! Y " aura-t-il quelqu'un assez aveugle, pour ne pas voir que Tout, dans ce vaste " Univers est soumis à l'Empire du Destin, et que le Destin dirige toutes " mes opérations?.. Il n'y a qu'un Dieu, qui n'a ni Fils, ni Associé dans son " Royaume.. Les Français adorent l'Etre Suprême, et *honorent le Prophête* " *et son saint Alcoran.. Les Français sont de vrais Musulmans;* il n'y a pas " longtemps

* Priorsùm, ann. 1796, Mense Junio, cùm invaderet in Italiam, notabilem, in pejus, Proclamationem evulgaverat *ad Milites*, quos nuncupabat *libertatis milites*: hæc est:

" Braves Soldats de la Liberté! Derrière ces Montagnes est la Lombardie, " Pays peuplé *d'Aristocrates*, et rempli de richesses immenses; Vous êtes " tous nuds; marchons! et vous aurez du pain, de l'or, et des habits en " abondance." Quo tempore, fœdifragus *istius modi Militibus* non fuit Napoleo Buonaparte.

Sacrâ Unctione perfundi, et Imperialem Coronam à Nobis accipere, ut solemnis hujusmodi Cæremonia Religionis

" longtemps qu'ils ont marché à Rome et renversé le Trône du Pape, qui excitoit les Chrétiens contre les disciples de l'Islamisme.. Faites connoître au Peuple, que, depuis que le monde existe, il étoit écrit, qu'après avoir détruit les ennemis de l'Islamisme, *fait abbattre les Croix*, je viendrois du fonds de l'Occident remplir la tâche qui m'a été imposée. Faites voir au Peuple, que dans *le St. Livre du Coran*, dans plus de 20 passages, ce qui arrive a été prédit, et que ce qui arrivera a également été expliqué. Que ceux donc, que la crainte de nos armées empêchent de nous maudire, changent de sentimeuts! Car en faisant des vœux au Ciel contre nous, ils sollicitent leur condamnation. *Que les vrais Croyans* fassent donc des vœux pour la prospérité de nos armes! Je pourrois demander compte à chacun de vous des sentiments de son cœur; car, je sais tout, même ce que vous n'avez dit à personne; mais un jour viendra, que tout le monde verra avec évidence, que je suis conduit par des ordres supérieurs, et que tous les efforts des humains ne peuvent rien contre moi. Heureux! ceux qui, de bonne foi, seront les premiers à se mettre avec moi!"

(*Vid. Diaria anni* 1799.—*Cobbett's Weekly Political Register, diei* 17 *April*, 1802.—*Controverse pacifique*, quest. xv, § 3, p. 326, note (*), Décembr. 1802; Authore Petr. Ludov. Blanchard).

Vid. hanc Ad eumdem *Buonaparte* Epistolam responsoriam à *Cardinale Matthei* Archiep°. Ferrariensi, *jussû Pii Sexti*, scriptam (1796).

" J'ai mis sous les yeux de Sa Sainteté la lettre que vous avez pris la peine de m'écrire, Mr. le Général!....

" Lorsque la France, bouleversée par les malheureux événemens qui l'affligent depuis sept ans, a contristé son ame et son cœur, le Souverain Pontife s'est souvenu qu'il étoit, par état, le Père des Chrétiens; et lorsqu'il a vû, que des Enfants de l'Eglise se plongeoient dans les plus affreux égarements, Il a pensé que les voies de douceur étoient les seules qu'Il dût employer, espérant qu'il plairoit à Dieu de les guérir de leur aveuglement, et de les ramener à des maximes justes et raisonnables.. Les succès de votre armée d'Italie ont aveuglé votre Gouvernement (*celui des cinq Directeurs*), qui, par un abus intolérable de prospérité, non-content d'avoir tondu la Brebis jusqu'au vif, a ensuite voulu la dévorer; il exigeoit que *le Pape fit le sacrifice de son ame et de celle des Peuples*, dont l'administration est confiée à ses soins, *en exigeant de Lui, la destruction totale des bases qui constituent les principes de la Religion Chrétienne, de l'Evangile, de la Morale et de la Discipline générale.* Sa S., consternée de ces prétentions intolérables, s'est recueillie dans le sein de Dieu.. *La mort, dont vous voudriez nous effrayer*, Mr. le Général, *commence le bonheur de la vie*

" *éternelle*

ligionis characterem eminentiori quo fieri potest gradu induat, et cœlestes latè benedictiones arcessat.

Hujusmodi

" *éternelle des Gens de bien: elle est aussi le terme des prospérités apparentes des*
" *Méchants, et le commencement de leurs supplices, si les remords ne l'ont déjà*
" *commencé.* Votre armée peut être formidable.. mais vous savez, par vous-
" même, qu'elle n'est pas invincible.. Je conviens avec vous, que la guerre
" que vous fairiez au Pape, seroit peu glorieuse pour vous. Quant aux
" perils que nous ne croiriez pas pouvoir y rencontrer, notre confiance en
" Dieu ne nous permet pas de croire qu'il y en eût d'autres que pour vous et
" pour les vôtres.".. (*Vid. Précis historique de la Vie de Pie VI*, Londres, p. 179.)

Anno 1797, in Italiâ, *postquàm Cruces diruisset*, ibidem *constituit* quasdam *Respublicas Artheismi, sub coloribus Christianismi*.. Sed quantòminùs iste fatuus Fati Fautor *præclarè de Religione Cathol. meritus sit*, etiàm post Allocutionem, 29, 8[bris], 1804, legatur, pro hoc altero argumento, Excerptum sequens. depromptum ex Instructione Pastorali, jussû Ipsiûsmet Pii VII. ad Episcopos *Regni Italiæ* directâ, et à Cardinale Gabrieli subsignatâ, die 29 Maii, 1808, contrà invasionem Romæ, die 2 Febr. ejusdem anni 1808, Ditionumque Romanarum factam à copiis Istiûs Napoleonis.

" .... Si ce qu'nu vient de lire se trouve vrai dans tout autre cas d'une
" invasion étrangère, bien plus le sera-ce dans celui-ci, ou il ne s'agit pas
" seulement de substituer au Gouvernement de l'Eglise, un Gouvernement
" quelconque, *mais un Gouvernement notoirement envahisseur de la Puissance*
" *spirituelle dans tous les pays où il s'étend*, et Protecteur de tous les Cultes et
" de toutes les Sectes.. La formule de ses serments, sa Constitution, son
" Code, ses Loix, ses Actes respirent en tout, au moins l'indifférentisme
" pour toutes les Religions; et ce système d'indifférentisme, qui ne suppose
" aucune religion, est ce qu'il y a de plus injurieux et de plus opposé à la
" Religion Catholique, Apostolique et Romaine, la quelle, parcequ' Elle est
" divine, est nécessairement seule et unique; et par là même ne peut faire
" d'alliance avec aucune autre, de même que le Christ ne peut s'allier avec
" Bélial, ni la lumière avec les tenebres.. La protection si vantée du *Souve-*
" *rain des Français* (de Napoléon Buonaparte) pour tous les Cultes n'est
" autre chose qu'un prétexte et qu'une couleur pour autoriser la Puissance
" séculière à s'immiscer dans les affaires spirituelles; puisqu'en montrant
" du respect pour toutes les Sectes avec toutes leurs superstitions, Je Gou-
" vernement Français ne respecte, en effet, aucune Loi de la Religion Ca-
" tholique. *Sous une telle Protection, cependant, se cache et se déguise la Per-*
" *sécution la plus dangereuse et la plus astutieuse qu'il soit possible d'imaginer*
" *contre l'Eglise de J. C., et malheureusement la mieux concertée pour y jetter la*
" *confusion et même la détruire, s'il étoit possible que les Portes de l'Enfer puissent*
" *jamais prévaloir contr'Elle*.".. (*Vid. Corrispondenza autentica della Corte*

Romana

Hujusmodi petitio, his expressa sensibus, non modò luculentum Religionis, et filialis erga Sanctam hanc Sedem reverentiæ testimonium per se ipsa Nobis exhibuit, sed manifestis etiam declarationibus conjuncta fuit, quibus Imperator de constanti suâ voluntate Nos certiores fecit juvandæ quotidiè magis sanctissimæ Fidei, cujus cladibus, in florentissimis illis regionibus, reparandis adeò collaboravit. Siquidem in scriptis, quæ ad Nos transmitti voluit, disertis verbis hanc animi Sui sententiam explicavit. Nobis enim significari fecit Nostri in Galliam Itineris scopum non solam esse Cæremoniam Coronæ Ipsius capiti imponendæ, sed magna Ecclesiæ negotia præcipuam ejus partem sibi vindicatura, eaque sermonibus, Nos inter, et Ipsum habendis, pertractanda fore, illorumque exitus progressui Religionis, et bono Populorum non posse non utillimos accidere.

Videtis itaque, Ven. Fratres, quàm justas, quàmque momentosas habeamus hujus Itineris suscipiendi causas. Sanctissimæ enim Religionis Nostræ utilitas, gratique erga Potentissimum Imperatorem sensus Nos movent, qui cùm omnem suam, uti diximus, auctoritatem explicuerit, ut Catholicam Religionem liberè in Galliâ profiteri, et publicè exercere liceret, nunc etiam animum Nobis

---

Romana con la Francia, Roma, 1814;—*Et Correspondance de la Cour de Rome avec la France*, 4me. *Edit*, *Paris*, 1814.)

At verò, si Summus Pontifex Ipsemet sic Se præbet delusum, ut seponat tàm execrabilia, totque alia publica Facinora istiûs Napoleonis atque sociorum ejus producendo eum Ecclesiæ tanquàm *bené meritum de Religione Catholicâ*.. sanè, permissâ Dei, (qualescunque sint Lapsus Summi Pontificis et quoticunque sint Lapsi cum Eo) exclamabimus verè dicendo: "*Papa non* "*fuit infallibilis, concordando de Religione Catholicâ cum impiis Novatoribus* "*Philosophis hujus Sæculi.. !*" O Vos successores Apostolorum! Ah! Satagite, Per Deum immortalem! ut, "*obediendo Ipsi Deo magis quàm* "*Hominibns,*" "*duo aut tres, in nomine Christi sitis congregati,*" utque prospiciatis, nùm quæri possit à Successore Petri, quare "*Ille descenderit apud* "*Incircumcisos istos, et cum Eis adhuc manducet.*" Act. Apost. Cap. XI, v. 3.

Nobis ostendit ad procuranda ejusdem Religionis incrementa adeò proclivem.

Magnam itaque in spem erigimur Nos hoc Iter Ejus invitatu suscipientes, et os ad os cum Ipso loquentes, talia ad bonum Ecclesiæ Catholicæ, quæ unica salutis arca est, ex Ejus sapientiâ esse consequuturos, ut sanctissimæ Religionis negotium perfectum deniquè fuisse lætari possimus. Hujusmodi verò spes non tàm verborum Nostrorum infirmitate, quàm illius, cujus vicem immerentes in terris gerimus, gratiâ fulcitur, quæ, precibus et sacris ritibus invocata, largè effunditur in corda Principum, qui ad percipiendos hujus sacræ Cæremoniæ effectus rectè dispositi, cùm sint Patres Populorum de æternâ salute solliciti, vivere, et mori volunt veri Catholicæ Ecclesiæ Filii.

His de causis, Ven. Fratres, Prædecessorum Nostrorum exempla sequentes, qui aliquandò etiam pro certo tempore, propriâ relictâ Sede, sese in longinquas regiones contulerunt, ut Religionis bonum procurarent, et Principibus benè de Ecclesiâ meritis gratificarentur, hoc Iter aggredimur, quanquàm ejus longitudo, et minùs idoneum anni tempus, et inclinata jam ætas, et parùm firma, quâ utimur, valetudo, Nos omninò deterrere debuissent. Sed nihili hæc facimus, modò Deus det Nobis petitiones cordis Nostri.

Neque verò quæ præ oculis habenda erant, antequàm gravem adeò deliberationem caperemus, animum Nostrum ullo pacto fugerunt; sed ea quidem omnia et vidimus, et seriò consideravimus. In quâ quidem multiplici consideratione, cùm variæ Nobis difficultates obortæ essent, quarum aliquibus conscientia Nostra anceps, incertaque reddebatur, tales Nobis Imperatoris jussu responsiones, atque declarationes datæ sunt, ut, rebus omnibus perpensis, de Itineris Nostri opportunitate, ad bonum Religionis, quod Nobis proponimus, consequendum, Nos omninò persuaserint. Hæc tamen fusiori

fusiori sermone singillatìm persequi opus non est, cùm tota hujus tractationis ratio Vobis explorata sit, quorum sententias, antequàm in re tanti momenti quidquam à Nobis statueretur, et sciscitati sumus, et, utì par erat, plurimi fecimus.

Ne verò illud, quod in maximis deliberationibus suscipiendis antè omnia necessarium est, prætermitteremus, probè conscii quàm semper sint, juxta Divinæ Sapientiæ effatum, *cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ*, ab hominibus morum integritate, et pietate præstantibus, quorum Orationes sicut incensum diriguntur in conspectu Dei, juges, enixasque preces fieri curavimus ad Patrem luminum, ut, Eo dirigente, id solùm à Nobis ageretur, quod placuisset oculis suis, et bono, incrementoque Ecclesiæ cessurum esset.

Testis est Nobis Deus, coràm quo cor Nostrum humiliter effudimus, ad quem crebrò manus Nostras eximus in templo sancto Suo, ut exaudiret vocem deprecationis Nostræ, essetque adjutor Noster, Nos nihil aliud Nobis proposuisse, quàm quod in omni re gerendâ proponere Nobis debemus, majorem scilicet Ipsius gloriam, Catholicæ Religionis utilitatem, animarum salutem, et Apostolici muneris implementum, quod Nobis, licèt immerentibus, ab Eo creditum est. Testes Vos ipsi estis, Ven. Fratres, quibus, ut vestris consiliis adjuvaremur, omnia cognita, et perspecta esse voluimus, atque intimiores animi Nostri sensus plenissimè communicavimus. Itaque, tàm gravi negotio divinâ ope ad exitum hâc ratione perducto, fiducialiter agentes in Deo Salvatore Nostro, alacri animo Nos Itineri committimus, cujus suscipiendi causis adeò gravibus incitamur. Pater Misericordiarum Deus gressibus Nostris, ut speramus, benedicet, atque hanc epocham Religionis, gloriæque suæ incremento etiam illustrabit.

Exemplo Prædecessorum Nostrorum, ac præsertìm novissimo recolendæ memoriæ Pii Papæ VI, qui hoc

 idem

idem decrevit, cùm Vindobonam esset profecturus, certiores Vos facimus, Ven. Fratres, Nos ea jam disposuisse, et ordinasse omnia, quibus cautum est, ut Curia, et Causarum audientia unà cum Nostris, et Sanctæ hujus Sedis Administris, post discessum Nostrum ab Urbe, ad quam, regimine totius Ecclesiæ, ac Ditionis Nostræ ità postulante, redire maturabimus, in eo, in quo nunc sunt, statu, actuque permaneant. Cùmque omnibus moriendi necessitatem impositam, et incertam mortis diem animo agitemus, illud quoque, iisdem Prædecessorum Nostrorum exemplis inhærentes, ac novissimo Pii VI, Vindobonam proficiscentis, præcavendum, et prævidendum duximus, ut Pontificia Comitia Romæ habeantur, si Nos Deus ab Urbe absentes humanis rebus eripere voluerit. Postremò hoc à Vobis vehementer petimus, et flagitamus, ut quâ semper in Nos fuistis voluntate, eamdem perpetuò retineatis, Nosque absentes multò magis commendetis Omnipotenti Deo, ac Domino Nostro Jesu-Christo, ejusque gloriosissimæ Matri Virgini, ac Beato Apostolo Petro, ut prosperum, ac fortunatum sit Iter Nostrum, ac felicem exitum consequatur. Quòd si, ut speramus, ab auctore omnium bonorum Deo impetrabimus, Vos, Ven. Fratres, quos in partem vocavimus consiliorum Nostrorum, rerumque omnium, magnam etiam habebitis in communi gaudio partem, cunctique exultabimus, et lætabimur in misericordiâ Dei.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII,

DIVINÂ PROVIDENTIA,

PAPÆ VII

ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO,

Feriâ quartâ, die XXVI Junii MDCCCV (a).

ROMÆ MDCCCV.

VENERABILES FRATRES,

AB illo usque temporis momento, quo è Galliâ reduces Urbem ingressi sumus, Vos in Cousistorium vocare, Ven. Fratres, ardenter optavimus, ut, sicut de Nostro illùc proficiscendi proposito ad carissimum in Christo Filium Napoleonem, Imperialibus insignibus decorandum, vos certiores feceramus, ità salutares fructus, quos ex eodem itinere, Deo juvante, collegimus, absque morâ Vobis exponeremus. Desideriis tamen Nostris obsequi adhuc non potuimus, quòd multa pro Ecclesiis, quas mox proponemus, paranda, et Episcoporum, quibus eæ committendæ sunt, examen maturandum à Nobis esset. Lætamur autem Nostris hoc die votis satisfacere Nos posse,

(a) *Ed. Parisiens.* " Hæc Allocutio integra exstat Latinè et Gallicè in " Opere, cui Titulus: *Seconde Suite à la Controverse Pacifique, ou L'Etat* " *politique et religeux de la France, devenu plus déplorable encore par* " *l'effet du Voyage de Pie VII en ce Pays : (Londres,* 1806, *in* 8°.*)* Petr. " Ludovicus Blanchard hujus Allocutionis *venenum* dilucido expressit com- " mentario, pp 23—107."

posse, qui solemni Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli Festo proximus est, ut scilicet bonis, quæ præcipuâ illorum ope consequuti sumus, ad vestram cognitionem deductis, ardentiori pietate, gratissimoque planè animo gloriosi corum martyrii memoriam recolamus.

Secundâ Novembris anni proximè elapsi die, Româ, ut scitis, discessimus, votaque, et auguria, quibus Populus Romanus Nostrûm studiossimus, ad plura passuum millia ex Urbe effusus, Nos prosequutus est, et suavissimos paterni amoris sensus in Nobis excitârunt, et felicem itineris exitum portenderunt. Etruriæ fines ingressi, Florentiamque delati, satis explicare non possumus quo gaudio perfusi simus, cum affluentes undiquè Populos intueremur, ut in humilitate Nostrâ Petri Successorem, Christique in terris Vicarium venerarentur. Inter omnes autem excelluit carissima in Christo Filia Nostra, Maria-Aloysia, Etruriæ Regina, quæ splendidissimis, et amantissimis devotionis in Nos suæ significationibus non solùm excepit, sed morari etiam Nos voluit, ut Sacramentum Confirmationis dilectissimo Ejus Filio, Ludovico Etruriæ Regi, impertiremur. Sacra hujusmodi cæremonia magnifico apparatu celebrata est, in eâque peragendâ Matris, Filiique pietatem, unà cum omnibus qui aderant, admirati sumus.

Festinato per Italiam itinere, ubi luculenta, et amplissima eximiæ in Nos devotionis argumenta; in omnibus quos peragravimus locis, præsertìm verò Mutinæ, Regii, Parmæ, Placentiæ, Dertonæ, Alexandriæque Nobis oblata sunt, Augustam Taurinorum pervenimus, quò jam profecti erant Ven. Frater Noster S. R. E. Cardinalis Cambacerius, Archiepiscopus Rothomagensis, dilectusque Filius Salmatorius, obviàm Nobis à Francorum Imperatore missi, qui Nostrum in Galliam ingressum felicem, faustumque Suo nomine augurarentur, testarenturque simul vehemens illud, quo idem Imperator tenèbatùr, Nos videndi, habendique desiderium, Galliam itaque ingressi

gressi sumus, inclytæque illius Nationis populi, adventu Nostro lætissimi, palàm intimos suæ Religionis, pietatisque sensus, ore etiam, ipsoque corporis habitu ubiquè ostenderunt. Ubiquè Provinciarum Præfecti, quique magistratu aliquo, aut civili, aut militari fungebantur, orationes ad Nos habuerunt, observantiæ in Nos ipsos, et Apostolicam Sedem, obsequiique plenissimas. Lugduni à Ven. Fratre Nostro S. R. E. Cardinali Feschio(1), illius Urbis Archiepiscopo, excepti sumus, qui liberalitate, magnificentiâ, impenso in Nos studio, omni deniquè officiorum genere Nos amplissimè cumulavit. Tanta Lugdunensium pietas, tantaque frequentia fuit, ut vastum illud Metropolitanæ Ecclesiæ Templum, quò Nos ad Sacrum faciendum contulimus, capiendæ optimorum civium undiquè accurrentium multitudini satis non esset. Quo tùm gaudio exultavimus! Quas misericordiarum Patri ob tantam rerum conversionem gratias egimus! Quem in modum nostra erga potentissimum Francorum Imperatorem caritas exarsit, cui, Religionis, per Concordatum ab ipso cum Nobis initum, in publicam lucem revocatæ, latèque in Galliâ reflorescentis gloria debetur!

At Nobis Lugdunensi, ut ità loquamur, triumpho diutiùs gaudere non licuit. Ardentissimo enim desiderio impellebamur ad Imperatorem conveniendum, et inaugurandum, pertractandaque cum Eo Religionis negotia, quas ob res tantum iter, omni difficultate posthabitâ, susceperamus.

Rectâ igitur in *Fontis*, ut dicitur, *Bellaquei* Arcem contendimus, ubi potentissimi, Nostrûmque amantissimi Principis adspectu, complexibusque frui deniquè Nobis datum fuit. Quâ voluptate, quo gaudio completi sumus primo illo ejus Imperatoris occursu, cujus Nomen fines Terrarum

(1) Iste Feschius est Avunculus *Napoleonis ;* Romæ residet, ab anno 1814.

Terrarum ultimos pervasit, et cujus operâ Deus usus est, ut Catholica Religio in Galliis publicam rursùs in lucem emergeret! Eum profectò diem, et quos alios in Arce Fontis-Bellaquei, suadente humanissimo Imperatore, transegimus, ut ab itineris incommodo levaremur, memori, gratissimoque semper animo recolemus.

Præfatâ ex Arce, ubi maximam Imperatoris benevolentiam, et munificentiam experti, admiratique sumus, Lutetiam Parisiorum unà perreximus. Ibi condictâ die (quæ fuit secunda Decembris, eademque prima Adventûs Dominica) Imperatoris, et carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Josephinæ, optimæ Ejus Conjugis, inter illius Civitatis, totiusque Galliæ, quæ suis quasi sedibus mota illùc commigrasse videbatur, ovationes, ingenti supra modum pompâ, et sacro, solemnique ritu consecratio, et coronatio peracta est.

Augustâ hujusmodi Cæremoniâ expediti, animum ad pertractanda, ut diximus, Religionis negotia statìm convertimus. Id autem eo majori fiduciâ fecimus, quòd Imperator ipse, datis, ut compertum Vobis est, litteris, significaverat, Se familiares Nobiscum sermones habere velle, quibus Catholicæ Religionis amplificandæ, Divinique Cultûs in pristinum splendorem restituendi ratio quæreretur. Atque hic sine gratissimi animi sensu commemorare non possumus hilaritudinem illam, comitatem, benevolentiam, animique propensionem, quâ Nos Apostolicâ libertate desideria Nostra expromentes audivit, et Nostras, pro Catholicæ Religionis bono, Gallicanæque Ecclesiæ splendore, Sanctæ demùm hujus Sedis auctoritate, ac dignitate petitiones excepit.

Nostrâ præcipuum in modum intererat de sincero paucorum Episcoporum in catholicam unitatem reditu cognoscere, qui, antequàm canonicam à Nobis institutionem obtinerent, congruo suæ reconciliationis testimonio opus habuerant; illam tamen consequuti ità se gesserant, ut nos de germanis eorum sensibus valdè sollici-

tos redderent. Hanc verò sollicitudinem paucos post dies iidem sustulerunt. Verbis enim, et scriptis, quæ Nobiscum attulimus, Apostolicæ Sedis judiciis circa Ecclesiastica Galliæ negotia firmiter, atque ex animo se adhærere, et subjicere declarârunt. Quâ tùm consolatione impleti sumus! Ut illorum lacrymis, dùm paternâ eos caritate complecteremur, illacrymavimus! Ut verò consolatio hæc Nostra non solùm diuturna sit, sed etiam augeatur, confidimus illos certa, et patentia argumenta daturos, quibus eorum declarationem sincero prorsùs corde factam esse constet, omnisque de ipsis in posterum querendi occasio Nobis adimatur. Quod ut fiat, scrutatorem cordium Deum enixis precibus obsecramus, ut quod bonum opus præstiterunt, suâ gratiâ roboret, atque perficiat.

Gravissimo hujusmodi negotio per Nos absoluto, alia statim suscepimus, quæ, ad Religionis bonum, ad Ecclesiæ libertatem, ad Cleri decus, ad sacrorum Ministrorum numerum augendum, ad eos quâ decet ratione sustentandos, pertinebant. Fiduciâ freti, quam Nobis humanissimus Imperator ingessit, eâque libertate usi, quâ Ministerium Apostolicum exerceri oportet, Ecclesiæ Gallicanæ plagas, temporum injuriâ, et opinionum pravitate eidem inflictas, et quas patitur angustias, verbo, scriptoque Illi exposuimus; et petitiones hâc super re Nostras Eidem significavimus. Quæ Nobis Imperator responsa dedit, ea quidem et officii erga Nos, licèt immeritos, plenissima sunt, et magnam in spem Nos erexerunt fore, ut Gallicana Ecclesia sensim, et gradatim convalescens, pristinum deniquè vigorem, formamque recuperet. Quædam profectò mala ejus indolis sunt, ut, licèt repentino impetu ingruerint, si quis tamen extemplo sanare illa velit, ingravescant potiùs, quàm tollantur.

Nec sola, Ven. Fratres, spe Nos ali putetis. Multa facta sunt, quæ faciendorum quoddam quasi pignus, arrhamque præbent. Societates Sacerdotum Missionis,

et

et Puellarum Caritatis, quas S. Vincentius à Paulo tàm Salutariter instituit, sacris, propriisque vestibus insignitæ, jàm revixerunt: pecuniæ, Divino cultui exercendo, et Cathedralibus reparandis, comparandæ ratio publico Decreto statuta est: amplæ, conspicuæque ædes, aperiendis ibidem Clericorum Seminariis, attributæ sunt: ut eadem Seminaria pecuniam, aut fundos sibi hæreditate relictos consequi possint, permissum est: quæ verò Seminaria ad Metropolitanas Ecclesias pertinent certis jàm gaudent subsidiis, à publico ærario subministratis: qui reditus præfatarum Ecclesiarum Cathedralium Episcopis, et Canonicis constituti erant, aucti sunt: Municipia, Provinciæque sumptus facere jubentur, conservandis templis, et sacrâ supellectile decorandis, necessarios: *Societas Missionum*, ut dicitur, *exterarum*, propagandæ in ultimas terras orthodoxæ Fidei destinata, Imperatore annuente, ità restituta est, ut, et bona, quibus potiebatur, recuperaverit, et novos acquirendi fundos potestatem adepta sit. Operarii ad spargendum apud gentes Evangelii semen missi, Imperatoris auctoritate juvantur, et proteguntur. Nos ipsi præstantibus aliquot *Congregationis Missionis* Sacerdotibus, ad Sinansium oras sanctissimâ Religione imbuendas proficiscentibus, Apostolicam exultanti animo benedictionem impertiti sumus. Neque tot inter curas Patriarchalem Nostram Basilicam Lateranensem, omnium Urbis, et Orbis Ecclesiarum Matrem et Caput, oblivisci potuimus, quæ, cùm reditus quos pridem in Galliâ possidebat, ob præteritas rerum vicissitudines, amisisset, munificentiâ generosissimi Principis recreatur. Præter hæc, alia etiam maximi momenti facta sunt. In mandatis itaque datum est, ut, quam habent Episcopi spirituales, ac disciplinares Ecclesiasticorum culpas judicandi, inque eos, cùm opus fuerit, canonicis pœnis animadvertendi potestatem, liberè exerceant; Ministrorum temporalium, ad eamdem potestatem importunis, injus-
tisque

tisque vinculis coercendam, conatus reprimantur; obstacula juventuti in Clerum cooptandæ objecta imminuantur; christianæ demùm adolescentum institutionis, et spiritualis infirmorum, militum, agrestiumque salutis cura suscipiatur. Hi Nostrorum cum maximo Principe colloquiorum fructus, uberiorum, quos ab eo petivimus, ab Ejusque religione expectamus, pignus Nobis, et arrham, ut suprà diximus, præbent.

Neque verò alia plura, quæ Nostro in Galliam adventu Pater misericordiarum Deus operari dignatus ibidem est, spiritualia bona silentio à Nobis prætereunda sunt. Quo animi fervore, quibus pietatis sensibus Galliarum Populi Summum Catholicæ Ecclesiæ Pastorem in Nobis venerati sint, scitis. Quos accepistis cà de re nuntios, ii veritatem non æquant, tantùm abest, ut superaverint. Nullis enim verbis excitatæ apud Gallos Religionis amor, zelus, exercitium exprimi possunt. Misericors profectò Deus tantis iter in Galliam Nostrum benedictionibus cumulare dignatus est, ut, eodem itinere, Christi fidelium in Galliis spirituali bono suprà omnem modum consultum fuisse Episcopi ipsi sæpissimè affirmare non dubitaverint. Nos admissione, et alloquio omnibus satisfacere; omnium preces audire; cùm fieri potuit, explere; spiritualibus malis mederi, animos ad pietatem acuere nunquàm destitimus. Omnes Lutetiæ Paræcias invisimus, ibique, uti et postcà Lugduni, plura hominum millia eucharistico pane Ipsi refecimus. Hospitales item domos, christianæ caritati erga infirmos exercendæ, aut Juventuti informandæ sacras, visitavimus. Ingens Catholicorum turba Nos ubique circumstabat, sequebatur, deducebat, suamque benedictionis Apostolicæ à Nobis accipiendæ cupiditatem nunquàm satis explesse sibi videbatur.

Quid autem de præclarissimo Ecclesiæ Gallicanæ Clero dicemus? Qui tantis in Nos studiis exarsit, cujusque tanta fuerunt in Nos merita, ut ad Nostros grati

animi sensus erga illum expromendos penè impares simus. Omnes autem dicendi vires excedunt amor, zelus, vigilantia, labor, quibus, Episcopi præsertìm, commissum sibi gregem pascunt, et Religioni, cujus Ministerium exercent, honori sunt, eique reverentiam apud ipsos illius hostes apprimè conciliant. Cujus quidem rei cùm Nos ipsi testes fuerimus, hinc debitis illum laudibus, coràm Universâ Ecclesiâ ornandum à Nobis esse meritò judicavimus.

Quæ item ad Nostri Ministerii officium pertinent, eadem Parisiis obire non omisimus. Ven. Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, qui Nos comitati sunt, et eos, qui Lutetiæ morabantur, in Consistorium vocavimus, pileumque, Cardinalitiæ Dignitatis insigne, Cardinali de Belloy, Archiepiscopo Parisiensi, nec non Cardinali Cambaceres, Archiepiscopo Rothomagensi, eâ solemnitate, eoque ritu dedimus, quem Apostolicæ Constitutiones præscribunt. Vacantes Ecclesias novis Episcopis instruximus, quorum aliquos in vasto S. Sulpitii Templo, innumerabili spectatorum multitudine, circumsepti, consecravimus (1). Paucis antè diebus, quàm Lutetiâ proficisceremur, Principem Napoleonem, Imperatoris Fratris Filium, maximo apparatu, summâque Procerum splendidissimæ illius Aulæ frequentiâ, lustralibus Sacramenti Baptismatis aquis abluimus. Solemnis hujusmodi cæremonia in suburbano *Saint-Cloud*, ut dicitur, secessu peracta à Nobis est, Imperatorque ipse, et spectatissima Ejus Mater, Infantem sacco è Fonte religiosissimè susceperunt. Hæ Nostræ fuerunt in Galliis curæ; hæ gloriosissimi Francorum Imperatoris providentiæ; hæc

(1) *Ed. Paris.* Die 2 Februarii, Pius VII consecravit Dominicum *de Pradt* in Episcopum Pictaviensem, et Gabrielem-Laurentium *Paillou* in Episcopum Rupellensem, vivente adhuc, et non dimisso, Joanne-Carolo *de Coucy*, legitimo Episcopo Rupeliensi. (*Vide Diarium Gallicum, cui nomen:* Le Moniteur, *diei 4 Februarii* 1805, *n°.* 135, *pag.* 500.—Annales, etc. ibid. p. 277.)

hæc devotæ in Religionem Gallicæ Nationis argumenta; hic deniquè suscepti à Nobis itineris exitus.

Rebus ità confectis, adventante jam veris tempestate, in Urbem, et Sedem Nostram revertendum Nobis esse judicavimus. Debitis itaque officiis cum invicto Imperatore perfuncti, à cujus latere divellebamur, novisque Suæ erga Nos voluntatis pignoribus gratissimè acceptis, Nos itineri denuò commisimus. Cùmque Cabillonum pervenissemus, solemnes dies, Passioni, et Resurrectioni Dominicæ recolendæ sacros, ibidem celebravimùs. Qualis fuit Cabillonensium, et advenarum, ex finitimis oppidis undiquè illùc concurrentium, pietas! Quale in Nos studium pari cum observantiâ conjunctum! Indè Lugdunum profecti sumus. Lugdunenses sui erga Nos, et Apostolicam Sedem amoris, et obsequii testimonia, quæ Nobis jam dederant, majore fortassis, quàm anteà, contentione renovârunt. Ven. autem Frater Noster Cardinalis Feschius, Lugdunensium Archiepiscopus, omnia magnificæ hospitalitatis officia Nobiscum rursùs exercuit. Oblatam hìc Nobis esse illius ornandi, testandique grati animi erga ipsum Nostri occasionem planè gaudemus. Nec tacere volumus celeberrimum illud Beatissimæ Virginis de *Foro Julii* dictæ sanctuarium, à Nobis, cùm Lugduni versaremur, incredibili cum illorum civium exultatione, reseratum esse, et publico, ut anteà, cultui restitutum. Augustæ Taurinorum, ubi eximia Civium religio, maximusque in Nos amor iterùm emicuit, Imperatorem Napoleonem revisere, et alloqui, summæ Nobis voluptati fuit. Ecclesiasticas Galliæ, Italiæque res illi denuò, atque diligentissimè commendavimus, et repetitâ, pro singularibus Ejus in Nos, et Catholicam Religionem meritis, gratiarum actione, rectà iter in Etruriam aggressi Florentiam pervenimus.

Splendidissimus, lætissimusque fuit Noster eam in urbem ingressus. Præstantissima Etruriæ Regina iteratis amplissimæ munificentiæ documentis, singularem

erga Nos devotionem suam rursùs testata est. Majoris autem iis omnibus, quas Florentiæ cepimus, consolationis gratiam omnipotens, et misericors Deus Nobis ibidem præparaverat. Primo Nostro in illam Urbem adventu jam præsenseramus, Ven. Fratrem Nostrum Scipionem Riccium, Pistoriensem olim, et Pratensem Episcopum, de se cum Nobis, et Sanctâ Catholicâ Romanâ Ecclesiâ reconciliando, quod à longo Nos tempore optabamus, bonique omnes avidissimè operiebantur, graviter cogitare. Jàm verò cogitationem hanc suam, Nobis in præfatam Civitatem reversis, égregio, planèque imitando exemplo complevit. Filiali enim cum fiduciâ Nobis significavit, se formulæ, quam ipsi proponere Nobis placuisset, sincero corde subscripturum. Nec fidei, quam Nobis dederat, defuit. Formulam enim per Ven. Fratrem Nostrum Archiepiscopum Philippensem et missam legit, admisit, suâque manu signavit. Hâc ergò Formulâ, quam reparando scandalo publicam in cognitionem deduci concupivit, declaravit, se purè, et simpliciter, omninòque ex animo accipere, et venerari Constitutiones à Sede Apostolicâ factas, quibus errores Baii, Jansenii, Quesnelli, et illorum, qui eos sectati sunt, proscribuntur, præsertìm verò Bullam Dogmaticam *Auctorem Fidei*, quâ octoginta quinque Propositiones damnantur è Synodo Pistoriensi, quam ipse coegerat, publicari jusserat, excerptæ: has proptereà Propositiones omnes, et singulas se reprobare, et damnare iis qualificationibus, iisque sensibus, qui in præfatâ Bullâ expressi sunt; deniquè in Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ fide, inque omnimodâ subjectione, veràque obedientiâ Nobis, Nostrique Successoribus, tanquàm in Petri Cathedrâ sedentibus, et Jesu-Christi Vicariis, velle se vivere, et mori. Post solemnem adeò declarationem, eum ad Nos accersivimus, Formulamque à se subscriptam Nobis denuò asserentem, et suorum sensuum sinceritatem, atque intimam Dogmaticis,

Dogmaticis, san. mem., Pii VI decisionibus submissionem iteratis verbis testantem, addictumque suum Orthodoxæ Fidei, Sedique Apostolicæ, mediis etiam in erroribus, animum profitentem, paternè complexi sumus, meritàque, ob actum quem gessit, laude commendatum, omni caritatis affectu Nobis, Catholicæque Ecclesiæ reconciliavimus. Cùm verò, datis nuper ad Nos litteris, quibus de felici, faustoque Nostro in Urbem reditu Nobis gratulatur, retractationem Florentiæ factam, ratam se habere confirmaverit, paterno cor Nostrum gaudio rursùs affecit.

Hæc erant, Ven. Fratres, quæ Vobis annuntianda esse judicavimus. Reliquum est, ut datoris bonorum omnium Dei Thronum cum fiduciâ adeamus, Eique per Beatissimos Apostolos Petrum, et Paulum humiliter supplicemus, ut quæ ab infirmitate Nostrâ, ad suî gloriam, ad Religionis incrementum, ad spiritualem animarum salutem, ad Catholicæ Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ bonum inchoata sunt, miseratione suâ tuetur, augeat, atque perficiat.

BREVE PII PAPÆ VII,

Ad Napoleonem Buonaparte, quòd in istum, Regalem ad Imperatoriam Dignitatem accessisse cognoverit.

PIUS PP. VII.

Carissime in Christo Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Cùm Imperiali Regiæ Majestati Tuæ perspectum, atque exploratum sit quo in Te animo affecti simus, quàmque grati, et memores tùm eorum quæ à Te in Galliis gesta sunt pro Catholicâ Religione; tùm

tùm argumentorum, quæ à te accepimus, singularis in Nos amoris, et observantiæ, præsertim cùm Parisiis apud Te moraremur, facilè intelliges, quos conceperimus sensus, cùm ad Imperatoriam, quâ jam fruebaris, Regalem etiam dignitatem in Te accessisse cognovimus. Sanè mutuus amor Noster, et paterna, quâ Te complectimur, benevolentia facit, ut quæ Tibi gloriosa sunt, Nobis jucundissima esse debeant. Missus ad Te à Nobis fuisset singularis Nuncius, qui coràm Te Nostra hæc officia explicaret; sed cùm sciamus quàm magnâ benevolentiâ prosequaris dilectum Filium Nostrum Joannem-Baptistam, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem Caprara, Archiepiscopum Mediolanensem, facilè cogitavimus quòd à nemine libentiùs, quàm ab eo Nostra hæc officia excepisses. Itaque ei mandatum dedimus, ut Te præsentem adeat, atque testetur animi Nostri sensus, in hâc Tuæ novæ dignitatis accessione. Is Nostras hasce litteras Tibi exhibebit, ac pro certo habemus, quòd Nostra ad Te per eum delata gratulationis officia, Tibi grata et accepta sint futura. Postremò non dubitamus, quin omnem, quâ polles, auctoritatem conferes in promovendum, per novum Regnum, bonum Religionis, quæ Regnorum omnium columen, et firmamentum est; atque etiam confidimus Te in posterum eadem daturum, quæ semper hactenùs Nobis dedisti, Tui in Nos amoris, et filialis observantiæ argumenta. Interim Imperiali et Regiæ Majestati Tuæ Apostolicam benedictionem, paternæ Nostræ benevolentiæ pignus, amantissimè impertimur.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die 20 Maii, MDCCCV Pontificatûs Nostri anno sexto. J. Archiepiscopus Carthaginiensis.

OMELIA

DEL CITTADINO

CARDINALE CHIARAMONTI,

VESCOVO D'IMOLA,

ORA

SOMMO PONTEFICE PIO VII,

DIRETTA

AL POPOLO DELLA SUA DIOCESI,

Nella Repubblica cisalpina nel giorno del Santissimo natale, l'anno 1797.

Imola, nella Stamperia della Nazione, L'Anno VI della Liberta.

L'ETERNA Voce onnipotente in se stessa spiegò al di fuori la sua virtù nel tempo, ed in un instante uscirono le coso tutte. Là sull' acque orgoglioese, che innondavano la terra, passeggiò terribile, e le ridusse a rinserrarsi negli oltrepassati confini. Su'l Sina tra i lampi, e i tuoni forieri della Divina Maestà si fece sentire al Condottier' del Popolo d'Israelle, e il dito di Dio scrisse nelle due tavole di pietra quelle leggi, che mostravano all' uomo i doveri verso la Divinità, verso se stesso, verso i suoi simili; doveri già da prima infusi nella di lui mente per la retta condotta, e pe' i costumi convenienti all' umana natura.

Parve, dirò così, poco alla Divina Sapienza, ed all' Immensa sua Bontà lo spargere sull' uomo gli enunciati doni, nonostante l'ingratitudine, ed i traviamenti di tanti cattivi figlj, &c......La pace non si ottiene senza l'ordine, e l'ordine esige indispensabilmente *le autorita costituite*, alle quali convienne obbedire. Tale obbedienza, oltre esserci impressa dal diritto naturale, ci vienne commendata

data dalla nostra Religione Cattolica, e chi *contraddice alle autorità temporali, ripugna all' ordine, e resiste a Dio.*(1)

La forma di Governo Democratico addottata fra di Noi, o dilettissimi Fratelli, no, non è in opposizione colle massime fin qui esposte, nè ripugna al Vangelo; esige anzi tutte quelle sublimi virtù, che non s'imparano, che alla scuola di Gesù Cristo, e le quali, se saranno da voi religiosamente praticate, formeranno la vostra felicità, la gloria, et lo splendore della vostra repubblica. Io vi prego, che stiano da voi lontane le mire di partiti, le passioni, i privati interessi, l' ambizione, e qualunque altra cupidigia indegna dell' uomo onesto, e cristiano, non vi faranno felici, ma apriranno una strada alla rovina sotto la lusinga di una sognata gloria. La sola virtù perfezionante l' uomo, e che lo dirige a quel sommo ogetto, di cui non si può pensare il migliore, questa sola avvivata dai lumi naturali, e compita cogl' insegnamenti del Vangelo sia il solido fondamento della nostra Democrazia. La bella mediocrità sfavilli nei mezzi, ma il fine vuole per se l' ottimo, vuole il *Tutto Bene*. Colle pure virtù morali saremo uomini mediocri, colle Virtu Teologiche aventi per iscopo Dio stesso, ci renderemo uomini sommi.....

Tacciamo di Atene, e di Sparta, e passiamo pure in silenzio le rinomate legislazioni di Licurgo, et di Solone. Cartagine stessa, sebbene l' emula di Roma, non sia il soggetto dei nostri riflessi. Cade troppo in acconcio una rappresentanza dell' antica Romana repubblica Osservate, o Fratelli, i tanto celebrati Cittadini, che la onorarono: vedete i mezzi, ond' essi giunsero a tanta ammirazione. Io non vi ricordo il coraggio di Muzio Scevola, un

(1) Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. S. Paul. ad Rom. 13. 2.

un Curzio, e i due Scipioni, nè un Torquato, un Camillo, et tant' altri, che fiorirono in que' tempi sì famosi, &c....

Eccovi un leggier dettaglio delle Romane virtù nei tempi della loro famosa Repubblica: virtù, che gli stessi Padri della Chiesa, e tra gli altri il sublime filosofo Agostino nel lib. 3, della Città di Dio rammemora con onore, e ne fa un' analisi degna de' suoi talenti. Per l' insegnamento di un tanto Dottore l' estensione, e la fama, che acquistarono que' Repubblicani, fu una mercede loro concessa dall' Essere Supremo, giusto, e provido nel coronare anche le buone arti, e le morali virtù. Ora, se i rinomati, col solo dettame della ragione naturale, (offuscato pur anche dal soverchio desiderio di gloria) credettero tanto necessario l' esercizio delle morali virtù, e tanto lo adempirono, che non invidiarono, anzi superarono gli altri Popoli più colti, ed attempati più ancora; se, al pensar di Catone, ed all' insegnamento de' Padri della Chiesa, le morali virtù così resero cospicua la latina libertà, ed impegnarono Dio stesso a guiderdonarli temporalmente; con quanta maggior ragione dobbiamo noi reputar necessaria la virtù nella presente nostra Democrazia; noi che non viviamo invescati dal lezzo, e dall' ambizione di sognate Deità: noi anzi, i quali, mercè la Divina beneficenza, siamo dall' avveramento delle Profezie affidati ai prodigj i più decisi: noi, che additiamo ancora a qualunque incredula Nazione i luoghi, che santificò il Verbo di Dio fatto Uomo col suo nascimento in terra, e colla sua predicazione, colla sua morte, e col non prima udito prodigio della Risurrezione sua? Le morali virtù, che non sono poi altro, che l' ordine dell' amore, ci faranno buoni Democratici, ma di una Democrazia retta, e che altro non cura, che la commune felicità, lontana dagli odj, dall' infedeltà, dall' ambizione, dall' arrogarsi gli altrui diritti, et dal mancare ai proprj doveri. Quindi ci conserveranno l' uguaglianza intesa nel suo retto significato, la quale dimostrandoci,

2 T che

che la legge si estende a tutti gl' individui della Società, e nel dirigerli, e nel proteggerli, e nel punirli, ci dimostra ancora in faccia alla legge Divina, ed umana, quale proporzione debba tenere ogni individuo nella Democrazia tanto rapporto a Dio, quanto rapporto a se stesso, ed a' suoi simili, conservando ciascuno i suoi poteri soltanto per la propria, e comune felicità, e per quella adempiendo i suoi doveri. Quando ognuno a misura delle sue forze fisiche, e morali influisce nella Società, quando dalla Società riceve ciò, che gli si conviene pel suo ben essere; se armonizza la civile uguaglianza derivata dal diritto naturale, e adornata dall' etica filosofia. Una perfetta uguaglianza, o parità indiscernibile, di forze naturali e spirituali, di beni, di fortuna, di proprietà, di virtù, non è mai stata, non è, e non sarà mai. Si svolgano da capo a fondo tutti i filosofi i più accurati, s'interroghi l' intimo senso, si faccia parlare la natura nella sua semplicità, e saremo di ciò convinti; una strana uguaglianza, dirò così, aritmetica distruggerebbe l' ordine, che noi osserviamo e nel fisico, e nel morale.

Ma i perfetti doveri dall' Uomo non si possono compire nella sola virtù morale; e l' uguaglianza, che fa l' armonia, e il bene della società, desidera altre molle per la sua sussistenza, e per la sua perfezione. Il Vangelo di Gesù Cristo ci fu dato come un complesso di leggi, onde rendere gli uomini veramente perfetti anche in società, ondé sistemare quell' uguaglianza, che ci faccia felici nel presente giro dei giorni mortali, e più felici nell' aspettata eternità. La storia della filosofia ci mostra la mancanza di tal progetto; la storia del Vangelo ce ne dimostra l' esecuzione, e il compimento. Per quanto stimabili si vogliano le virtù de' Pagani, per quanto si onorino gl' insegnamenti de' filosofi, pure si vedono macchiati i loro dettami, e le loro gesta da molti difetti, e si vede, che cercavano la felicità, ma molti tra oro ne ignoravano la natura, molti la confondevano con

quei

quei beni effimeri, che non son capaci se non di renderci miserabili. Nei celebri Repubblicani di Roma alcune volte l' amor della gloria era l' ultimo loro scopo, &c....

Confrontate, Fratelli dilettissimi, tali costumi coi costumi dei Gentili: confrontate tali insegnamenti pratici colle teori de' filosofi; quest' uso della libertà col mal inteso libertinaggio; un' uguaglianza così congegnata, che fa la gloria della Repubblica, della Società, della Religione, e dell' Essere degli esseri: confrontate, dissi, e poi decidete. Decidete, quanto conferiscono gli esempj di Gesù Cristo, e degli umili seguaci della Croce pel buon ordine, e per la felicità nella repubblica: decidete, quanto conferiscono i precetti del Vangelo, le tradizioni degli Apostoli, e dei gran filosofi Padri, e Dottori Cristiani a conservare la pace, a far risplendere la vera grandezza dello stato Democratico, a fare di tanti uomini, dirò così, tanti Eroi di umiltà, di prudenza nel governare, di carità nel fraternizzare tra loro stessi, e con Gesù Cristo, col quale hanno il vanto di coeredi, e di eredi di Dio. Se nella Democrazia conserva l' uguaglianza chi influisce quanto può nella società, e riceve dalla società, e dalla legge ciò, che se gli conviene in ragione diretta de' suoi meriti, molto più notabilmente sfavilla l' uguaglianza in colui, che tutto fa per la retta legge, per la società, e pe' suoi fratelli, e nulla da alcuno aspetta, nulla desidera, pago solo di quella mercede.= *Quam præparavit Deus, diligentibus se.*=Quest' uguaglianza fu poco, o nulla scoperta dalla filosofia: ma la disse Cristo in quelle parole.=*Abneget semetipsum*=la disse S. Paolo.=*Omnia omnibus factus.*=Qui l' uguaglianza non si ferma tra creatura, e creatura; ma sta tra la creatura, e Dio in quel modo, che l' ordino l' incomprehensible sua Sapienza: opera la creatura solo per Iddio: Iddio solo è la sola degna mercede. Eccelsi concetti! chi vi sa spiegare? Datemi un amante, e conosce a prova ciò, che io ragiono.

2 T 2 Dalla

Dalla pratica del Cristianesimo, sin qui leggiermente espota, abbiamo veduto, quanto vantaggio ne derivi alla Società, alla Democrazia. Per avvalorarci nelle virtù, osserviamo, quasi di passaggio, il bello dei precetti Evangelici. Il luminoso oggetto della nostra Democrazia dev' essere di stabilire la massima possibile unione di sentimenti, di cuori, di forze fisiche, e morali, onde ne derivi una soave fratellanza nella società; dev' essere per conseguenza la base di quest' oggetto lo stabilimento della massima possibile virtù, unica, e preziosa radice di sì fortunata unione, &c....Se avremo degli uomini nella società soltanto esternamente buoni, non avremo degli uomini perfetti, non avremo quella soave sincera fratellanza, ch' è animata da un puro amore e pel privato, et pubblico. La virtù sarà impressa nell' animo loro, non già ne' loro cuori: saranno onesti più per ostentazione, che per massima: i benefizj loro saranno parti dell' interesse, e non della liberalità; la loro sommissione *alle Autorità costituite* nascerà da un freddo timore, non dalla riverenza alla Sovranità, e dall' affetto all' ordine. Gesù Cristo, che intese a fraternizzare gli uomini nel legame di una pura carità, togliendo il timore di schiavo, e sistemando l'amore da libero, Egli, Egli nel suo Vangelo ci somministrò le lezioni dell' unione, della fratellanza, e dell' eroica virtù....

Eccovi, o dilettissimi Fratelli, uno sparuto abbozzo degli Evangelici dettami. Vedete ivi quale possanza, qual influsso risplenda per la massima virtù dell' uomo, per la civile eguaglianza, per la regolata libertà, per quell' unione in somma di amore, e di tranquillità, che fa la sussistenza, *e l'onore della Democrazia. Forse per la durevole felicità degli altri Governi basterà una virtù commune; ma nella Democrazia studiatevi di essere della massima possibile virtù, e sarete i veri Democratici; studiate, ed eseguite il Vangelo, e sarete la gioja della Repubblica.*

L'Autore

L'Autore dell' Emilio abbagliato dallo splendore dell' Evangelica dottrina proruppe in queste parole: " Io vi " confesso, che la Maestà delle Scritture mi sorprende, " la Santità del Vangelo mi parla al cuore. Leggete i " libri dei filosofii: con tutta la loro pompa, &c.(1)".

Umiliatevi meco, o dilettissimi Fratelli, ed abbassate gli occhi ai disegni imperscrutabili della Provvidenza Divina. La Religione Cattolica sia l' oggetto più prezioso del vostro cuore, della vostra divozione, e di ogni vostro sentimento. *Non crediate, ch' ella si opponga alla forma del Governo Democratico.* In questo stato vivendo uniti al vostro Divin Salvatore, potete concepire giusta fiducia dell' eterna salute, potete operare la felicità temporale di voi stessi, e dei vostri simili, *e procurare la gloria della Repubblica, e delle Autorità costituite.* La cristiana obbedienzaa queste, l' adempimento dei vostri doveri, il contribuire al comune bene, mercè la grazia del Signore, vi produrranno ogni giorno nuovi meriti a quel Celeste Regno, al quale v'invita il Divin Infante, di cui oggi celebriamo il glorioso giorno Natalizio. Sì, miei cari Fratelli, *siate buoni cristiani, e sarete ottimi Democratici.* Imitate l' umiltà, l' obbedienza del Salvatore, e sarete soggetti, ad obbedienti saviamente *alle leggi, ed alla Sovranitá.* Se vedrete, che alcuni vostri fratelli travjno dalla carriera della virtù, e del Vangelo, pregate senza stancarvi anche per loro, poichè rimane speranza, che si convertano per godere del nostro Iddio: date loro modo, che si ammaestrino, almeno specchiandosi nell' opere vostre: fuggite d'imitare l' errore, ma compatite il fratello errante, e studiatevi di ridurlo al pentimento, allo stato di salute.

E voi, o carissimi miei Cooperatori, cui sono affidate le proprie particolari porzioni del mio Christiano Gregge, voi,

(1) Emile, tom. iii. p. 163.

voi, sostenendo meco il peso spirituale del Popolo di Dio, unitevi a mantenere in esso illibata la Cattolica Religione, e fate ogni sforzo, perchè i seguaci di Gesù Cristo *siano santamente fedeli ancora alle Autorità, alla Repubblica.* Iddio ha posto in nostra mano gl'interessi spirituali del suo Popolo; noi rivolgiamoli non solo alla sua gloria, ma ancora a benefizio della società, e del pubblico bene. Soprattutto però essendo l' esempio un argomento, ed un' eloquenza la più insinuante, ed efficace, procurate, o miei savj Cooperatori, che l' integrità, la Religione, l' amore della comune felicità, in voi risplendano a segno, che siate il modello al vostro Grege di quelle virtù cristiane, e morali, le quali volete, che sempre più allignino, e si aumentino nell' anime fedeli alla vostra cura affidate, *e che debbono far la gloria della nostra Repubblica, e la prosperità de' Cittadini, che la compongono.* La Pace del Signore sia sempre con voi, miei dilettissimi Fratelli.

APPROBATIO

Catechismi Imperii Galliarum, id est Catechismi Napoleonis à Joanne-Baptistâ Cardinali CAPRARA, Legato *à latere.*

Nos, Joannes-Baptista tituli Sancti Honuphrii S. R. E. Presbyter Cardinalis CAPRARA, Archiepiscopus Mediolanensis, S. S. D. D. Nostri PII PAPÆ VII. et Sanctæ Sedis Apostolicæ ad Francorum Imperatorem, Italiæ Regem, à latere *Legatus.*

CERTAM et communen regulam, in Christianâ doctrinâ tradendâ discendâque servandam, ad rectam fidelis populi et puerorum præsertim institutionem, plurimùm profuturam Patres nostros sapienter censuisse, cuique perspecta res est. Quid enim ejusmodi uniformate opportunius excogitari, quidque eâ utilius dari potest? Per illam siquidem *id ipsum sentientes, ac dicentes omnes, qui ad fidei unitatem vocati sunt, in eodem sensu et in eâdem sententiâ faciliùs perfecti erunt.* Summi propterea Pontifices, pro ipsorum sollicitudine omnium Ecclesiarum, ut in docendo Christianam doctrinam unus idemque modus ab omnibus teneretur, sæpiùs hortati sunt, et enixè commendaverunt. Sed peculiares quædam regionum sive necessitates, sive circumstantiæ, ut propositæ uniformitati multiplex, quoad methodum, Catechismorum varietas prævaluerit, in causâ fuêre.

Verùm, cùm Gallorum Imperator, Italiæ Rex, Napoleo I, non solùm obstacula quæque prorsùs removere sibi proposuerit, sed etiam, ut singularis communisque Catechismus detur atque tradatur, flagranter exoptet, atque studeat;

Cùmque

Cùmque Catechismus, ex illustris potissimùm Meldensis Episcopi Jacobi-Benigni Bossuet, et aliarum Ecclesiarum Catechismis depromptus, et ad singularum Imperii Gallicani diœcesum praxim et Christi fidelium usum paratus, ut probetur, nobis nuper oblatus sit;

Hinc nos, postquàm conscriptum ejusmodi opus diligenter examinandum curavimus, et graviora Christianæ Religionis capita in eo proponi, atque eadem Catholicæ Ecclesiæ doctrinæ nullatenùs adversa, sed conformia esse deprehendimus, idem opus, cui titulus, *Catéchisme à l'usage de toutes les Eglises de l'Empire François,* non tantùm probandum, sed etiam illius usum Reverendissimis Gallicani Imperii Præsulibus proponendum et commendandum duximus, illudque præsentis decreti vigore, tanquàm Sanctæ Sedis et Sanctissimi Domini Nostri PII VII *de latere* Legatus, Apostolicâ auctoritate probamus, proponimus et commendamus, eo saluberrimo consilio permoti, ut, sicut *una est fides,* ità etiam pariter una et communis sit tradendæ fidei, et erudiendi populi, forma atque præscriptio.

Sollicitudinis autem erit sacrorum Antistitum, quos fidei auctor, CHRISTUS DOMINUS, ad gregem, qui in ipsis est, pascendum constituit, et traditi doctrinæ depositi custodes esse voluit, sedulò invigilare, ut Parochi cæterique Sacerdotes, Christianæ disciplinæ capita, in exarato Catechismo contenta, uberiùs expositauri, lectionem unam cohærenter cum alterâ, ac singula simul conferant, et quæ *decent sanam doctrinam in integritate, et gravitate,* juxta Apostolum loquantur.

Datum Parisiis, ex ædibus nostræ residentiæ, die 30 Martii 1806.

J. B. Card. Legat.

Loco † Signi.

VINCENTIUS DUCCI,
à Secretis in Eccles.

LETTERE APOSTOLICHE,

IN FORMA DI BREVE,

Colle quali si dichiarano scomunicati, e di nuovo si scomunicano gli Autori, gli Esecutori, ed i Fautori della Usurpazione del Dominio di Roma, e degli altri Stati appartenenti alla S. Sede.

PIUS PP. VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quum memorandâ illâ die secundâ Februarii Gallorum copiæ, postquam uberiores alias Pontificiæ Ditionis Provincias latè invaserant, in Urbem quoque repentinò, hostilique immissæ sunt impetu, in animum inducere minimè potuimus, ut politicis, aut militaribus illis rationibus, quæ ab Invasoribus vulgò prætendebantur, et jactabantur, ausus hujusmodi unicè tribueremus, quod scilicet aut tueri sese hîc, prohibereque hostes suos a terris S. R. Ecclesiæ, aut nostrum in nonnullis ex iis, quæ Gallicanum à nobis Gubernium petierat, recusandis propositum, atque constantiam vellent ulcisci. Vidimus statim rem multò spectare longius, quam temporariam quamdam, aut militarem providentiam, irative erga nos animi significationem. Vidimus reviviscere, recalere, è latebris rursus erumpere, quæ deferbuisse, et si minus compressa, repressa saltem videbantur, impia, ac vaferrima illorum hominum consilia, qui decepti, decipientesque per *philosophiam, et inanem fallaciam* * *introducentes*

* Ad Coloss. Cap. II. V. 8.

centes sectas perditionis. * Sanctissimæ Religionis excidium, conjuratione factâ, jamdiu machinantur. Vidimus in Personâ humilitatis nostræ Sanctam hanc B^{mi}. Apostolorum Principis sedem peti, obsideri, oppugnari, quo scilicet, si ullo modo fieri posset, subruta, et Catholicam Ecclesiam super illam, tanquam super solidissimam petram à divino ejus Conditore inædificatam labefactari funditùs, et corruere sit necesse.

Putavimus olim nos, speravimusque, Gallicanum Gubernium malorum experientiâ edoctum quibus potentissima Natio ob laxatas impietati et Schismati habenas se involverat, convictumque unanimi longè maximæ civium partis suffragio, sibi verè, et ex animo persuasisse tandem securitatis suæ, ac felicitatis publicæ interesse maximè, si liberum Religioni Catholicæ exercitium sincerè restitueret, ac singulare ejus patrocinium susciperet. Hâc profectò opinione, ac spe excitati Nos, qui illius vices, licet immerentes, in terris gerimus, qui *Deus est pacis,* vix ut reparandis in Galliâ Ecclesiæ cladibus aditum patefieri aliquem persensimus, testis nobis universus est Orbis, quantâ cum alacritate inivérimus tractationes pacis, quantique et nobis, et ipsi Ecclesiæ steterit illas tandem ad eum exitum perducere, quem consequi licuisset. At, Deus immortalis! quorsùm spes illa nostra evasit! quis tantæ indulgentiæ, ac liberalitatis nostræ tandem extitit fructus! Ab ipsâ promulgatione constitutæ hujusmodi pacis conqueri cum Prophetâ coacti fuimus: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima:* quam sanè amaritudinem non dissimulavimus Ecclesiæ, ipsisque fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in allocutione ad ipsos habitâ in Consistorio diei 24 Maii anni 1802, significantes scilicet eâ promulgatione nonnullos initæ conventioni adjectos fuisse articulos

* Epist. S. Petri II. Cap. II. V. 1.

culos ignotos Nobis, quos statim improbavimus. Iis siquidem articulis non solùm exercitio Catholicæ Religionis ea penitùs libertas in maximis, potissimisque rebus re adimitur, quæ in ipso conventionis exordio ut ipsius basis, ac fundamentum verbis asserta, pacta, promissa solemniter fuerat, verùm etiam quibusdam ipsa etiam haud procul impetitur Evangelii doctrina.

Idem ferè fuit exitus *Conventionis*, quam cum Italicæ Reipublicæ Gubernio inivimus: iis ipsis articulis arbitrariè prorsus, ac perversè per summam, patentemque fraudem, atque injuriam interpretatis, quibus ab arbitrariis, perversisque pactionum interpretationibus summopere præcaveramus.

Violatis hoc modo, pessumdatisque *Conventionis utriusque* pactionibus illis, quæ quidem in favorem Ecclesiæ fuerant constitutæ, et potestate spirituali laicalis arbitrio subacta, tam longè abfuit, ut quod proposueramus Nobis, *Conventiones illas ulli salutares effectus fuerint consequuti, ut potius mala, ac detrimenta Jesu Christi Ecclesiæ augeri in dies magis, ac propagari latius doleamus.*

Atque ea quidem hoc loco minimè nos singillatim enumerando recensebimus, quoniam et vulgò satis nota, et bonorum omnium lacrymis deplorata sunt, satisque prætereà exposita à nobis duabus allocutionibus Consistorialibus fuerunt, quarum alteram habuimus die 16 Martii, alteram die 11 Julii, anno 1801; quæque, ut ad notitiam publicam perveniant, quatenus in hisce nostris augustiis licuit, opportunè providimus. Ex iis cognoscent omnes, totaque videbit posteritas, quæ de tot, tantisque ausibus Gallicani Gubernii in rebus ad Ecclesiam spectantibus mens, ac sententia nostra fuerit: agnoscent, cujus longanimitatis, patientiæque fuerit quod tamdiu siluerimus, quoniam proposito nobis amore pacis, firmâque conceptâ spe, fore ut tantis malis remedium tandem, ac finis imponeretur, de die in diem Apostolicam nostram palàm extollere vocem differebamus.

2 u 2 Videbunt,

Videbunt, qui labores, quæ curæ nostræ fuerint, quamque agendo, deprecando, obtestando, ingemiscendo nunquam conari cessaverimus, ut illatis Ecclesiæ vulneribus medela adhiberetur, ac ne nova ei infligerentur, deprecaremur. Sed frustra exhaustæ sunt omnes humilitatis, moderationis, mansuetudinis rationes, quibus hucusque studuimus jura, partesque Ecclesiæ apud illum tueri, qui cum impiis in societatem consilii venerat de eâ penitus dstruendâ, qui eo animo amicitiam cum illâ affectaverat, ut faciliùs proderet; *ejus patrocinium simulaverat, ut securiùs opprimeret.*

Multa sæpe, diuque sperare Nos jussi fuimus, præsertim verò cum nostrum in Gallias iter optatum, expetitumque fuit; deinceps eludi *expostulationes nostræ* ceptæ sunt callidis tergiversationibus, ac cavillationibus, responsisque vel ad rem ducendam, vel ad fallendum datis: nulla denique earum habitâ ratione, prout tempus maturandis consiliis contra Sanctam hanc Sedem, Christique Ecclesiam jamdiu initis constitutum appropinquabat, tentari Nos, vexarique novis semper, et nunquam non aut immodicis, aut captiosis petitionibus quorum genus satis superque ostendebat, ex duobus æquè huic Sanctæ Sedi, et Ecclesiæ funestis et exitialibus alterutrum spectari, nempe ut aut iis assentientes Ministerium nostrum turpiter proderemus, aut, si abnueremus, inde causa apertè Nobis inferendi belli desumeretur.

Ac quoniam nos iis petitionibus, contradicente conscientiâ, adhærere minimè potuimus, en inde reverâ obtenta statim ratio militares copias in Sacram hanc Urbem hostiliter immittendi: en capta Arx Sancti Angeli: disposita per vias, per plateas præsidia; ædes ipsæ, quas incolimus, Quirinales, magnâ peditum, equitumque manu, bellicisque tormentis minaciter obsessæ. Nos autem à Deo, in quo omnia possumus, confortati, officiique nostri conscientiâ sustentati, hoc repentino terrore, ac bellico apparatu nihil admodùm commoveri, aut de statu

mentis

mentis dejici passi sumus. Pacato, æquabilique, par est, animo statas cæremonias ac Divina Mysteria obivimus quæ Sanctissimi illius diei solemnitati conveniebant. Neque verò eorum quidquam aut metu, aut oblivione, aut negligentiâ omisimus, quæ muneris nostri ratio à Nobis in illo rerum discrimine postulabat.

Memineramus cum S. Ambrosio (de Basilic. tradend. n. 17.) Naboth Sanctum virum, possessorem vineæ suæ interpellatum petitione Regiâ ut vineam suam daret, ubi Rex succisis vitibus olus vile sereret, eumdem respondisse: *Absit ut Ego Patrum meorum tradam hæreditatem!* Multò hinc minus fas esse Nobis judicavimus tam antiquam ac sacram, hæreditatem (temporale scilicet Sanctæ hujus Sedis dominium non sine evidenti providentiæ Divinæ consilio à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris tam longâ sæculorum serie possessum) tradere, aut vel taciti assentiri, ut quis urbe Principe Orbis Catholici potiretur, ubi perturbatâ destructâque Sanctissimâ Regiminis formâ, quæ à Jesu-Christo Ecclesiæ Sanctæ suæ relicta fuit, atque à Sacris Canonibus spiritu Dei conditis ordinatâ, in ejus locum sufficeret *Codicem non modo Sacris Canonibus sed Evangelicis etiam Præceptis contrarium atque repugnantem, inveheretque, ut assolet, novum hujusmodi rerum ordinem, qui ad consociandas confundendasque Sectas superstitionesque omnes cum Ecclesiâ Catholicâ manifestissimè tendit.*

Naboth vites suas, vel proprio cruore defendit. (S. Amb. ibid.) Num poteramus Nos (quidquid tandem eventurum esse Nobis) non jura possessionesque S. R. E. defendere, quibus servandis, quantùm in Nobis est, solemnis jurisjurandi Nos obstriximus Religione? Vel non libertatem Apostolicæ Sedis cum libertate atque utilitate Ecclesiæ universæ adeò conjunctam vindicare?

Ac quàm magna reverâ sit temporalis hujus Principatus congruentia, atque necessitas ad asserendum supremo Ecclesiæ Capiti tutum ac liberum exercitium

spiritualis

spiritualis illius, quæ divinitùs illi toto orbe tradita est, potestatis, ea ipsa quæ nunc eveniunt (etiamsi alia deessent argumenta) nimis jam multa demonstrant. Quamobrem, et si supremi hujus Principatûs neque honore, neque opibus, neque potestate unquam Nos oblectavimus, scilicet cupiditas, et ab ingenio nostro, et ab Instituto Sanctissimo, quod ab ineunte ætate inivimus semperque dileximus, abhorret quam maximè, obstringi tamen Officii nostri debito planè sensimus, ut ab ipsâ die secundâ Februarii anni 1808, tantis licet in angustiis constituti per Cardinalem nostrum à Secretis Statûs solemnem protestationem emitteremus, quâ tribulationum, quas patimur, causæ paterent publicè, et jura Sedis Apostolicæ integra intactaque manere Nos velle declararetur.

Quum intereà nihil minis proficerent invasores, aliam sibi nobiscum esse ineundam rationem statuerunt. Lento quodam, licet molestissimo atque adeò crudelissimo persecutionis genere, nostram paulatim debilitare constantiam aggressi sunt, quam subito terrore infringere minimè potuerant. Itaque Nobis in hoc Palatio nostro tamquam in custodiâ detentis vix ullus à postridie Kalendas Februarii intercessit dies, quem nova aliqua aut huic Sanctæ Sedi injuria, aut animo nostro illata molestia non insigniverit. Milites omnes, quibus ad ordinem disciplinamque civilem servandam utebamur, Nobis erepti, Gallicis copiis admixti: Custodes ipsi nostri Corporis lectissimi nobilesque viri in Romanam Arcem detrusi, diesque inibi plures detenti, tum dispersi dissolutique: Portis, locisque urbis celebrioribus præsidia imposita: diribitoria literarum et typographæa omnia, præsertim nostræ Cameræ Apostolicæ et Congregationis de propagandâ Fide, militari vi, arbitrioque subjecta; nobis propthereà, quæ vellemus, aut vulgandi typis, aut aliò perscribendi libertas adempta: rationes administrationis Justitiæque publicæ perturbatæ atque impeditæ:

sollicitati

sollicitati fraude, dolo, quibusvis malis artibus subditi ad conflandas copias civicorum militum nomine nuncupatas, et in legitimum principem rebelles, et è subditis ipsis audacissimi quique et perditissimi Gallico, Italicove lemnisci tricoloris Insigni donati, et tamquam clypeo protecti impunè hàc illàc nunc coactâ manu, nunc soli grassari et in quævis flagitia contra Ecclesiæ Ministros, contra Gubernium, contra omnes bonos erumpere, aut jussi aut permissi: Ephæmerides, seu, ut aiunt, folia periodica, frustra reclamantibus Nobis, typis Romæ imprimi, et in vulgus exterasque regiones emitti cæpta, injuriis identidem, dicteriis, calumniis vel in Pontificiam potestatem, dignitatemque referta: nonnullæ declarationes nostræ, quæ maximi momenti erant, et aut manu ipsâ nostrâ, aut administri signatæ, et nostro jussu affixæ ad consueta loca fuerant, inde vilissimorum satellitum manu, indignantibus ac ingemiscentibus bonis omnibus, avulsæ, discerptæ, proculcatæ: Juvenes incauti, aliique cives in suspecta Conventicula legibus æquè civilibus, atque Ecclesiasticis sub pæna etiam anathematis à Prædecessoribus nostris Clemente Duodecimo, et Benedicto Decimo quarto prohibita severissimè, invitati, adlecti, cooptati: Administri, et Officiales nostri complures, tum Urbanitum Provinciales, integerrimi fidissimique vexati, in carcerem conjecti, procul amandati: conquisitiones chartarum, scriptorumque omnis generis in secretis Pontificiorum Magistratuum conclavibus, ne excepto quidem primi Administri nostri Penetrali, violenter factæ: tres ipsi primi Administri nostri à Secretis Statûs, quorum alterum alteri sufficere coacti fuimus, ex ipsis nostris ædibus abrepti: maxima demum S. R. E. Cardinalium, collateralium scilicet ac cooperatorum nostrorum pars è sinu ac latere nostro militari vi avulsa, atque aliò deportata.

Hæc sanè, aliaque non pauca contra jus omne humanum atque Divinum ab invasoribus nefariè attentata audacissimèque

dacissimèque perpetrata notiora sunt vulgò quam ut in iis enarrandis explicandisque opus sit immorari. Neque nos omisimus, ne connivere aut quoquo modo assentiri videremur, de singulis acriter fortiterque pro muneris nostri debito *expostulare*.

Tali modo omnibus Nos jam ferè et dignitatis ornamentis et præsidiis auctoritatis spoliati, omnibus adjumentis ad explendas officii nostri, imprimisque sollicitudinis omnium Ecclesiarum, partes necessariis destituti, omni demum injuriarum, molestiarum, terrorum genere vexati, excruciati, oppressi atque ab utriusque nostræ potestatis exercitio quotidie magis præpediti; post singularem exploratamque D. O. M. Providentiam fortitudini nostræ, administratorum qui supersunt prudentiæ, subditorum nostrorum fidelitati, fidelium denique pietati debemus unicè, quod earum ipsarum potestatum simulacrum quoddam ac species aliqua hactenus remanserit.

At, si ad vanam atque inanem speciem temporalis nostra in almâ hâc urbe finitimisque provinciis potestas redacta fuerat, in florentissimis Urbini, Marchiæ, et Camerini Provinciis nobis fuit per hoc tempus penitus sublata. Ut manifestæ huic sacrilegæque tot statuum Ecclesiæ usurpationi solemnem *protestationem* opponere, sic contra injusti, illegitimique Gubernii seductiones charissimos illos subditos nostros præmunire, data Venerabilibus fratibus nostris earum *Provinciarum Episcopis Instructione*, non prætermisimus.

Gubernium autem ipsum quàm non est cunctatum! quàm festinavit ea factis comprobare, ac testata facere, quæ in instructione illa ab ejus essent Religione expectanda prænunciavimus! Occupatio, direptioque Patrimonii Jesu Cristi, abolitio Religiosarum Domorum, ejectio è Claustris Virginum Sacrarum, profanatio Templorum, fræna licentiæ passim soluta, contemptus Ecclesiasticæ disciplinæ, Sanctorumque Canonum, promulgatio Codicis, aliarumque legum non modo Sanctis ipsis Canonibus

nonibus, sed Evangelii etiam præceptis, ac divino juri adversantium; depressio, ac vexatio Cleri, Sacræ Episcoporum potestatis laicali potestati subjectio; vis eorum conscientiæ multimodis illata; violenta denique eorum è Cathedris suis ejectio et asportatio: aliaque hujus generis ausa nefariè, atque sacrilega contra libertatem, immunitatem, et doctrinam Ecclesiæ in nostris illis Provinciis æquè admissa statim, *ut pridem in aliis locis omnibus, quæ in potestatem ejus Gubernii venerant; hæc, hæc præclara nimirum sunt pignora, hæc illustria monumenta mirifici illius studii in Catholicam Religionem, quod necdum desinit factitare, ac polliceri.*

Nos verò tot amaritudinibus ab iis, à quibus minùs expectare talia debebamus, jamdiù repleti, omnique prorsùs ratione conflictati, non tàm præsentem nostram, quàm futuram Persecutorum vicem dolemus. *Si enim nobis viris propter increpationem, et correptionem Dominus modicùm iratus est, sed iterùm reconciliabitur servis suis*. At qui inventor malitiæ factus est in Ecclesiam quomodo effugiet manum Dei†? Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum, et magnum ipse fecit, fortioribus autem fortiter instat cruciatio‡.* Atque utinam possemus quocunque, vitæ etiam nostræ, dispendio æternam Persecutorum nostrorum, quos semper dileximus, quos diligere ex animo non cessamus, perditionem amoliri, salutem procurare! Utinam liceret nobis ab illâ charitate, ab illo *spiritu mansuetudinis*§, ad quam nos natura comparavit, voluntas exercuit, nunquam discedere, et in posterùm etiam, ut hactenus fecimus, *parcere virgæ*, quæ Nobis

* Mach. II. Cap. VII. V. 31.
† *Ibid.*
‡ Sup. Cap. VI..
§ I. ad Corinth, Cap. IV. V. 21.

Nobis in personâ Beatissimi Petri, à Pastorum Principe ad correctionem, punitionemque deviarum, et contumacium ovium, et ad aliorum exemplum, terroremque salutarem simul cum custodiâ universi Domini Gregis data est!

Sed jam non est lenitati locus. Tot sanè ausa quo spectent, quid sibi velint, quo evasura sint tandem, nisi iis satis maturè eo, quo fieri potest, modo occurratur, neminem, *nisi qui sponte cæcutiat*, latere jam potest; Nemo item non videt ex alterâ parte, nullam prorsus spem esse reliquam, fore aliquando, ut eorum auctores aut admonitionibus, consiliisque sanari, aut precibus, et expostulationibus placari Ecclesiæ possint. His omnibus neque aditum jamdiu, neque auditum præbent, neque aliter respondent, quam injurias injuriis cumulando. Ac fieri profecto non potest, ut Ecclesiæ, aut tanquam filii Matri pareant, aut tanquam Magistræ discipuli auscultent ii, *qui nihil non moliuntur, nihil non agunt, nihil non conantur, ut eam sibi tanquam Domini ancillam subjiciant, subjectamque funditus evertant.*

Quid igitur restat jam Nobis, nisi socordiæ, ignaviæque aut fortasse etiam desertæ turpiter Dei causæ incurrere notam velimus, quam ut terrenâ omni postpositâ ratione, abjectâque omni prudentiâ carnis, Evangelicum illud præceptum exequamur? *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus!** Intelligant illi aliquando *imperio* ipsos *nostro ac Throno lege Christi subjici: imperium enim nos quoque gerimus; addimus etiam præstantius; nisi verò æquum sit spiritum carni, et cœlestia terrenis cedere†.* Tot olim Summi Pontifices doctrinâ, ac sanctitate præstantes, ob unum etiam quandoque

* Matth. XVIII.

† S. Greg. Naz. Orat. XVII. ad Maur.

quandoque vel alterum ex iis criminibus quæ anathemate à Sacris Canonibus plectuntur, sic exigente Ecclesiæ causâ, contra Reges, ac Principes contumaces ad hæc extrema descenderunt. Verebimur ne Nos eorum exemplum tandem sequi, post tot facinora, tam nefaria, tam atrocia, tam sacrilega, tam ubique cognita, tam omnibus manifesta? Nonne Nobis verendum est magis, ne jure ac meritò accusemur, qui serò id nimis, quam quod aut temerè, aut præcipitanter fecerimus; præsertim cùm postremò hoc, et omnium quotquot hucusque contra temporalem nostrum Principatum patrata sunt gravissimo ausu admoneamur, integrum, liberumque Nobis non fore amplius, ut huic tam gravi, tam necessario Apostolici Ministerii nostri debito satisfaciamus?

Hinc auctoritate Omnipotensis Dei, et SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostrâ declaramus, eos omnes, qui post Almæ hujus urbis, et ditionis Ecclesiasticæ invasionem, sacrilegamque B. Petri Principis Apostolorum patrimonii violationem à Gallicis Copiis attentatam peractamque, ea de quibus in supradictis duabus allocutionibus Consistorialibus, *pluribusque protestationibus et, reclamationibus* jussu nostro vulgatis conquesti fuimus in præfatâ urbe, et ditione Ecclesiæ, contra Ecclesiasticam immunitatem, contra Ecclesiæ, atque hujus S. Sedis jura, etiam temporalia, vel eorum aliqua perpetrarunt, nec non illorum mandantes, fautores, consultores, adhærentes, vel alios quoscumque prædictorum exequutionem procurantes, vel per se ipsos exequentes, Majorem Excommunicationem, aliasque censuras, ac pœnas Ecclesiasticas à Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum, Tridentini præsertim (Sess. XXII. Cap. XI. de Reform.) Decretis inflictas incurrisse, et si opus est de novo excommunicamus et anathematizamus; necnon omnium, et quorumcumque privilegiorum, gratiarum et indultorum sibi à Nobis, seu Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quomodo-

libet concessorum amissionis pœnas, eo ipso, pariter incurrisse: nec à censuris hujusmodi à quoquam, nisi à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (præterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentiâ in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi, ac liberari posse; ac insuper inhabiles, et incapaces esse qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attentata publicè retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenariè, et cum effectu redintegraverint, vel alias debitam, et condignam Ecclesiæ, ac Nobis, et huic S. Sedi satisfactionem in præmissis præstiterint. Idcircò illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis à retractatione, revocatione, cassatione, et abolitione omnium, ut supra, attentatorum per se ipsos faciendâ, vel alias debitâ, et condignâ Ecclesiæ, ac Nobis, et dictæ S. Sedi satisfactione realiter, et cum effectu in eisdem præsentium litterarum, seu alio quocunque prætextu minimè liberos, et exemptos sed semper ad hæc obligatos fore, et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, eorundem tenore præsentium decernimus, et pariter declaramus. Dùm vero Ecclesiæ severitates gladium evaginare cogimur, minimè tamen obliviscimur tenere nos, licet immerentes, ejus locum in terris, qui cùm etiam exerit justitiam suam, non obliviscitur misereri.

Quare subditis in primis nostris, tum universis populis Christianis, in virtute sanctæ obedientiæ, præcipimus, ac jubemus, ne quis iis, quos respiciunt præsentes literæ, vel eorum bonis, juribus, prærogativis damnum, injuriam, præjudicium, aut nocumentum aliquod, earumdem litterarum occasione, aut prætextu præsumat afferre. Nos enim in ipsos eo pœnarum genere, quod Deus in potestate nostrâ constituit, animadvertentes, atque tot tamque graves injurias Deo, ejusque Ecclesiæ Sanctæ illatas ulciscentes, id potissimùm proponimus nobis, ut

qui

qui *Nos modo exercent, convertantur, et nobiscum exerceantur* (S. Aug. in. Ps. 54. v. 1.) si forte scilicet *Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem* (II. ad. Tim. Cap. II. v. 25.) Quare levantes manus nostras in Cœlum in humilitate cordis nostri, dùm Deo, cujus est potiùs quam nostra, justissimam causam, pro quâ stamus, iterùm remittimus et commendamus, iterùmque gratiæ ejus auxilio paratos nos profitemur usque ad fæcem pro ejus Ecclesiâ calicem bibere, quem ipse prior bibere pro eâdem dignatus est, Eum per viscera misericordiæ suæ obsecramus, obtestamurque, ut quas diu noctuque pro eorum resipiscentiâ, ac salute orationes, deprecationesque fundimus, ne despiciat, atque aspernatur. Nobis certè nulla latior illa, nulla jucundior illucescet dies, quâ videamus Divinâ nos exaudiente Misericordiâ filios nostros, a quibus tantæ nunc proficiscuntur in nos tribulationum, dolorisque causæ, paternum in sinum nostrum confugere, et in Ovile regredi festinantes.

Decernentes præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod præfati, et alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ et dignitatis existant, seu alias specificâ et individuâ mentione, et dignitatis existant, seu alias specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, sed ad ea vocati, citati, et auditi, causæque, propter quas præsentes emanaverint, sufficienter adducti, verificatæ et justificatæ non fuerint, aut ex aliâ quâlibet causâ colore, pretextu et capite, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, ac alio quocumque defectu notari, impugnari, infringi, retractari, &c....

Cùm autem eædem præsentes litteræ ubique, ac præsertim in locis, in quibus maximè opus esset, nequeant

tutè

tutè publicari, uti notoriè constat, volumus illas, seu earum exempla ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatæ fuissent.

Volumus autem, ut earundem Literarum transsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique locorum, et Gentium tam in Judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, ac si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decimâ Junii 1809, Pontificatûs Nostri anno decimo.

PIUS PP. VII.

CONCORDAT

PASSÉ À FONTAINEBLEAU, LE 25 JANVIER, 1813,

ENTRE

S. S. PIE VII, ET NAPOLÉON BUONAPARTE.

Sa Majesté l'Empereur des Français et Sa Sainteté voulant mettre un terme aux Différends, qui se sont élevés entre Eux, et pourvoir aux Difficultés survenues sur plusieurs des Articles suivants, comme devant servir de Base à un arrangement définitif, conviennent des Articles suivants :

Art. I. Sa Sainteté éxercera le Pontificat, en France, et dans le Royaume d'Italie, de la même manière, et avec les mêmes formes que ses Prédécesseurs.

Art. II. Les Ambassadeurs, Ministres, Chargés d'Affaires des Puissances près le Saint Père, et les Ambassadeurs, Ministres, ou Chargés d'Affaires que le Pape pourroit avoir près des Puissances Etrangères, jouïront des immunités et privilèges, dont jouïssent les Membres du Corps diplomatique.

Art. III. Les Domaines que le St. Père *possédoit* et qui ne sont pas aliénés, seront éxempts de toute espèce d'impôts. Ils seront administrés par des Agents ou Chargés d'Affaires. Ceux qui seroient aliénés, seront remplacés jusqu'à la concurrence de deux Millions de revénu.

Art. IV. Dans les six Mois, qui suivront la Notification d'usage de la Nomination par l'Empereur aux Archevêchés et Evêchés de l'Empire et du Royaume d'Italie, le Pape donnera l'Institution canonique, conformement

ment aux Concordats, et en vertu du présent Indult. L'Information préalable sera faite par le Métropolitain. Les six Mois expirés, sans que le Pape ait accordé l'Institution, le Métropolitain, et à son defaut, le plus ancien Evêque de la Province procédera *à l'Institution Canonique*, de manière qu'un Siège ne soit jamais vacant plus d'une année.

Art. V. Le Pape nommera, soit en France, soit dans le Royaume d'Italie, à dix Evêchés qui seront ultérieurement désignés de concert.

Art. VI. Les six Evêchés Suburbicaires *seront rétablis;* ils seront à la nomination du Pape. Les Biens actuellement éxistants seront restitués, et il sera pris des mesures *pour les Biens vendus.* A la mort des Evêques d'Anagni, et de Rieti, leurs Diocèses seront réunis aux susdits six Evêchés, conformement au concert qui aura lieu entre Sa Majesté et le St. Père.

Art. VII. A l'égard des Evêques des Etâts Romains *absents de leurs Diocèses par les circonstances,* le St. Père pourra éxercer, en leur faveur, son droit de nommer des Evêchés *in partibus. Il leur sera accordé une Pension égale aux Revenus dont ils jouïssoient, et ils pourront être replacés aux Siéges vacants, soit de l'Empire, soit du Royaume d'Italie.*(1)

Art. VIII. Sa Majesté et Sa Sainteté se concerteront en temps opportun sur la réduction à faire, s'il y a lieu, aux Evêchés de la Toscane et du Pays de Gênes, ainsi que pour les Evêchés à établir en Hollande et dans les Départements Anséatiques.

Art. IX. La Propagande, la Pénitencerie, et les Archives

(1) *Vid. Opuscul cui Titulus :* " *Développement, Dangers religieux et politiques,* " *et Remède du Concordat passé à Fontainebleau, le* 25 *Janvier*, 1813, *entre* " *Napoléon Buonaparté et Pie VII.—Londres : De l'Imprimerie de R. Juigné,* " 17, *Margaret Street, Cavendish Square. Se vend chez Mr. de la Roche,* 5, " *King Street, Portman Square.* 1813."

chives seront établies dans le lieu du séjour du St. Père.

Art. X. *Sa Majesté rend ses bonnes graces* aux Cardinaux, Evêques, Prêtres, et Laïques qui ont encouru sa disgrace par suite des événements actuels.

Art. XI. Le St. Père se porte aux dispositions ci-dessus, par considération de l'état actuel de l'Eglise et dans la confiance que lui a inspirée Sa Majesté, qu' Elle accordera sa puissante protection aux besoins si nombreux qu'a la Religion dans les temps ou nous vivons. A Fontainebleau, &c.

Décret Impérial du 25 *Mars,* 1813.

" Napoléon, &c. Nous avons décrété et décrétons ce " qui suit:

" Art. I. Le Concordat signé à Fontainebleau, qui " règle les affaires de l'Eglise, et qui a été publié le 13 " Fevrier 1813, comme Loi de l'Etat est obligatoire en- " vers *nos Archevéques, Evêques et Chapitres,* qui seront " tenus de s'y conformer.

" Art. II. Aussitôt que nous aurons nommé à un " Evêché vacant et que nous l'aurons fait connoitre au " St. Père, dans les formes voulues par le Concordat, " notre Ministre des Cultes enverra une expédition de " la nomination au Métropolitain et s'il est question " d'un Métropolitain au plus ancien Evêque de la Pro- " vince écclésiastique.

" Art. III. La Personne que nous aurons nommée, se " pourvoira par devant le Métropolitain, lequel fera les " Enquêtes voulues, et en addressera le resultat au St. " Père.

" Art. IV. Si la Personne nommée etoit dans le cas " de quelque exclusion écclésiastique, le Métropolitain

" nous la feroit connoitre sur le champ, et dans le cas,
" ou aucun motif d'exclusion n'éxisteroit, si l'Institution
" n'a pas été donnée par le Pape dans les six mois de la
" notification de notre nomination, aux termes de l'Art.
" IV. du Concordat, le Métropolitain assisté des Evêques
" de la Province Ecclésiastique sera tenu de donner la
" dite Institution.

" Art. V. Nos Cours Impériales connoitront de toutes
" les affaires connues sous le nom *d'Appel comme d'Abus*,
" ainsi que de toutes celles qui résulteroient de la non-
" éxécution des Loix du Concordat.

" Art. VI. Notre Grand-Juge présentera un projet
" de Loi pour être discuté en notre Conseil, qui déter-
" minera la procédure et les peines applicables dans ces
" matières.

" Art. VII. Nos Ministres de France et du Royaume
" d'Italie, sont chargés de l'éxécution du présent, &c.

" Par l'Empereur Napoléon, &c."

" *Au Palais de Fontainebleau, le* 26 *Janvier* 1813.

" Napoléon, Empereur des Français, Roi d'Italie,
" Protecteur de la Confédération du Rhin, Médiateur de
" la Confédération Suisse, &c. &c.

" Voulant donner une preuve de notre satisfaction
" aux Cardinaux Doria et Ruffo, aux Evêques de Nantes,
" de Trêves, et d'Evreux, qui ont assisté à la signature
" du Concordat qui a eû lieu hier, le Cardinal Doria
" ayant rempli les fonctions de Grand-Maître des Céré-
" monies, et présenté le Concordat à notre signature et
" à celle du Pape;

" Nous avons décrété et décrétons ce qui suit :

" Art. I. Les Cardinaux Doria et Ruffo recevront
" l'Aigle d'or *de la Légion d'Honneur*.

Art.

"Art. II. Les Evêques de Nantes, de Trêves, et
" d'Evreux sont nommés Officiers *de la Legion d'Hon-
" neur.*

" Art. III. L'Archevêque d'Edesse est nommé Che-
" valier de la Couronne de Fer.

" Art. IV. Notre Ministre d'Etat G^{d}. Chancelier *de
" la Legion d'Honneur,* et le G^{d} Chancelier de la Cou-
" ronne de Fer, sont chargés de l'éxécution du présent
" Décret."

CONVENTIO

INTER

PIUM VII,

Et Regem Christianissimum inita, necnon Litteræ Apostolicæ, quibus eadem Conventio confirmatur, aliaque Monumenta Ecclesiastica Galliarum negotia respicientia.

ROMÆ, MDCCCXVII.
Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

ALLOCUTIO

HABITA

A SS. DD. NN. PIO PAPA VII,

In Consistorio Secreto die 28 *Julii* 1817.

VENERABILES FRATRES,

Ex quo Sedi apostolicæ post notissimas rerum vicissitudines restituti, catholicam Ecclesiam curæ nostræ divinitus commissam *liberè* gubernandam denuo suscepimus, nihil intentiore animo concupivimus, quàm ut ecclesiasticum in Gallia regimen aptius ordinaremus, et gravissimis mederemur malis, quibus Ecclesia *pluribus ab annis ibidem affligitur*, atque ita *catholica religio* pristinum in eo regno splendorem recuperaret. Quod autem in maximis votis erat, id juvante Deo *Nos esse consecutos*, vobis, Venerabiles Fratres, annuntiamus. Simul ac enim carissimus in Christo Filius noster Ludovicus XVIII, *avito Solio* redditus feliciter est, Nos opportunissimâ occasione usi, cum Eo, quem religiosissimis animari sensibus probè noveramus, de componendis ecclesiasticis sui regni rebus agere incepimus, præstantissimoque Rege curis

curis nostris obsecundante, Conventionem tandem absolvimus, quam à dilecto filio Nostro Hercule S. Agathæ ad Suburram S. R. E. Diacono Cardinali Consalvi(*a*) Nobis à secretis Statûs, ac dilecto filio, comite de Blacas d'Aulps, christianissimi Regis apud Nos et apostolicam sedem Oratore extraordinario, plena utriusque potestate munitis, subscriptam Regia Majestas sua ratam jam habuit. Uberrimam, quam ex hoc faustissimo eventu cepimus voluptatem vobiscum, Venerabiles Fratres, hodie partimur, quos in adversis et secundis casibus, mœroris lætitiæque nostræ socios experti sumus. Ut verò Conventionis hujus ratio vobis perspecta sit, ea vestris oculis subjicietur unà cum nostris litteris apostolicis, quibus Conventionem eamdem rite solemniterque confirmavimus. Alteras similiter apostolicas litteras emittimus, quibus novi fines præscribuntur, quos habituræ posthac erunt Gallicanæ diœceses, quarum numerus insigniter, ut videbitis, adauctus est. Rebus hoc pacto meliorem in conditionem adductis, Galliarum Ecclesiæ ad convenientem sibi dignitatem slendoremque revocantur. De quo lætissimo gratissimoque successu Nos dubitare non sinit explorata christianissimi Regis pietas, qui se Catholicæ Religionis bono latius adhuc, et munificentius consulturum pollicitus quoque Nobis est.

Multa quidem in tractando tàm salutari negotio Nobis obstacula occurrerunt, quæ studia nostra præpedire, ac penè frustrari quandoque visa sunt. Hæc tamen obstacula feliciter amota sunt; in primis autem ad rem expediendam valuerunt tùm observantissimæ quorumdam ex iis

---

(*a*) Hic Cardinalis *Diaconus*, Hercules Consalvi, Factitator *Concordatorum* Pii VII, idem est qui legitur, pp. 92 et 95, huj. Collect., confecisse et subsignasse Concordatum inter Pium VII. et Republicanum Gubernium, Ann. 1801, unà cum *Civibus* Republicanis Josepho Buonaparte, Cretet, &c. Vid., etiam, pp. 102 et 105, istiûs Collect.

iis Episcopis litteræ, qui cùm petitioni nostræ circa Ecclesiarum quibus præerant abdicationem assensi non fuissent, animi sui ægritudinem, ob non mediocrem, quem ex eorum in hoc negotio agendi ratione dolorem suscepimus, Nobis manifestarunt; tùm officiale scriptum, quo egregius Vir Comes de Blacas supra memoratus exponit Regem suum sibi auctorem fuisse, ut Nobis ejus nomine declararet jusjurandum illud, quo constitutioni regnique legibus obedientiam Subditi pollicentur, nihil aliud spectare nisi ea quæ ad civilem ordinem pertinent, eoque jurejurando nullatenus ad quidpiam obligari eos posse, quod Dei Ecclesiæque legibus adversetur. Hujusmodi etiam scriptum, et memoratas episcoporum litteras cum reliquis hujus rei monumentis vobis exhiberi mandavimus.

Hæc quæ tanto Nobis solatio inter molestissimas Pontificatûs Nostri sollicitudines extiterunt, vobis, Venerabiles Fratres, nuntianda erant. Ad augendam verò solemnem hujus diei lætitiam, eamque insigni aliquo monumento consignandam, novo cardinalium numero vestrum augere ordinem constituimus.

Inter eos, quos hac die cardinales creare Nobis proposuimus, primum locum obtinet venerabilis frater Alexander-Angelicus de Talleyrand-Perigord, archiepiscopus *ôlim* Rhemensis, quem ab ipso pontificatûs Nostri exordio christianissimus Rex, Ejus meritis permotus, suis apud Nos officiis fuerat studiosissimè prosequutus, et cujus rationem in consistorio diei 23 Septembris elapsi anni habere non potuimus.

Conventionis autem cum Rege christianissimo initæ gratiâ, atque ut rem Majestati suæ acceptam faciamus, nec non grati ac benevoli animi Nostri sensus Nationi Gallicæ testemur, quæ tot, ac tanta, cùm illic diversaremur, Nobis obtulit amoris, obsequii, ac piæ liberalitatis argumenta, duos præterea cardinales creandos putavimus, videlicet:

Venerabiles

Venerabiles fratres Cæsarem-Guillelmum de la Luzerne, Episcopum *olim* Lingonensem, et Aloysium-Franciscum de Bausset, Episcopum *olim* Alesiensem, qui, etiam pastoralis officii multa cum laude olim gesti, meritis commendantur.

Ex iis autem cardinalibus, quos in consistorio secreto die 8 martii superioris anni habito in pectore reservavimus, nunc publicamus duos, qui diuturnis, et gravissimis muneribus cum laude perfuncti hoc honestari præmio meruerunt. Hi sunt :

Franciscus Cesarei de Leonibus, romanæ Rotæ Decanus ;

Antonius Lante, Cameræ apostolicæ Decanus.

Quid vobis videtur ?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostrâ, declaramus S. R. E. presbyteros cardinales ;

Franciscum Cesarei de Leonibus, R. Rotæ Decanum ;

Antonium Lante, Cameræ apostolicæ Decanum.

Insuper creamus S. R. E. presbyteros cardinales.

Alexandrum-Angelicum de Talleyrand-Périgord, Archiepiscopum olim Rhemensem ;

Cæsarem-Guillelmum de la Luzerne, Episcopum olim Lingonensem ;

Aloysium-Franciscum de Bausset, Episcopum olim Alesiensem.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis, et opportunis.

In nomine Patris†, et Filii†, et Spiritus† Sancti. Amen.

CONVENTIO

CONVENTIO
INTER
SUMMUM PONTIFICEM PIUM VII,
ET
CHRISTIANISSIMUM FRANCORUM REGEM LUDOVICUM XVIII.

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis.

Sanctitas sua summus Pontifex Pius Septimus, et Majestas sua Rex christianissimus vehementi desiderio affecti, ut mala, quibus Ecclesia in Gallia à pluribus annis affligitur, finem penitùs habeant, et Religio ad pristinum in eo regno splendorem revocetur, cum feliciter restituto in *avitum solium Sancti Ludovici* nepote, tandem liceat regimen ecclesiasticum ibidem aptius ordinare, solemnem propterea Conventionem inire decreverunt, reservantes sibi Catholicæ Religionis rationibus, collatis studiis, uberius deinde providere.

Consequenter Sanctitas Sua summus Pontifex Pius VII, in Suum Plenipotentiarium nominavit eminentissimum Dominum Herculem sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinalem Consalvi, Diaconum sanctæ Agathæ ad Suburram, Suum à secretis Statûs.

Et Majestas sua Rex christianissimus excellentissimum Dominum Petrum-Ludovicum-Joannem-Casimirum Comitem de Blacas, Marchionem d'Aulps et des Rolands, Parem Franciæ, magnum Præpositum regio vestiario, Suum apud Summum Pontificem et Apostolicam Sedem Oratorem extraordinarium, et Plenipotentiarium.

Qui post sibi mutuo tradita legitima et authentica respectivæ plenipotentiæ instrumenta, de sequentibus articulis convenerunt.

Articulus

Articulus I. Concordatum inter summum Pontificem Leonem X, et Franciscum I Francorum Regem initum restituitur.

Art. II. Consequenter ad articulum præcedentem, Concordatum, diei 15 julii anni 1801 suum effectum habere desinit(*a*).

Art. III. Articuli *organici* nuncupati, qui insciâ Sanctitate Suâ conditi, ac sine ullo ejus assensu, die 8 aprilis anni 1802, unà cum supradicto Concordato diei 15 julii anni 1801, promulgati fuerunt, abrogantur in iis, quæ adversantur doctrinæ, et legibus Ecclesiæ.

Art. IV. Ecclesiæ, quæ in Galliarum regno per apostolicas Sanctitatis suæ litteras, diei 29 novembris anni 1801, suppressæ fuerunt, denuò erigentur usque ad eum numerum, qui, utpote religionis bono magis proficuus, mutuo consensu præfinietur.

Art. V. Cunctæ archiepiscopales et episcopales Ecclesiæ regni Galliarum per memoratas apostolicas litteras, diei 29 novembris anni 1801, erectæ, unà *cum earum titularibus actualibus* conservantur.

Art. VI. Præscriptum præcedentis articuli circà conservationem eorumdem titularium actualium in archiepiscopalibus et episcopalibus eorum sedibus nunc existentibus in Galliis, impedimento non erit peculiaribus aliquibus exceptionibus, quæ gravibus legitimisque causis nitantur, neque officiet, quominus aliqui ex titularibus prædictis ad alias sedes transferri possint.

Art. VII. Diœceses ecclesiarum, quæ in præsens extant, itemque aliarum, quæ erigendæ sunt, exquisito prius ab actualibus episcopis, et capitulis, sedium vacantium consensu, iis finibus circumscribentur, qui ad utiliorem ipsarum administrationem magis expedire dignoscantur.

Art.

(*a*) E contrario : non desinit suum habere effectum suprà dictum Concordatum *cum Republicanis*, Ann. 1801, *et cum Articulis suis Organicis.*

Art. VIII. Conveniens dos cunctis tàm existentibus, quam denuo erigendis Ecclesiis in bonis stabilibus, ac in redditibus super regni debito fundatis, vulgo *rentes sur l'Etat*, quàm primùm fieri poterit, constituetur, assignato interim earum Pastoribus redditu in eâ quantitate, quæ statum eorum meliorem reddat.

Pari ratione consuletur dotationi Capitulorum, Parœciarum, et seminariorum tum existentium, tum erigendorum.

Art. IX. Sanctitas Sua, et Majestas Sua christianissima agnoscunt mala omnia, quibus Galliarum Ecclesiæ affliguntur. Perspiciunt etiam, quàm fructuosum religioni futurum sit, celeriter augeri numerum Sedium actu existentium. Ne proinde tàm magna utilitas diutius retardetur, Sanctitas Sua per apostolicas litteras ad Sedium erectionem, et novam circumscriptionem Diœcesium suprà memoratarum sine morâ procedet.

Art. X. Majestas Sua christianissima novum præbere volens sui in religionem studii testimonium, omnia, quæ in sua potestate sunt, collatis cum Sanctitate sua consiliis, præstabit, ut mala et impedimenta, quæ religionis bono et legum Ecclesiæ executioni adversantur, quàm citius fieri poterit, removeantur.

Art. XI. Antiquarum Abbatiarum *nullius Diœcesis* Territoria iis Diœcesibus unientur, intrà quarum fines in novâ circumscriptione, comprehensa reperientur.

Art. XII. Redintegratio Concordati, quod in Galliâ observatum fuit usque ad annum 1789, (Art. I. hujus Conventionis stipulata) Abbatiarum, Prioratuum, et aliorum beneficiorum, quæ tunc existebant, redintegrationem secum non feret. Beneficia tamen, quæ in posterùm fundari contingat, regulis in supradicto Concordato præscriptis subjecta erunt.

Art. XIII. Ratificationes præsentis Conventionis mutuo tradentur unius mensis spatio, aut citius, si fieri poterit.

Art.

Art. XIV. Statim ac prædictæ ratificationes mutuo traditæ fuerint, Sanctitas Sua per apostolicas litteras præsentem Conventionem confirmabit, ac deinde aliis apostolicis litteris Diœcesium fines circumscribet.

In quorum fidem præfati Plenipotentiarii præsenti Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romæ, die undecimâ junii, anni millesimi octingentesimi decimi septimi.

HERCULES, Card. CONSALVI. BLACAS D'AULPS.

LITTERÆ APOSTOLICÆ,

QUIBUS, CONVENTIO, CUM REGE CHRISTIANISSIMO INITA, CONFIRMATUR.

PIUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

UBI primùm singulari omnipotentis Dei beneficio in nostram Sedem reducti fuimus, è quâ in altitudinem Maris, tempestas valida nos detulerat, ad teterrimam illicò malorum colluviem, quibus sacratissima Christi Sponsa miserè afflictabatur, animum nostrum convertimus, susceptumque è reditu gaudium tristissima illorum consideratione turbari persensimus. Eo autem in loco constituti, quo non deplorare illa sufficiat, sed et emendare pro viribus debeamus, Nostras in id sollici-

 tudines

tudines intentè conjecimus, ut tàm magnam à Dominico grege vastitatem propulsaremus, ac, quod commissi nobis officii est, post tantam rerum conversionem corroborare adniteremur Templum, et consolari ruinas Israel.

Verùm cùm id per universam catholicam Ecclesiam majori, quâ possemus, animi contentione ex hâc summi apostolatûs speculâ præstare niteremur, Nostras tamen curas, et cogitationes in Galliarum regnum cum primis conferendas censuimus, ut ubi è temporum asperitate mala graviora erupere, ibi et apostolica sollicitudo cumulatius ad ea reparanda intenderetur. Id quippe singulari quodam jure à nobis efflagitabat nedum tot illa mala, quibus Galliarum ecclesiæ conflictatæ fuerunt, sed et grata in universam nationem tàm bene de Nobis meritam benevolentia. Jucundâ siquidem recordatione repetebamus, quâ celebritate, et frequentiâ, et quam devoto animorum sensu, alienissimo licet tempore, ibidem excepti fueramus, adeò ut divino omnipotentis Dei consilio, honori, qui Petro debetur, nec successoris indignitas obstaret, nec periculorum metus officeret.

In hoc autem opere conficiendo maximo Nobis adfuit carissimi in Christo filii nostri Ludovici, Francorum Regis christianissimi religio et pietas. Cùm enim de tantis catholicæ Ecclesiæ vulneribus eo in regno inflictis utili curatione sanandis nostra eidem studia aperuerimus, id summopere Sibi in votis esse testatus est, *divinâ sic disponente protectione, quæ non deserit Ecclesiam suam, ut*, quod olim S. Leo Magnus Pulcheriæ Augustæ gratulabatur (1), *eodem opere, eâdem mente et tempore, Spiritus Dei, et clementiæ ipsius sollicitudinem, et curam nostri cordis accenderit, ut de remediis procurandis eadem utrique saperemus.*

Ast,

(1) *Epist. ad Pulcher. Aug.* xlix.

Ast, vix gravissimo negotio manum admoveramus, insonuit iterum *vox impetus rotæ, et equi frementis, et gladii micantis*(1): atque idcircò secedere iterùm coacti fuimus ex hâc pontificatûs arce cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, ut novis Nos, quæ impendebant, periculis, et in Ecclesiæ administratione impedimentis subtraheremus, ac novo bellorum tumultu rebus omnibus in Italia et Galliis in discrimen deductis, auspicatiora quæque consilia vel ipso primordio obtruncata comploravimus. Verùm faciente Deo pacem in sublimibus, illuxit citò desideratissima dies, quâ Ecclesiæ rebus per vastissimas illas Galliarum regiones, connitente christianissimo Rege, potuimus opportunè consulere. Probè enim intelligens ipse carissimus in Christo filius Noster Ludovicus Rex, ea, quæ Dei sunt, præcipuo quodam ac peculiari studio ab Se esse curanda, litteris officii, devotionis, ac pietatis plenis nos compellavit, ut ad Ecclesiæ negotia in sua ditione componenda apostolicâ dispensatione properaremus.

Votis itaque pientissimi Regis, quæ et Nostra vota erant diuturna et impensissima, perlubenter annuimus, omniaque illicò, quæ in eum finem spectabant, in deliberationem adduci, et coràm selectâ Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium congregatione maturè perpendi curavimus. Ea tamen fuit negotiorum, quæ componenda erant, complexio et gravitas, ut nonnisi ex longâ operosâque consultatione, rem demùm, eo juvante, qui Pater est luminum, feliciter confecerimus per Conventionem, quam in maximum animarum commodum, et in opportunum tot malorum *remedium cessuram fore non ambigimus*. Hujusce autem Conventionis tenor est, qui sequitur, videlicet:

Conventio

(1) Nahum, iii. 2.

Conventio inter Summum Pontificem Pium *VII, et christianissimum Francorum Regem* Ludovicum *XVIII.* (Vid. suprà, pag. 332.)

Cùm itaque hujusmodi Conventiones, Pacta, et Concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis, et conditionibus, cùm à nobis, tùm à carissimo in christo filio Nostro Ludovicò, Rege christianissimo approbata, confirmata, et ratificata fuerint, cùmque laudatus Rex enixè à Nobis flagitaverit, ut pro firmiori eorum subsistentiâ robur apostolicæ firmitatis adjiceremus, solemnioremque auctoritatem, et decretum interponeremus; Nos de prædictorum Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio et assensu, atque ex certa scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, præinsertas Conventiones, Capitula, Pacta, et Concordata tenore præsentium adprobamus, ratificamus, et acceptamus, illis apostolici muniminis, et firmitatis robur, et efficaciam adjungimus, omniaque in eis contenta, ac promissa sincerè et inviolabiliter, ex Nostrâ atque Apostolicæ Sedis parte adimpletum et servatum iri, tàm nostro, quàm Nostrorum Successorum nomine promittimus, ac spondemus.

Prætereà monemus, atque hortamur in Domino omnes et singulos Archiepiscopos et Episcopos, sive actu existentes, sive juxta *novam Diœcesium Circumscriptionem canonicè instituendos*, eorumque Successores, ut præmissa in iis, quæ ad eos spectant accuratè ac diligenter servent, atque custodiant.

Decernentes, easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut alio quocumque, quamvis magno, aut inexcogitato defectu notari aut impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere

tere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, et inviolabiliter observari debere, quoùsque conditiones et pacta in Tractatu expressa serventur. Non obstantibus apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac Nostris et Cancellariæ Apostolicæ regulis, præsertim de jure quæsito non tollendo, ac Conventione diei 15 julii anni 1801, nec non quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, aliorumque piorum locorum fundationibus, etiam confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat, specialiter et expressè derogamus.

Præterèa, quià difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eâdem apostolicâ auctoritate decernimus, et mandamus, ut earum transsumptis, etiam impressis, manu tamen publici Notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, plena ubique fides adhibeatur, perindè ac si præsentes litteræ forent exhibitæ, vel ostensæ. Et insuper irritum quoque et inane decernimus, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ concessionis, approbationis, ratificationis, acceptationis, derogationis, statuti, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraîre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo decimo septimo, decimo quarto kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

A. Card. Pro-datarius. H. Card. Consalvi.

Visa de Curia. D. Testa.

Loco † plumbi.

F. Lavizzarius.

BULLA

NOVÆ CIRCUMSCRIPTIONIS

DIŒCESIUM REGNI GALLIARUM.

PIUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Commissa divinitùs infirmitati Nostræ omnium Ecclesiarum cura à Nobis efflagitat, ut ad dominici gregis custodiam impigro vigilantes affectu, in ea semper apostolicæ auctoritatis præsidium conferamus, quibus majorem divini nominis gloriam, et cumulatiora Catholicæ Religionis incrementa noverimus comparari. Hoc sanè consilio Conventionem nuper inivimus cum carissimo in Christo filio Nostro Ludovico, Francorum Rege christianissimo, quam Nostris, decimo quarto kalendas Augusti, sub plumbo datis apostolicis litteris pontificiæ approbationis robore firmavimus.

In ea autem præter cætera statuitur, ut Archiepiscopalium et Episcopalium Sedium numerus in universo Galliarum

arum regno augeatur, novaque propterea fiat Diœcesium Circumscriptio. Quare, ut communia Nostra, et pientissimi Regis vota exoptatum citò nanciscantur effectum, statum illicò Diœcesium, quæ in præsens extant, ac regionum, quibus eæ continentur, magnitudinem atque naturam, et demum incolarum frequentiam expendendas accuratè suscepimus, ut ubi majorem videremus messem, quæ præ sui multitudine, locorumve qualitate minùs commodè procuraretur, Operarios adjiceremus, ac juxtà propheticum verbum augeremus custodiam, levaremusque Custodes (1). Universam itaque rei rationem, collatis cum eodem christianissimo Rege consiliis, auditâque selectâ Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium congregatione, maturè diligenterque perpendimus, datisque ad Archiepiscopos, et Episcopos, atque ad Capitula Ecclesiarum vacantium litteris, nostra Ipsis studia significavimus, ut in propositam Diœcesium divisionem animum lubentem præberent.

Quapropter rebus omnibus feliciter compositis, ad omnipotensis Dei gloriam, ad Deiparæ Virginis, quam illustris Francorum natio præcipuo veneratur obsequio, aliorumque cœlestium singularum diœcesium patronorum honorem, atque ad fidelium animarum bonum, de certa scientiâ et maturâ deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, præter Archiepiscopales, et Episcopales Sedes, quæ modò numerantur in Galliis, de novo constituimus, et erigimus alias septem Metropolitanas Ecclesias, nimirum Senonensem sub invocatione S. Stephani, Protomartyris; Rhemensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Albiensem, sub invocatione S. Joannis Baptistæ; Auxitanam, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Narbonensem, sub invocatione sanctorum Justi et Pastoris; Arelatensem, sub invocatione sanctorum Trophimi et Stephani; et Viennensem

(1) Jerem. li, 12.

nensem in Delphinatu, sub invocatione S. Mauritii: itemque alias triginta quinque ecclesias episcopales, videlicet: Carnutensem, sub invocatione S. Stephani Protomartyris; Blesensem, sub invocatione S. Ludovici, Franciæ Regis; Lingonensem, sub invocatione S. Mamantis martyris; Cabillonensem, sub invocatione S. Vincentii; S. Claudii, sub invocatione S. Petri; Antissiodorensem, sub invocatione S. Stephani; Nivernensem, sub invocatione S. Cyri; Molinensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Catalaunensem, sub invocatione S. Stephani; Laudunensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Bellovacensem, sub invocatione S. Petri; Noviodunensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Macloviensem, sub invocatione S. Vincentii; Aniciensem, sub invocatione S. Laurentii; Tutelensem, sub invocatione S. Martini; Ruthenensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Castrensem, provinciæ Albiensis, sub invocatione S. Benedicti; Petrocoriensem, sub invocatione sanctorum Stephani et Frontii; Lucionensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Aturensem, sub invocatione S. Joannis Baptistæ; Tarbiensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis *de Sede* nuncupatæ; Nemausensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Elnensem, sub invocatione S. Joannis Baptistæ; Biterrensem, sub invocatione sanctorum Nazarii et Celsi martyrum; Montis Albani, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Apamiensem, sub invocatione S. Antonii seu S. Antonini; Massiliensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Forojuliensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Vapincensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis, et S. Arnoldi; Vivariensem, sub invocatione S. Vincentii; Virdunensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis; Bellicensem, sub invocatione S. Joannis Baptistæ; S. Deodati, sub invocatione ejusdem sancti; Boloniensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis, et Aurajacensem, sub invocatione B. Mariæ Virginis à Nazareth nuncupatæ.

Cùmque

Cùmque Avenionensis, et Cameracensis Ecclesiæ, quæ antiquitùs metropolitico jure et dignitate fulgebant, inter simplices cathedrales cooptatæ fuerint per apostolicas litteras incipientes: *Qui Christi Domini vices;* datas tertio kalendas decembris 1801, easdem nunc in pristinum gradum et honorem, apostolicâ auctoritate Nostrâ plenè restituimus, cæterisque Archiepiscopalibus Ecclesiis accensemus. Ac ne alterius pervetustæ et insignis metropolitanæ Sedis Ebrodunensis, quæ præfatarum litterarum vigore suppressa remanet, memoria penitùs oblitteretur, ipsius titulum archiepiscopali Aquensi adjungimus.

Nostras autem sollicitudines in id impensè intendentes, ut ex Sedium mox erectarum accessione recta diœcesium Circumscriptio habeatur, quæ in utiliorem rei sacræ procurationem cedat, certisque distincta finibus omnes auferat de spiritualis Jurisdictionis exercitio quæstiones, novam pro locorum ac regionum statu opportunè præfinitam metropolitanarum et suffraganearum respectivè Ecclesiarum in Galliis distributionem, ipsarumque divisionem per has litteras de ejusdem apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, præscribimus, et constituimus juxtà modum qui sequitur, videlicet:

Metropolitana Parisiensis: Provincia Sequanæ. Ejusdem suffraganeæ. Carnutensis: Provincia Eburæ et Liderici. Meldensis: Provincia Sequanæ et Matronæ. Aurelianensis: Provincia Amnis Lidericini, seu Ligerulæ. Blesensis: Provincia Liderici et Cari. Versalliensis: Provincia Sequanæ et Œsiæ.

Metropolitana Lugdunensis: Provinciæ Rhodani, Ligeris. Ejusdem suffraganeæ, Augustodunensis: duo districtus, nimirùm Augustodunensis, et Quadrigellarum, in Provincia Araris et Ligeris. Lingonensis: Provincia Matronæ superioris. Cabillonensis: tres districtus, scilicet Matisconensis, Cabillonensis, et Lovinciensis in Provincia Araris et Ligeris. Divionensis: Provincia Collis Aurei. Sancti Claudii: Provincia Jurassi.

 Metropo-

Metropolitana Rothomagensis: Provincia Sequanæ inferioris. Ejusdem suffraganeæ. Bajocensis: Provincia Rupis Calvadosiæ. Ebroicensis: Provincia Eburæ. Sagiensis: Provincia Olinæ. Constantiensis provinciæ Rothomagensis: Provincia Oceani Britannici.

Metropolitana Senonensis: duo Districtus, nimirum Senonensis, et Joviniacensis in Provincia Icaunæ. Ejusdem suffraganeæ. Trecensis: Provincia Albulæ. Antissiodorensis: tres Districtus, scilicet Antissiodorensis, Aballonensis, et Tornodoriensis in Provincia Icaunæ. Nivernensis: Provincia Amnis Niverni. Molinensis: Provincia Elaveri.

Metropolitana Remensis: Provinciæ Matronæ, Arduennæ-Sylvæ. Ejusdem suffraganeæ. Suessionensis: duo Districtus, nempe Suessionensis, et Castri Theodorici in Axonæ Provinciâ. Catalaunensis: quatuor Districtus, nimirùm Catalaunensis, Sparnacensis, Fani sanctæ Menechildis, et Victoriaci Francisci in Provincia Matronæ. Laudunensis: tres Districtus, scilicet Laudunensis, Verbinensis, et Fani S. Quintini in Axonæ Provinciâ. Bellovacensis: duo Districtus, nempè Bellovacensis, et Silvanectensis in Provincia Œsiæ. Ambianensis: Provincia Sominæ. Noviodunensis: duo Districtus, scilicet Compendiensis, et Claromontensis in Provincia Œsiæ.

Metropolitana Turonensis: Provincia Ingeris et Ligeris. Ejusdem suffraganeæ. Cenomanensis: Provinciæ Sartæ, Meduanæ. Andegavensis: provincia Meduanæ et Ligeris. Rhedonensis: quatuor Districtus, videlicet Rhedonensis, Rotonensis, Vitriacensis, et Monfortensis in Provincia Ellæ et Vicenoniæ. Nannetensis: Provincia Finisterræ. Venetensis: Provincia Sinus Morbihani. Briocensis: Provincia Orarum Septentrionalium. Macloviensis: duo Districtus, videlicet Macloviensis, et Filiceriarum in Provincia Ellæ et Vicenoniæ.

Metropolitana Bituricensis: Provinciæ amnis Cari, Ingeris.

Ingeris. Ejusdem suffraganeæ. Claromóntensis: Provincia Montis Dumæ. Lemovicensis: Provinciæ Vigennæ superioris, Crosæ. Aniciensis: Provincia Ligeris superioris. Tutelensis: Provincia Amnis Corresii. Sancti Flori: Provincia Monti Cantalini.

Metropolitana Albiensis: duo Districtus, nimirùm Albiensis, et Galliacensis in Provincia Tarnis. Ejusdem suffraganeæ. Ruthenensis: Provincia Aveyronis. Castrensis Provinciæ Albiensis: duo Districtus, scilicet Castri Albiensis, et Vauriensis in Provincia Tarnis. Cadurcensis: Provincia Oldi, aliàs Loti. Mimatensis: Provincia Loxerani Montis.

Metropolitana Burdegalensis: Provincia Girumnæ. Ejusdem suffraganeæ. Agennensis: Provincia Oldi et Garumnæ. Engolismensis: Provincia Carentoni. Pictaviensis: Provinciæ utriusque Separis, Vigennæ. Petrocoricensis: Provincia Dordoniæ. Rupellensis: Provincia inferioris Carentoni. Lucionensis: Provincia Amnis Vendeani.

Metropolitana Auxitana: Provincia Amnis Gersi. Ejusdem suffraganeæ. Aturensis: Provincia Agri Syrtici. Tarbiensis: Provincia Pyrenæorum-superiorum. Bajonensis: Provincia Pyrenæorum-inferiorum.

Metropolitana Narbonensis: duo Districtus, videlicet, Narbonensis, et Limosinus, ac tres circuli, nimirum Tuchensis, Montishumeti, et Gradissensis in Provincia Ataxis. Ejusdem suffraganeæ. Nemausensis: Provincia Amnis Gardi. Carcassonensis: duo Districtus, scilicet Carcassonensis, et Castelli Arianorum in Provincia Ataxis. Montis-Pessulani: duo Districtus, nimirùm Montis-Pessulani, et Lutevensis in Provincia Araunæ. Elnensis: Provincia Pyrenæorum-Orientalium. Biterrensis: duo Districtus, videlicet Biterrensis, et Sancti Pontii Tomeriarum in Provincia Araunæ.

Metropolitana Tolosana: Provincia Garumnæ-superioris,

rioris. Ejusdem suffraganeæ. Montis Albani: Provincia Tarnis et Garumnæ. Apamiensis: Provincia Aurigenæ.

Metropolitana Arelatensis: Districtus Arelatensis in Provincia Ostiorum Rhodani. Ejusdem suffraganeæ. Massiliensis: Districtus Massiliensis in Provincia Ostiorum Rhodani. Adjacensis: Provinciæ Golonis, Liamonis.

Metropolitana Aquensis et Ebrodunensis in Provincia Provinciæ: districtus Aquæ Sextiæ in Provincia Ostiorum Rhodani. Ejusdem suffraganeæ. Forojuliensis: Provincia Vari. Diniensis: Provincia Alpium-inferiorum. Vapincensis: Provincia Alpium-superiorum.

Metropolitana Viennensis in Delphinatu: duo Districtus, scilicet Viennensis, et Pini-Turris in Provincia Isaræ. Ejusdem suffraganeæ. Gratianopolitana: duo Districtus, videlicet Gratianopolitanus, et Sancti Marcellini in Provincia Isaræ. Vivariensis: Provincia Ardeschæ. Valentinensis: Provincia Drumæ.

Metropolitana Bisuntina: Provinciæ Dubis, Araris superioris. Ejusdem suffraganeæ. Argentinensis: Provinciæ Rheni-superioris, Rheni-inferioris. Metensis: Provincia Mosellæ, comprehensis etiam communitatibus Ronchlingæ, Liscingæ, Hindelingæ, Zettingæ, et Didingæ, quæ ad Diœcesim Trevirensem spectabant. Virdunensis: Provincia Mosæ. Bellicensis: Provincia Iadni. Sancti Deodati: Provincia Vosagi saltûs. Nancejensis: Provincia Mortæ.

Metropolitana Cameracensis: Provincia Septentrionis. Ejusdem suffraganeæ. Atrebatensis: tres Districtus, nimirum Atrebatensis, Bethuniarum, et Sancti-Pauli in Provincia Freti-Gallici. Boloniensis: tres Districtus videlicet Boloniensis, Fani sancti Audomari, et Monasteriali in Provincia Freti-Gallici.

Metropolitana Avenionensis: duo Districtus, scilicet Avenionensis, et Aptensis in Provincia Fontis Vallis-Clausæ.

Clausæ. Ejusdem suffraganea. Aurajacensis: duo Districtus, nimirum Aurajacensis, et Carpentoractensis in Provincia Fontis Vallis-Clausæ.

Cùm verò Galliarum Ecclesiæ in præteritâ rerum conversione suo fuerint orbatæ patrimonio, et ea quæ de peractis Bonorum Ecclesiasticorum alienationibus articulo XIII Conventionis anni 1801, ex pacis studio decrevimus, suum jam effectum nacta sint, ac firma semper, suoque in robore perstare debeant; hinc necessariò ipsarum dotationi alia utili dispositione consulentes, præfatarum Archiepiscopalium et Episcopalium Ecclesiarum dotem constituimus in *Bonis stabilibus, redditibusque super regni debito fundatis*, vulgò *rentes sur l'Etat*, assignatis interim, quoad hæc Bona et redditus haberi possint, aliis redditibus qui sacrorum antistitum statum meliorem reddant, quemadmodum in articulo VIII Conventionis nuper initæ cautum est.

Præctereà, cùm in quâlibet metropolitanâ et cathedrali Ecclesiâ, Capitulum et Seminarium juxtà Tridentini Concilii decreta extare oporteat, cùmque nondum præfinito dignitatum et Canonicorum numero ad formam Capitulorum actu in Galliis existentium, nequeamus illicò ad hujusmodi erectionem devenire; idcircò Archiepiscopis et Episcopis Sedium mox erectarum committimus et mandamus, ut quantò citiùs fieri possit, eadem Capitula et Seminaria ritè constituant, quorum dotationi per articulum VIII præfatæ Conventionis consultum est. Ut verò felici eorumdem Capitulorum statui ac regimini prospiciant, peculiaria à singulis Canonicorum collegiis statuta decerni curent, sibique postea sancienda ac probanda proponi, quibus, cùmprimis de recto divini cultus servitio, de sacris officiis ordinandis, de propriis muneribus ritè obeundis, opportuna præcepta ad legum ecclesiasticarum, atque ad synodalium decretorum præstituta imponantur. Curent præterea, ut in unoquoque capitulo duo adsint Canonici quorum alter Pœnitentiarii, alter

alter Theologi officio fungatur. Volumus autem, ut cùm primùm Capitulorum erectionem perfecerint, erectionis hujusmodi documentum, designato dignitatum et Canonicorum numero, ad Nos mittant.

Sua pariter studia ad Seminaria convertant, quibus adolescentes clerici ad Ecclesiæ disciplinam informentur, eaque utilibus legibus communiant, quas ad sanam præsertim doctrinam hauriendam, retinendamque, atque ad pietatem, morumque probitatem fovendam magis in Domino expedire censuerint, ut quæ ibidem novellæ plantationes in spem ecclesiarum aluntur, succrescant feliciter, uberrimos, Deo juvante, fructus allaturæ.

Porro civitates prædictas in archiepiscopales et episcopales tenore præsentium erectas, itemque memoratas Provincias, seu Districtus singulis Ecclesiis pro diœcesi attributos, eorumdemque Incolas utriusque sexûs tam laicos, quam clericos, et presbyteros, præfatis ecclesiis, earumque futuris Præsulibus pro suis civitate, territorio, diœcesi, clero, et populo perpetuò assignamus, et respectivè in spiritualibus subjicimus. Quocirca personis ad easdem archiepiscopales et episcopales ecclesias regendas, tam pro hac prima vice, quam aliis futuris temporibus apostolicâ auctoritate præficiendis liceat, quemadmodum iisdem præcipimus et mandamus, per se ipsas, vel per alios earum nomine, veram, realem, actualem, et corporalem possessionem regiminis, administrationis, et omnimodi juris diœcesani in prædictis civitatibus, et earum ecclesiis, et diœcesibus, ac bonis, aliisque redditibus ad ipsarum dotationem assignatis, vel assignandis, vigore litterarum apostolicarum canonicæ institutionis, liberè apprehendere, apprehensamque perpetuò retinere. Quod quidem relatè ad bona, ac redditus cautum volumus etiam favore sedium archiepiscopalium et episcopalium in præsens extantium.

Præterea cùm post hanc diœcesium circumscriptionem aliquod temporis spatium necessariò intercedere debeat, antequam

antequam acta pro canonica nominatorum institutione præmittantur, novique antistites ad suas sedes accedant; volumus idcirco, ac declaramus, spirituale locorum iisdem diœcesibus attributorum regimen, per id tempus eodem statu, ac sub iisdem ordinariis, uti in præsens est, perseverare, donec novi antistites possessionem suarum Ecclesiarum ritè susceperint.

In decernenda tamen nova diœcesium circumscriptione, quæ Avenionensem quoque ducatum, et comitatum Venusinum complectitur, nullum inferri præjudicium volumus testatissimis apostolicæ Sedis juribus super eas regiones, quemadmodum aliàs, præsertim Vindobonæ apud fœderatorum Principum comitia, et in Consistorio habito die 4 septembris 1815, protestati fuimus; illudque à christianissimi Regis religione Nobis pollicemur, ut vel eædem regiones Apostolorum Principis patrimonio reddantur, vel æqua saltem pro eis compensatio tribuatur, sicque Majestas sua id perficiat, quod gloriosissimus ipsius frater decessori nostro felicis recordationis Pio VI, spoponderat, quodque, injustissimâ morte abreptus præstare nequivit.

In tanto equidem opere ad Dei gloriam animarumque salutem perficiendo, id potissimum à misericordiarum Patre expetimus, et Deiparâ Virgine, ac Sanctis Dionysio, et Ludovico, cæterisque Cœlitibus adprecantibus, quos Galliarum regnum Statores Propugnatoresque suos veneratur, assequi certò confidimus, ut aucto sedium episcopalium numero, et majori adscitâ Antistitum copiâ, uberius impleatur ministerium verbi, doceantur indocti, et quæ perierant oves in Pastoris sinum revocentur. Fiet sanè hoc pacto, ut summum ex hac diœcesium nova circumscriptione fructum nos cepisse lætemur; ut nimirum grassantibus erroribus profligatis, re sacrâ ordinatâ, aucto divini cultûs splendore, Catholica Religio in amplissimo regno in dies magis floreat, unaque sit, quod

3 B Nostra,

Nostra, et christianissimi Regis vota, studia ac consilia efflagitant, fides mentium, una pietas actionum.

Præsentes autem litteras, et in eas contenta, et statuta quæcumque, etiam ex eo quod quilibet in præmissis, seu in eorum aliquo jus aut interesse habentes, vel habere prætendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis statûs, ordinis, præeminentiæ, et dignitatis sint, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad præmissa minimè vocati, vel etiam nullimode, aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint, aut ex alia qualibet, etiam læsionis, vel alia juridica, et privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, prætextu, et capite etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in præmissis solemnitates, et quæcumque alia forsan servanda et adimplenda minimè servata et adimpleta, seu causæ, propter quas præsentes emanaverint, non satis adductæ, verificatæ et justificatæ fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, vel prætextibus notari, impugnari, aut aliàs infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversùs eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut justitiæ remedium impetrari, easque omninò sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, vel specialibus quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et tanquam ex pontificiæ providentiæ officio, deque apostolicæ potestatis plenitudine factas, et emanantes omnimodâ firmitate perpetuò validas et efficaces existere

existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuò, et inviolabiliter observari, ac earumdem ecclesiarum sicut præfertur, erectarum episcopis, capitulis et canonicis, aliisque, quorum favorem præsentes nostræ litteræ concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissimè suffragari debere, eosdemque super præmissis omnibus, et singulis, vel illorum causâ ab aliquibus quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem præsentibus Nostris litteris narratorum nullatenus unquam teneri, nec ad id in judicio, vel extrà cogi, seu compelli posse; et si secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse et fore, pari apostolicâ auctoritate volumus, atque decernimus.

Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, et Cancellariæ apostolicæ regulis, ac suprà memoratis apostolicis litteris: *Qui Christi Domini vices*, necnon metropolitanarum ecclesiarum, à quarum subjectione aliquæ suffraganeæ subtractæ sunt, ac tàm archiepiscopalium, quàm episcopalium ecclesiarum actu existentium, à quibus certæ territorii partes ad novas diœceses constituendas sejunguntur, statutis, consuetudinibus, privilegiis, et indultis, etiam confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis.

Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et firmis, specialis, specifica et individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, ad præmissorum omnium, et singulorum dumtaxat effectum illis aliàs, in iis quæ

 præsentibus

præsentibus non adversantur, in suo robore permansuris, latissimè, et plenissimè, ac specialiter, et expressè de apostolicæ potestatis plenitudine derogamus et derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus etiam, ut ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrarum erectionis, constitutionis, adjectionis, dismembrationis, distributionis, divisionis, assignationis, subjectionis, dotationis, commissionis, mandati, decreti, declarationis, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo decimo septimo, sexto kalendas Augusti, Pontificatûs nostri anno decimo octavo.

A. Card. Pro-datarius. H. Card. Consalvi.

Visa de Curia. D. Testa.

Loco † plumbi.

F. Lavizzarius.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

IN FORMA BREVIS,

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS,

ET

CAPITULA ECCLESIARUM VACANTIUM,

SUPER DISMEMBRATIONE DIŒCESIUM.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, ac dilectis filiis, capitulis et Canonicis ecclesiarum vacantium regni Galliarum.

PIUS PP. VII.

Venerabiles fratres, ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

VINEAM quam plantavit Dominus in florentissimo Galliarum regno respicientes, post tot tantaque asperrimorum temporum discrimina, nihil sanè ad utiliorem ipsius procurationem certius conducere agnovimus, quàm multiplicare Operarios, qui in ipsa collaborent. Id carissimus etiam in Christo filius noster Ludovicus, Rex christianissimus, probè animadvertit, eupiensque suffulcire domum, quam venti vehementes concusserunt, sua nobis vota significavit, ut, novis diœcesium limitibus præfinitis, episcopatuum numerus in primis augeretur, cognoscens quantopere ad cæteras omnes Ecclesiæ res in amplissimo regno feliciter deinde componendas id mirificè expediat.

Non est equidem, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, cur multo vobis sermone explicemus, quo gaudio, et quàm

quàm incenso studio animum appulerimus, ut pia hæc vota religiosissimi Regis apostolicâ auctoritate nostrâ complerentur. *Non enim ad mobilitatem humanarum rerum*, ut inquiebat S. Innocentius I, *de Ecclesia hoc pacto commutanda* cogitavimus, sed quod jamdiu optabamus, et pro temporum ratione assequi numquam potuimus, prosperè nunc, ac feliciter, Deo juvante, confici posse gratulamur.

Cùm itaque servatis sedibus archiepiscopalibus et episcopalibus quæ in præsens extant, alias plures ex iis, quæ ante annum 1801 numerabantur, denuo erigere decreverimus, nova proinde diœcesium divisio peragenda erit, quam iis finibus designare statuimus, qui in majus dominici gregis commodum redundent.

Nostis profectò vestrâ experientiâ, quàm magnæ id utilitatis ad rectam diœcesium administrationem futurùm sit; ideoque minimè dubitamus, quin in propositam diœcesium divisionem lubentem animum præbeatis. Hoc a vobis singulis, nostris hisce litteris animo fidenti requirimus; siquidem de animarum lucro res est, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, cui nullum nimium potest esse dispendium, quando eas Servator noster sanguinis sui pretio redemit. Haud ergo pigeat Nostris hisce curis, optimisque christianissimi Regis consiliis celeri responso obsecundare, ne quæ piè salubriterque disponenda sunt, ullâ contentione turbentur, neve ulla parentur obstacula in iis exequendis, quæ à Nobis postulat sollicitudo, quam Ecclesiæ universæ ex divinâ institutione dependimus. Omne interim donum perfectum à Largitore cunctorum bonorum vobis adprecantes, apostolicam benedictionem paternæ nostræ benevolentiæ testem peramanter impertimur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis Diœcesis die 12 Junii 1817, Pontificatûs nostri anno decimo octavo.

PIUS PP. VII.

EPISTOLÆ
AD
SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

Datæ per antiquos Galliarum præsules, de quibus in Allocutione facta est mentio.

Beatissime Pater,

Nuper ex parte Regis christianissimi nobis significatum est, diem properare, quâ finem habenda sint Ipsum inter, ct Sanctitatem vestram colloquia, quorum exitus erit pax Ecclesiæ Gallicanæ feliciter restituta(1). Verùm integra nondum foret concepta jàm de tàm fausto nuntio lætitia nostra, si adhuc pertimescendum haberemus, ne paterna viscera Vestra quodam ægritudinis sensu laborarent, ex eo quod in luctuosis nimium, necnon Sanctitati vestræ molestissimis, prout ipsa testabatur(2), rerum tempestatibus (sed ab iis, in quibus nunc versamur, valdè dissimilibus) Sanctitatis Vestræ votis non respondcrimus.

Esti nobis persuasum sit, Beatissime Pater, è memoriâ Sanctitatis Vestræ jamdudùm evanuisse obliviscendas illas conflictationes, doloresque sustentatos, de quibus et Vos, et nos quoque consolari, tanto tàmque expectato favore dignata divina Providentia est; nihilominùs pro nostris ergà præcelsam beati Petri cathedram honore et obsequio, pro nostra in Sanctitatem Vestram huic almæ Sedi, Deo optimo providente, tam gloriosè insidentem, veneratione ac pietate, pro nostro demùm studio in Gallicanam Ecclesiam, de cujus decore nos semper juvat esse sollicitos, undequàque nobis incumbit et cura, et debitum

(1) Discours du Roi à l'ouverture des Chambres.
(2) Breve : *Tam Multa*, 15 Aug. 1801.

debitum nubila discutiendi, quæ circà genuinam nostram sentiendi rationem in animo Sanctitatis Vestræ suboriri potuisse doleremus.

Absit, Beatissime Pater, ut à sanctâ Sede apostolica ausu nefando discedere; absit ut Summorum Pontificum auctoritatem, et sacra jura quadantenùs infringere prætenderimus: absque gravi injuriâ nobis adscribi non posset infanda hæc doctrina, scilicet quâcumque de causa, quibuscumque circumstantiis, licitum unquam fuisse, aut esse, à sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ sinu et communione recedere. Nos sicut et Antecessores nostri, semper religioni duximus, ipsam profiteri et colere, ut ecclesiarum omnium parentem, matrem ac magistram(1), *ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles*(2).

Porrò ut omninò tollatur, si quid hac de re dubii esse possit, præfatam declarationem, ac tàm sacris dogmatibus adhæsionem solemniter et ex animo renovamus. Hanc antè pedes Sanctitatis Vestræ, et ad imum cathedræ suæ deponimus, significantes insuper, quod nedum unquam moras inferamus, quominùs plenum effectum habeat, quidquid unà cum regia Majestate statuendum duxeritis ad arcenda ea, quæ religionis bono, necnon ecclesiasticarum legum executionem in Galliâ obstare videantur, nos quinimò promptos, et paratos fore, si necessitas incumbat, in Mare procellosum mitti, fluctibus obrui, *ut stet Mare a fervore suo*(3).

Quapropter Sanctitatem Vestram enixè rogamus, quatenùs, *quæ retrò sunt obliviscens*(4), et ea, quæ, nobis minimè volentibus, cor paternum mœstitiâ affecere, piâ benevolentiâ quasi velo obtegens, filialis observantiæ, devotionis

(1) *Hincmar. De divort. Lothar. et Tauthber.*
(2) *S. Iren. advers. hæres* l. III, c. III.
(3) *Jon.* i, 3.
(4) *Philipp.* III, 13.

devotionis et obedientiæ nostræ testificationem hanc, necnon et studii nostri ad obsecundanda ipsius erga nostram Ecclesiam proposita benignè audire non dedignetur.

Sint protestationes istæ, sint reverentiæ nostræ pignora talia, quæ digna videantur Sanctitate Vestrâ, quæ quidem propter honoris, ac jurisdictionis *Primatum*, quo episcopatui universo supereminet, tàm adhuc in ipsum imperio virtutum præest! " Digna sint Avis nostris, digna Nepotibus, ut verbis utamur unius è præclarissimis inter Nostrates, totius cleri Gallicani nominc(1) : digna demùm, quæ inter actus Ecclesiæ authenticos annumerentur, quæque in immortalia volumina non tantùm præsentis ævi, sed rerum, quæ pertinent ad futura sæcula, et *ad perpetuas æternitates* honorificè recondantur."

Sanctitatis Vestræ pedibus provolutus, apostolicam benedictionem suppliciter ac nominatim imploro.

BEATISSIME PATER,

Sanctitatis Vestræ,

Humillimus, obsequentissimus, et devotissimus filius, ac servus,

† ALEX. ANG. *olim arch. dux Remensis.*

Parisiis, die 8 novembris 1816.

Eodem Exemplo.

† A. L. H. *olim episcopus Nancejensis.*
† Joannes-Ludovicus D'USSON DE-BONNAC, *olim episcopus Aginnensis.* (*Defunctus.*)
† J. B. DUCHILLEAU, *olim episcopus Cabillonensis.*
† Joannes-Carolus DE COUCY, *olim episcopus Rupellensis.*
Stephanus-Joannes-Baptista-Ludovicus DES GALOIS DE LA TOUR, *olim episcopus nominatus Molinensis.* (*Defunctus.*)

(1) *Bossuet*, Discours sur l'unité de l'Eglise.

DÉCLARATION

DE L'AMBASSADEUR EXTRAORDINAIRE

DU ROI TRÈS-CHRÉTIEN.

Sa Majesté très-chrétienne ayant appris, avec une peine extrême, que quelques articles de la Charte constitutionnelle qu'elle a donnée à ses peuples, ont paru à sa Sainteté contraires aux lois de l'Eglise, et aux sentimens religieux qu'elle n'a jamais cessé de professer; pénétrée du regret que lui fait éprouver une telle interprétation, et voulant lever toute difficulté à cet égard, a chargé le soussigné d'expliquer ses intentions à sa Sainteté, et de lui protester, en son nom, avec les sentimens qui appartiennent au fils aîné de l'Eglise, qu'après avoir déclaré la religion catholique, apostolique et romaine, la religion de l'Etat, elle a dû assurer à tous ceux de ses sujets, qui professent les autres cultes qu'elle a trouvés établis en France, le libre exercice de leur religion, et le leur a, en conséquence, garanti par la Charte, et par le serment que sa Majesté y a prêté. Mais ce serment ne sauroit porter aucune atteinte ni aux dogmes, ni aux lois de l'Eglise, le soussigné étant autorisé à déclarer qu'il n'est relatif qu'à ce qui concerne l'ordre civil. Tel est l'engagement que le Roi a pris et qu'il doit maintenir. Tel est celui que contractent ses sujets en prêtant serment d'obéissance à la Charte, et aux lois du royaume, sans que jamais ils puissent être obligés, par cet acte, à rien qui soit contraire aux lois de Dieu et de l'Eglise.

Le

Le soussigné, en adressant la présente déclaration à son éminence le Cardinal secrétaire-d'Etat, conformément aux ordres qu'il a reçus du Roi son maître, a l'honneur de le prier de vouloir bien la mettre sous les yeux du saint Père. Il ose espérer qu'elle aura pour effet de dissiper entièrement toute autre interprétation, et par-là de coopérer au succès des vues salutaires de sa Sainteté, en affermissant le repos de l'église de France.(a)

Le soussigné a l'honneur de renouveler à son éminence le Cardinal secrétaire-d'Etat l'assurance de sa très-haute considération.

Blacas d'Aulps.

Rome, ce 15 juillet 1817.

CLERGÉ DE FRANCE.

ARCHEVÊQUES ET ÉVÊQUES.

Qui occupent et qui doivent occuper les différens Siéges désignés dans la nouvelle Circonscription des Diocèses.(b)

Première Métropole.—Paris, S. Em. M. le cardinal de Périgord, ancien archevêque de Reims, grand-aumônier de France, qui aura pour suffragant, M. l'abbé de Quélen,

---

(a) Hæc Declaratio tot ac tantis aliis declarationibus Gubernii Reipublicæ, vanis pollicitationibus Gubernii Napoleonis, atque impudentissimis fucationibus usitatis Novatorum Philosophorum ità pariiis est, ut cum *talibus*, *in divinis* non communicare, Catholicorum sit in officio; sicuti, in aliis regionibus *acatholicis* evenit, in quibus orthodoxi Catholici non communicant, *in divinis*, cum Gubernio *acatholico*, exempli gratiâ, Anglicano, aut Borussiano, Hollandico-Belgico, &c.

(b) Isti *pensiles nominati Episcopi* tenentur in suspensum, usquedùm Ludovicus

len, vicaire-général de la Grande-Aumônerie, avec un titre d'évêché *in partibus*. Chartres, M. de Latil, évêque d'Amyclée, premier aumônier de MONSIEUR. Meaux, M. de Faudoas, évêque actuel. Orléans, M. de Varicourt, curé de Gex. Blois, M...Versailles, M. Louis Charrier de la Roche, évêque actuel.

Deuxième Métropole.—LYON, M. de Bernis, ancien archevêque d'Alby(*a*). Autun, M. Imberties, évêque actuel. Langres, S. Em. M. le cardinal de la Luzerne. Châlons-sur-Saône, M. l'abbé de Villefrancon. Dijon, l'évêque actuel. Saint-Claude, M. l'abbé Depierre, curé de Saint-Sulpice de Paris.

Troisième Métropole.—ROUEN, S. Em. M. le cardinal Cambacérès, archevêque actuel. *(Def.)* Bayeux, M. l'abbé de Couasnon, aumônier du ROI. Evreux, M. Bourlier, évêque actuel. Séez, M. l'abbé Tuvache, chanoine et grand-vicaire de Rouen. Coutances, M. Dupont, évêque actuel.

Quatrième Métropole.—SENS, M. de la Fare, ancien évêque de Nanci, premier aumônier de MADAME. Troyes, M. l'abbé de la Myre, grand-vicaire de Paris. Auxerre, M. Mannai, évêque de Trèves. Nevers, M. l'abbé Fontenay, grand-vicaire de Bourges. Moulins, M. l'abbé de Pons, ancien grand-vicaire de Clermont.

Cinquième Métropole.—REIMS, M. de Couci, ancien évêque de la Rochelle. Soissons M. l'abbé de Vichi, aumônier de MADAME. Châlons-sur-Marne, M. de Clermont-Tonnerre, ancien évêque du même siége. Laon, M. l'abbé

---

dovicus XVIII sessos Eos reddat super Sedes, (successivè per mortem vacantes) *Concordati Napoléonis, Ann.* 1801, *cum ejusdem Articulis Organicis.*

(*a*) J. F. Fesch, *Cardinalis*, Archiep^s. Concordatista Lugdunensis, huj. Archiep^tûs. *nuncium remittere noluit*, et D^s. de Bernis transfertur ad Rothomag. Archiep^tum. *Concordati ann.* 1801.

M. l'abbé du Chatellier, aumônier de MONSIEUR. Beauvais, M. l'abbé de la Châtre, aumônier ordinaire du ROI. Amiens, M. l'abbé de Bombelles, premier aumônier de Mme. la duchesse de Berry. Noyon, M. l'abbé de Cosnac, curé de Brive-la-Gaillarde.

Sixième Métropole.—TOURS, M. du Chilleau, ancien évêque de Châlons-sur-Saône. Le Mans, Angers, Rennes et Quimper, les évêques actuels. Nantes, M. l'abbé d'Andigné, ancien grand-vicaire de Châlons, puis de Troyes. Vannes, M. l'abbé de Tréveru, ancien grand-vicaire de Langres. Saint-Brieux, M. l'abbé le Gonidec. Saint-Malo, M. l'abbé de Grimouville-Larchant, ancien chanoine de Lisieux.

Septième Métropole.—BOURGES, M. l'abbé des Galois de la Tour, ancien grand-vicaire d'Autun et doyen de Saint-Pierre de Moulins, désigné avant la révolution pour l'évêché de Moulins *(Def.)*. Clermont et Limoges, les évêques actuels. Le Puy, M. l'abbé de Clabons, aumônier de MONSIEUR. Tulles, M. l'abbé Perrier-Dumourier, grand-vicaire du Mans. Saint-Flour, M. l'abbé de Rochebrune, grand vicaire du diocèse.

Huitième Métropole.—ALBI, M. Brault, évêque actuel de Bayeux. Rodez, M. l'abbé de la Lande, curé de Saint-Thomas-d'Aquin à Paris. Castres, M. l'abbé de Thiolas, grand-vicaire de Chambéry. Cahors et Mende, les évêques actuels.

Neuvième Métropole.—BORDEAUX, M. Daviau, archevêque actuel. Agen et Angoulême, les évêques actuels. Poitiers, M. l'abbé de Bouillé, aumônier de MADAME. Périgueux, M. l'abbé de Lostanges. La Rochelle, M. Paillou, évêque actuel. Luçon, M. l'abbé Soyer, grand-vicaire de Poitiers.

Dixième Métropole.—AUCH, M. de Chabot, ancien, évêque de Saint-Claude, puis de Mende(1). Aire, M. l'abbé

(1) Ds. de Rohan-Chabot recusavit nominationem; in Ejus locum suffectus

l'abbé Bigex, grand-vicaire de Chambéry. Tarbes, M. l'abbé de Nairac, grand-vicaire de Cahors. Bayonne, l'évêque actuel.

Onzième Métropole.—NARBONNE, M. de la Porte-Lalanne, évêque actuel de Carcassonne. Nismes, M. l'abbé de Chaffoi, ancien archidiacre de Besançon. Carcassonne, M. l'abbé de Morlhon, ancien grand-vicaire de Clermont Montpellier, M. Fournier, évêque actuel. Perpignan, M. l'abbé Layrolle, ancien grand-vicaire de Tarbes. Béziers, M. l'abbé de Pins.

Douzième Métropole.—TOULOUSE, M. de Bovet, ancien évêque de Sistéron. Montauban, M. l'abbé de Maccarthy. Pamiers, M. l'abbé de la Brunière, grand-vicaire d'Evreux.

Treizième Métropole.—ARLES, M. le Blanc de Beaulieu, transféré de Soissons. Marseille, M. l'abbé Besson, curé de Saint-Nizier, à Lyon. Ajaccio, l'évêque actuel.

Quatorzième Métropole.—AIX, M. de Bausset, transféré de Vannes. Fréjus, M. l'abbé de Richery. Digne, l'évêque actuel. Gap, M. l'abbé de Sinéty, aumônier de MONSIEUR.

Quinzième Métropole.—VIENNE, M. de Boulogne, transféré de Troyes. Grenoble, l'évêque actuel. Viviers, M. l'abbé Mollins, grand-vicaire de Clermont. Valence, M. l'abbé de la Tourette.

Seizième Métropole.—BESANÇON, M. Cortois de Pressigny, ancien évêque de Saint-Malo. Strasbourg, M. l'abbé de Croï, ancien chanoine. Metz et Nanci, les évêques actuels. Verdun, M. l'abbé de Villèle. Belley, M. l'abbé de Cordon, ancien comte de Lyon. Saint-Dié, M. l'abbé de Montblanc.

Dix-septième Métropole.—CAMBRAI, (*ce siége est érigé en*

---

tus est D^s. de la Porte-Lalanne, Ep^s. Concordatista Carcassonensis, vivente adhuc legitimo Episcopo *non-dimisso* D^no. de Vintimille.

en Métropole,) l'évêque actuel. Arras, M. de La Tour-d'Auvergne-Lauraguais, évêque actuel. Boulogne, M. l'abbé du Bréau, ancien grand-vicaire, chanoine et pénitencier de la même église, aumônier du Roi.

Dix-huitième Métropole.—Avignon, (*ce siége est aussi érigé en Métropole,*) M. Roux de Bonneval, ancien évêque de Sénez.

Orange, M. l'abbé d'Astros, grand-vicaire de Paris.

LETTRE

DES CARDINAUX, ARCHEVÊQUES ET ÉVÊQUES DE FRANCE,

AU NOMBRE DE SOIXANTE-DIX-SEPT,

ADRESSÉE

AU SAINT PÈRE,

Le 30 *Mai*, 1819, *au Sujet des Affaires de l'Eglise Gallicane.*

Il nous est enfin donné de rompre un silence que les circonstances difficiles où nous nous trouvions exigeaient de nous, et dont la *prudence*, si fortement recommandée à ses disciples par le divin maître, nous avait fait jusqu'à ce jour un devoir. Enfin, il nous est permis de déposer dans votre sein paternel les angoisses de notre âme, les amertumes de notre cœur, et les pénibles *sollicitudes* dont nous sommes agités; c'est la seule *consolation* qui nous reste dans notre *abattement*.

Elle a été de courte durée, T. S. P., la joie que nous avait fait éprouver la convention passée entre V. S. et le Roi Très-Chrétien, et que nous avions conçue des grands et heureux desseins qui avaient déjà en partie reçu leur exécution, et dont l'entier accomplissement promettait pour l'avenir des avantages plus précieux encore. Les anciens nœuds qui existaient entre la France et le Saint-Siége, resserrés de nouveau; les articles contraires à la doctrine et aux lois ecclésiastiques, qui avaient été faits à l'insu de V. S. et publiés sans son aveu, abrogés; une circonscription

circonscription nouvelle des diocèses plus avantageuse au bien de la religion; leur augmentation proportionnée au besoin des fidèles, autant que les circonstances pouvaient le permettre; le rétablissement des siéges dont l'origine remonte à la plus haute antiquité et rappelle les plus beaux souvenirs; l'assurance d'une dotation convenable stipulée pour les églises; la résolution prise de travailler insensiblement à réparer les maux de la religion; la nomination des évêques, leur préconisation, l'union de l'épiscopat Français, tout nous annonçait que l'Eglise Gallicane touchait à la fin de ses trop longues épreuves, et marchait vers une restauration tant désirée. Déjà le *peuple* chrétien commençait à louer le Seigneur; et toute la France *chantait un cantique nouveau* d'allégresse et d'action de grâces.

Mais, hélas! T. S. P. *la joie de notre cœur s'est évanouie, et nos concerts ont été changés en lamentations*, lorsque nous avons été témoins des *contradictions* qui se sont élevées autour de nous, et des difficultés sans nombre qu'on a multipliées sous toutes les formes pour nous empêcher de goûter les fruits d'un bienfait qui devait faire refleurir, avec la foi, les bonnes mœurs, conservatrices des trônes et de la société. Ce merveilleux accord a été suspendu, les bulles d'institution données par V. S. aux évêques, ont été retenues jusqu'à ce jour. En vain, nous avons travaillé à dissiper tous les nuages, et à lever tous les obstacles; en vain nous avons réclamé; nos efforts, nos représentations, nos prières, les sacrifices mêmes auxquels nous étions résignés, tout a été inutile. Le silence le plus absolu, sur les affaires de notre église, a été la seule réponse à nos supplications. Enfin, après tant et de si longs retardemens, nous avons *presque perdu toute espérance de salut*.

En effet, T. S. P, et nous ne pouvons le dire sans la plus profonde tristesse, depuis ce moment où des jours plus sereins semblaient devoir succéder aux orages dont

nous étions battus depuis tant d'années, l'état de l'église, loin de s'améliorer en France, est devenu, et devient de jour en jour plus déplorable. Non-seulement nous n'avons point senti s'alléger le poids de nos douleurs; mais il s'est encore appésanti sur nous ; et le temps n'est peut-être pas éloigné où il sera comme impossible de relever nos ruines. La discipline ecclésiastique se relâche, un grand nombre de diocèses ne sont point suffisamment gouvernés, les fidèles errent comme *des troupeaux sans pasteurs*, les établissemens ecclésiastiques languissent, le sacerdoce s'affaiblit par des pertes que ne répare point un petit nombre d'élèves du sanctuaire, souvent entravés dans leur vocation, inquiétés dans leur instruction, ou découragés par l'aspect de la misère et des dégoûts qui les attendent dans l'exercice du saint ministère.

La religion est attaquée de toutes parts: ses ennemis semblent réunir toutes leurs forces contre elle, et ne se proposent rien moins que de l'anéantir dans ce royaume, autrefois si chrétien et si fidèle. Les livres impies volent et se répandent, les doctrines pernicieuses *gagnent comme la gangrène ;* les dérisions, les satires, les calomnies sont prodiguées à l'envi aux hommes apostoliques, aux missionnaires pleins de zèle qui se consument, avec un succès si marqué, à prêcher le retour à la foi, et par suite à la paix et au bonheur. Pour comble d'afflictions, nous avons vu bannir publiquement des lois répressives le nom de la religion, et *rejeter* ainsi *la pierre angulaire* sans laquelle il ne saurait y avoir d'édifice social. Les évêques qui gouvernent des diocèses, et ceux qui sont destinés aux siéges actuellement vacans, *ne pouvant agir de concert, asservis, opprimés sous ces mêmes réglemens qu'avait imposés une domination étrangère et tyrannique*, réduits à combattre à part, succomberont infailliblement ; et dans un temps donné, plus court peut-être que celui qu'avait marqué l'usurpation, l'église de France tombera pour ne plus se relever....

Ah !

Ah ! que nous avons bien sujet de gémir avec le prophête, et de dire en pleurant comme lui : " A quelle désolation sommes-nous donc réduits, et quelle est la confusion où nous sommes tombés ! Les ennemis ont porté " la main sur tout ce qu'il y a de plus saint et de plus " désirable parmi les hommes ; ils ont ouvert la bouche " contre nous ; ils ont sifflé, grincé des dents, et ils ont " dit : *Nous dévorerons.* Notre force est épuisée, nos " prêtres sont consumés, les vieillards tombent aux " portes du sanctuaire, et les jeunes gens ne les remplacent point ; notre église, semblable à la fille de " Sion, ne fait plus entendre qu'une voix mourante(1)."

A de si cruelles douleurs se mêlent des inquiétudes aussi cruelles et des embarras extrêmes. Dans un tel état de dépérissement, nous sommes appellés pour chercher un remède à tant de maux ; mais nous sommes obligés de le dire, quoiqu'à regret, cette confiance tardive n'est point elle-même assez entière pour nous offrir le moyen de l'appliquer efficacement.

Après nous avoir laissés dans l'ignorance des projets conçus pour changer les dispositions du concordat de 1817, et des bulles qui en sont la suite, après nous avoir proposé l'année dernière une réduction de siéges archiépiscopaux ou épiscopaux, dont le rétablissement semblait être la seule difficulté qui s'opposât alors à l'exécution des traités conclus entre V. S. et le Roi, on nous signale tout d'un coup maintenant cette exécution comme étant devenue impossible par des *obstacles insurmontables ;* on nous annonce qu'il a fallu *entamer* de nouvelles négociations ; mais on ne nous expose ni ces obstacles que nous n'avions jamais pensé pouvoir être *insurmontables*, ni l'objet de ces nouvelles négociations. On nous parle de faire cesser la viduité d'un grand nombre de siéges, ce que

(1) Jérémie.

que l'on regarde comme le plus pressant besoin de l'église de France; tandis que ce qui nous paraît le plus pressant et le plus nécessaire pour elle, c'est d'obtenir un état ferme et convenable qui lui permette d'affronter de nouvelles tempêtes, s'il en survenait, tel que serait, par exemple, l'état où l'aurait placée l'exécution du concordat de 1817. On se propose au contraire de lui donner un état *provisoire*, qui peut, si toutefois il ne devient pas définitif, la tenir un grand nombre d'années, sinon sur le penchant de sa ruine, du moins dans une pénible et humiliante incertitude, *surtout si on la laisse, même provisoirement, sous le joug de ceux des articles organiques qui sont contraires à la doctrine et aux lois de l'église contre lesquels V. S. a si souvent réclamé, et dont elle a stipulé l'abrogation dans le dernier concordat.* D'ailleurs en ne faisant point connaître la forme à employer pour en venir à cet état provisoire, on ne nous laisse pas la faculté de juger de sa conformité aux règles canoniques.

